
CHRISTIAN ERNST GRAF ZU STOLBERG

IOAN. FRANCISCI BVDDEI

THEOL. D. ET P. P. O.

COMMENTATIO ACADEMICA DE CONCORDIA RELIGIONIS CHRISTIANAE STATVSQVE CIVILIS.

ACCEDVNT ALIAE ARGVMENTI CIVILIS DISSERTATIONES

AB EODEM AVCTORE IN ACADEMIA FRIDERICIANA PVBLICAE LVCI EXPOSITAE.

FÜRSTLICH STOLBERG. BIBLIOTHEK WERNIGERODE



HALAE SAXONVM,
Sumptibus ORPHANOTROPHII.

ANNO M DCC XII.

A. H. Walbaum
Halae 1720

1271

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0005

Universitäts- und Landesbibliothek
HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0006

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO

FRIDERICO GOTTHELFF MARSCHALL

DICTO GREIFF

EX EQVITIBVS FRANCONIAE, QVI IMMEDIATE IMPERIO ROMANO-GERMANICO SVBIECTI SVNT,

DOMINO ET HEREDITARIO IN EINOED, ERLNBACH, BAVLBRA ET ILMSDORF ETC.

SERENISSIMIS DVCIBVS SAXO-VINARIENSIBVS A CONSILIIS INTIMIS

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO

S. P. D.

IOAN. FRANCISCVS BVDDEVS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0007



PERILLVSTRIS ET GENEROSISSIME DOMINE.

CVm ingens decus generis claritas antiquitasque adferat, virtusque maiorum, quorum per multa iam nota secula sunt nomina, posteris recte ad imitandum proponatur; nec contemnendi sint, qui obscuro loco nati,

ti, sola virtute nituntur; vtrisque tamen longe feliciores beatioresque censendi sunt, qui natalium splendori virtutem iungunt, & quod nascendi felicitate consecuti sunt fastigium, rebus praeclare gestis, longe illustrius reddere annituntur. Eaque cum TIBI, PERILLVSTRIS DOMINE, contigerit felicitas, multorum hoc nomine merito in TE conuertis oculos animosque. Quam longe a nostra aetate gentis TVAE splendidissimae remota sit origo, quam intaminatum illibatumque in ea seruatum sit nobilitatis decus, quanta porro equitum, qui ipsi saltem imperio Romano-Germanico subiecti sunt, in Germania sit dignitas, nemini temere, nisi patriae nostrae rerum plane ignaro, ignotum esse potest. Quae omnia cum ab aliis fieri maximi soleant, nec contemnenda profecto

sint, sed inter eximia pulcherrimaque, quae Dei munere cuiquam obtingunt, ornamenta referenda, a TE tamen, sublimiora solidioraque spectante, tanti non fiunt, vt non, quae virtute & eruditione parantur, multis modis iis anteponas decora. Huius rei testes habes plurimos, omnes scilicet, qui TE norunt, non tamen antiquiorem forte, aut cui exploratiora cuncta sint, quam me ipsum. Viginti iam effluxere anni, cum primum in hac ipsa academia mihi innotescere, in qua exercitationibus, quibus generosa pubes capi solet, ita TE dedisti, vt litterarum tamen studiis primum tribueres locum, perspicacioribusque haud vanam, qualis futurus esses, praesignificationem dares. Nec deerant ex professorum ordine, qui istas ingenii TVI dotes perspectas habebant, TE-

QVE

QVE ferebant in oculis, quos inter GEORGIVM SCHVBARTVM etiam post fata concelebrare liceat, virum elegantioribus litteris non tinctum leuiter, sed penitus imbutum, quem ideo magna veneratione prosequi solebas, & adhuc, mortuum licet, prosequeris. Nec mihi id minus honorificum puto, quod meos qualescunque conatus, viro isti non penitus displicuisse, sciam. Mihi vero, volente ita Numine, mox aliorsum discedendum erat, nec veniebat in mentem, nos iterum coniungendos. Contigit tamen illud praeter spem praeterque opinionem, TE quoque Halam petente, cum philosophiam ibi elegantioresque litteras docerem. Iam tum eiusmodi doctrinae copiam TIBI comparaueras, vt TVIS sermonibus non tantum delectarer plurimum, sed ipsemet non nisi doctior

ex colloquiis, quae subinde mecum instituebas, discederem. Placuit tamen TIBI me ducem in historicis eligere, in quibus & TIBI & aliis quibusdam generis splendore, & antiquitate maiorum praestantissimis iuuenibus, ac in spem patriae natis, viam monstrare pro viribus allaborani. Cuius laboris hunc inter alia tuli fructum, quod ex eo tempore animi nostri arctissimo velut vinculo conglutinati, cohaererent. Hoc saltem acerbum ac triste nimis mihi videbatur, quod TVA mox mihi carendum esset praesentia, ad alia, immo maiora, TE trahentibus fatis. Educationi interea serenissimi ducis Saxo-Vinarienſis ERNESTI AVGVSTI, domini mei clementissimi, & non sine submissa animi veneratione mihi memorandi, praefectus, amplissimum explicandi ingenii, pariter ac pru-

prudentiae consummatae vires, nanciscebare campum. Quantaque inde in serenissimum principem, & alios porro quam plurimos, redundatura essent commoda, & perspiciebam animo, & prorsus augurabar. Eiusque rei cum me spectatorem e longinquo existimabam, propius, quam cogitaueram, eidem admotus, TE-cumque iterum coniunctus sum. Quid multis? Hala TE cum principe summo excepit, mihique tam felici esse licuit, vt imbuendi litteris animum magni principis, maiorumque suorum gloriam adaequaturi, cura demandata, quotidie & adspectu & colloquiis TVIS fruendi, mihi fieret copia. Non temere, fateor, vllus mihi per totam vitam laetior dies extitit, quam quo mihi nuntiatum est, & Halam TE cum principe serenissimo rediturum, & quae meae apud

vos futurae essent partes. Quae hinc porro consecuta sint, sapientissime cuncta ita dirigente Numine, vt ecclesia, forte & haec ipsa academia, veberiorem inde perciperet fructum, cum manifesta sint & omnium oculis expositа, in praesenti prolixius non commemorabo. Non semel enim, GENEROSISSIME DOMINE, hac de re meam exposui sententiam, cum iucundissima praeteritorum recordatione, nos oblectare, nobis datum fuit. Id dissimulare nequeo, in magnam me iterum coniectum tristitiam, cum illud adpropinquaret tempus, quo vna cum principe nostro serenissimo, Hala TIBI relinquenda erat. Iam ipso velut sole orbatus, in tenebris & squalore mihi versari videbar, vixque mente concipere poteram, eam, qua me destitutum dolebam, felicitatem mihi redditum iri. Factum nihilosecius

cius id quoque, tam mirifice res nostras dispensante prouida Numinis cura, vt votis non tantum respondaret euentus, sed ista euenirent, quae nec optare ausus eram. Eo enim ipso anno, quo in hanc academiam concesseram, vt demandatum mihi a serenissimis nutritoribus, theologiam docendi munus, capesserem, cum serenissimo principe nostro huc iterum TE contuliſti, vt, quae TE potissimum auctore & suasore, tanta cum laude tractare inceperat litterarum studia princeps, vlterius persequeretur, & summo, ad quod natus erat, fastigio dignus redderetur. Eadem & tum, qua Halae functus eram, mihi demandata prouincia, quam & eo maiori cum voluptate suscepi, quo propensiorem indies & ducis nostri serenissimi, & TVVM quoque, VIR EXCELLENTISSIME, in me ani-

animaduertebam animum. Hinc vero simul solatium & praesidium, in rebus aduersis, quae, vt fieri solet, hic quoque mihi subeundae fuerunt, maximum adfuit. Felici cum & hic cuncta peracta successu fuissent, serenissimum principem oras peregrinas lustraturum, itineris difficultate molestiisque non magis, quam aliis causis, quae TE morari potuissent, neutiquam deterritus, comitari decreuisti. Vnde rursus, magnis locorum interuallis seiunctis, amicitiae fructus tantisper intercepti videbantur, donec in patriam redux princeps summus & TE mihi restituit, tanto maiori cum voluptate, quanto mihi videbatur grauius, procul a me remotum esse, cuius fidem, constantiam, prudentiam & ipse in rebus quibusuis dubiis, expertus eram. Immo & inde mihi velut signum ad be-

ne

ne sperandum sublatum erat, quod & TE cohonestatum eiusmodi dignitatibus viderem, grauissimisque muneribus admotum, vt certam merito spem, nunquam nos iterum longius disiungendos, animo concipere possem. Per tot itaque annorum interualla, occasione tam multiplici, cum mihi datum sit, paulo intimius eam, quam, tenuisti, & adhuc tenes, vitae rationem introspicere, nemo mortalium mihi vitio vertet, si palam professus fuerim, tantum me semper & vbique in omnibus negotiis, totaque vitae ratione candorem, integritatem, fidem, dexteritatem, prudentiam denique & constantiam deprehendisse, vt, qui TE in his omnibus superet, neminem nouerim, paucissimi etiam forte sint, qui TE adaequent. De eruditione enim in omni litterarum, quae TVAM fortu-

nam

nam decent, genere, exquisita, singularique fauore, quo omnes, qui litterarum sacris operantur, prosequeris, vt quicquam dicam, necesse non est, cum haec omnibus nota sint. Quamobrem cum omnes etiam, qui vllum virtuti ac honestati pretium statuunt, summa TE merito prosequantur veneratione, quae mearum partium sint, aut quid de me expectare debeas, nemo non intelligit. Ipsa nostrorum animorum consensio mirifica, & in omnibus, quae bona, quaeue honesta sunt, conspiratio, iam documento est, quo in TE sim adfectu. Cum vero plurima adhuc accesserint a TE in me collata beneficia, & fauor per tot annos nunquam interruptus, amorem illum, aut, si mauis, veneration-nem meam, erga TE tantam esse oportet, quantam mens vlla mortalium

talium cogitare potest. Quare & iam pridem meam erga TE, PERILLVSTRIS DOMINE, demonstrare publice obseruantiam, meamque significare pietatem, volui. Cumque per varia impedimenta id hactenus non licuerit, eam, quae nunc mihi se offert, occasionem, arripio, vltimumque huncce dissertationum mearum philosophicarum fasciculum, PERILLVSTRI NOMINI TVO sacrum deuotumque esse iubeo. Nec dubito, beneuola hoc TE excepturum mente, cum non ignorem, quanta humanitate me ipsum excipere soleas, nec TIBI ignotum sit, quo ego erga TE sim animo. Deum, quod supereſt, supplex veneror, vt TE serenissimis ducibus, qui TVIS vtuntur consiliis, patriae, reipublicae & omnibus bonis, quam diutissime

sal-

saluum incolumemque, & omni felicitatis genere abundantem, conseruet. Vale, DOMINE GENEROSISSIME, &, quod facis, TVO me porro fauore prosequere.

Ienae die III. Octobr. MDCCXI.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO S.

DEcem iam effluxere anni, cum in academia, quae Halae floret, Fridericiana, in qua moralem tum ciuilemque docebam philosophiam, more in academiis recepto, dissertationem politicam, de *concordia religionis christianae statusque ciuilis*, publica concertatione ventilandam, luci exponerem. Cuius iteratam editionem cum nonnulli ob rationes varias vrgerent, nec caussa vlla, cur hoc non concederem, praesto esset, promissorum simul memor, alias ciuilis argumenti dissertationes subiungendo, quartam vltimamque dissertationum historicarum & philosophicarum partem dare volui. Primam enim sub titulo: *parerga historico-theologica*, alteram sub titulo: *selecta iuris naturae & gentium*, & tertiam denique sub titulo: *analecta historiae philosophicae*, prostare, notum est. In hisce autem fasciculis non omnes quidem, praecipuae tamen, dissertationes

tiones academicae a me ipso elaboratae, habitaeque publice, priusquam ad docendam in academia Ienensi theologiam euocarer, continentur.

Cum vero, quae primo hic loco conspicitur, dissertatio, de *concordia religionis christianae statusque ciuilis*, varia hominum experta sit iudicia, necessitatem velut quandam mihi impositam esse video, nonnulla, quae e re visa fuerint, monendi. Dignum esse hocce argumentum, in quo viri praestantissimi ingenii vires exerceant, nemo, nisi rerum omnium ignarus, negauerit. Feceruntque id ante me plurimi, licet, vt scopo, ita tractandi ratione diuersa, & a mea multum discrepante. Fidenter enim assero, neminem mihi vnquam innotuisse, qui hancce, quam ego secutus sum, tractandi hocce argumentum, rationem tenuerit. Extat equidem inter alia & summi viri, SAMVELIS PVFENDORFII, elegantissima de *habitu religionis christianae ad vitam ciuilem*, commentatio, quae huc quodammodo collimare videtur. Sed si quis nostra cum isto opere conferre operae pretium duxerit, statim deprehendet, tam longe distare haec a se inuicem, quam quae distant quam maxime. PVFENDORFIO enim id praecipue constitutum fuit, vt ostenderet, christianae religionis indolem non requi

quirere, vt directio eius externa ab alio quopiam, quam summo in ciuitate imperante, penderet, quo ipso monarchiae istius ecclesiasticae, quam Romani praesules condiderunt, fundamenta subruit, penitusque euertit: ego verò id mihi cumprimis datum credidi, vt euincerem, reipublicae conseruationi eam maxime accommodatam religionem esse, quae nec placita, imperantium aut ciuium officiis contraria, contineret, & vitia tranquillitati rerumpublicarum aduersa, subigere doceret atque subiugare. Hinc & ad specialiora nostra se porrigit commentatio, commoda & incommoda religionis ethnicae, Muhammedanae, christianae, & in ea Lutheranorum, Pontificiorum, Reformatorum, & quae reliqua sunt, ordine iuxta ea, quae posuimus, principia, percensens, ad quae nec PVFENDORFII, nec alterius cuiuscunque, quantum mihi constat, commentatio pertingit.

Inter ea, quae speciatim nonnullis displicuere, praecipuum illud est, quod maiestatis seu summi imperii originem a Deo quidem, non tamen immediate, vt loqui solent, deriuauerim. Rectae enim non minus rationi, quam experientiae quotidianae, mihi aduersari videbantur, qui, immediate summam hancce potestatem a Deo

originem ducere, asserunt, sive de prima rerumpublicarum institutione, quam immediate a Deo factam, ex historiarum monumentis non constat, sive de collatione maiestatis, quae hodie aut per electionem, aut per successionem fit, semper populi intercedente consensu, hoc capias. Quod si vero maiestatem, seu summum imperium, nec in prima rerumpublicarum institutione, nec in ea, quae hodie fit, collatione spectes, tum eiusmodi quid eam esse arbitratus sum, quod abstrahendo homines fingerent & menti exhiberent, cuiusque adeo aliam, quam humanae mentis fictionem, caussam quaerere, superuacaneum foret. Quod haec etiam sententia & scripturae sacrae, & praestantissimorum nostrae ecclesiae, eorum etiam, qui in hac academia floruerunt, theologorum, scitis plane conformis sit, luculenter, ni fallor, demonstratum fuit alibi & ab aliis *. Fuerunt etiam

* Id in ipsa dissertatione iam DAVIDIS RVNGII testimonio comprobaui, cui B. IO. GVIL. BAIERVM addidi in *disquisit. de moderamine inculpatae tutelae, &c. p. 12.* Iungere autem his porro possem IO. GERHARDVM, IO. MVSAEVM, VALENTINVM VELTHEMIVM, praestantissimos academiae nostrae theologos, sed in praesenti rationibus potius, quam auctoritatibus, hancce caussam disceptare placet.

etiam ex illis, qui, secus se sentire, professi sunt, qui conuitiis saltem & obtrectationibus, more nonnullis consueto, causam suam agerent, simulque aperte ostenderent, se harum rerum, de quibus disceptatur, non esse intelligentes. Quibus si respondere vellem, rem plane inutilem & supervacaneam susciperem. Nec est, quod homines, qui litigandi saltem pruritum produnt, & pro rationibus conuitia afferunt, hoc a me expectent. Ego tempus melius collocare didici. Accesserunt tamen deinde & alii, eruditione exquisita, egregiisque in rem litterariam meritis illustres, harumque rerum callentissimi viri, qui non minori eruditione, quam modestia, quae tantopere sapientes viros decet, & nonnulla hic moverunt dubia, quae, quia nondum a sententia, quam veritati consentaneam puto, animum dimouere potuerunt, expendisse paucis me non poenitebit. Nec, cum ingenuos & cordatos eos esse sciam, aegre istud ferent, cum vel hac ratione illorum votis fieri satis queat, vt, cum mutare sententiam, quam veram esse persuasi sumus, non liceat, eandem vel stabiliamus firmius, vel minimum magis dilucide explicemus.

Vt ergo summorum virorum vestigia legentes a prima origine rem omnem repetamus, in eo facile nos secum consentientes

tientes habent, modo recte capiatur, quicquid homo iuris habet in res quasuis, in bruta animantia aut alios homines, id omne acceptum referendum Deo esse. Profligandusque merito impius atque profanus illorum error est, qui Deum, si modo Deum credunt, quam longissime a rebus negotiisque mortalium remotum cupiunt, vt is tandem iure aliquid agere censeatur, qui potentia viribusque pollet, quibus resistere alii nequeant. Ita autem, quod asseruimus, aut concessimus, intelligendum, vt iuris nomine generatim facultas quaedam licite & cum effectu morali aliquid agendi designetur, quae quidem facultas, vt, si primam originem spectes, vtique a Deo est, ita diuersimode ab ipsis hominibus in actum seu exercitium deducitur, cuius quidem actus seu exercitii, vt & illorum, quæ actum hunc seu exercitium sequuntur, caussae homines merito esse censentur **.

Cum-

** Enimuero si illud, quicquid homo habet, illud a Deo habet, ita capiendum esset, vt homo ipse nullius effectus caussa, siue morali, siue physica ratione esse posset, vel, quod perinde esset, omnia, quae physica pariter ac morali ratione homini competunt, immediate a Deo haberet, sequeretur, parentes non posse caussas liberorum dici, liberosque immediate a Deo

Cumque ad facultatis huius exercitium, seu vt in actum a nobis deducatur, interdum alii quoque homines concurrere debeant, manifestum est, & rectissime dicitur, duplici ratione hancce facultatem in actum deduci, vel sine consensu aliorum, vbi is non est necessarius, vel cum consensu, vbi scilicet is adesse debet. Istud autem ius & illa facultas licite & cum effectu morali aliquid agendi, triplici ratione spectari potest; primo ratione ipsius agentis, & tum vocatur *libertas*, tum ratione rerum sensu aut ratione destitutarum, vocaturque *domini-*

progigni. Immo omnes caussae secundae proscriberentur, quae sententia quanta secum incommoda trahat, iam pridem ab acutissimis philosophis ostensum est. Luculentius hoc ex dicendis intelligetur. Quando itaque Ioannes baptista dicit: *non potest homo sumere quidquam, nisi sit datum illi e coelo, Ioan. III. 27.* sensus est: non potest propria auctoritate sibi aliquis quidquam sumere, sed vocationem a Deo expectare debet. Inde autem non sequitur, quod immediate potestas v. g. docendi & baptizandi, de qua ibi sermo est, semper concedatur a Deo, cum hoc etiam fiat mediate. Et qui mediate a Deo vocatus est, nihil sibi ipsi sumit, sed non minus potestatem suam a Deo accepit, quam qui ab eo vocatus est immediate.

minium, & denique ratione aliorum hominum, & *imperium* vocari solet. Plana haec sunt, &, si recte percipiantur, dubitationem no admittunt.

De *dominio* res clara est, ea, qua diximus, ratione, illud a Deo originem trahere. Id diserte scriptura testatur. Cum enim Deus primos humani generis parentes condidisset, facultatem quoque rebus creatis ad sui conseruationem vtendi, illis concesit. *Gen. I. 28. 29.* Quae concesio in humani generis restauratione, repetita fuit Noacho, eiusque posteris. *Gen. IX. 2.* Quam rebus creatis ad sui conseruationem vtendi facultatem, si quis dominium vocare velit, per me id licebit, modo commune & vniuersale dominium intelligatur. Si enim eiusmodi possesio intelligatur, a qua actu alii excluduntur, dominii vox non commode satis adhibebitur. Quicquid huius sit, vt facultas haecce in actum deduceretur, seu vt dominia particularia introducerentur, omnino actum aliquem externum accedere oportuit: cumque non desint, qui per diuisionem & pacta hoc factum existiment, nobis tamen & simplicius, & indoli humani generis, prout tum eius status fuit, conuenientius esse videtur, factum id per occupationem. Idque cum longe sit manifestissimum, sua sponte inde

sequi-

sequitur, dominia rerum ipsum Deum auctorem agnoscere, sed ita, vt facultas, rebus creatis vtendi, immediate hominum generi a Deo sit concessa, quae dum in actum deducta fuit, dominia particularia inde orta sunt, ab hominibus ipsis actu quodam externo constituta, adeoque a Deo quidem, sed mediate, non autem immediate originem ducentia. Quod si ergo quaeratur, quo pacto rerum dominia hodie transferantur, & an in illa translatione humani consensus vis vlla sit ac efficacia? ipsa quidem vix quenquam hac de re dubitare sinet experientia. Valde itaque dubito, an admitti possit, quod dicitur: dominiorum ita fieri translationem, vt a priori possessore res derelinquatur, quam alter per ius diuinitus sibi impertitum, statim sibi vindicare queat. Quod si enim ita res se habet, vt prior possessor nullum ius transferre in alium possit, nec contractus, nec conuentiones, nec testamenta, aut dispositiones vllae in euentum mortis, aut ipsae denique successiones ab intestato, sibi constabunt. Haec enim omnia consensu prioris domini nituntur, atque supponunt, fuisse illi facultatem, ius suum transferendi in alium. Cedent ergo dominia statim illis, qui priores res illas occupauerint, quarum quis relinquere possessionem decreuit, aut eam relinquere cogitur, quicquid ille

iusserit, dixerit, sanciuerit. Heredi, aut cuicunque aliquid promissum, vel destinatum, nulla conquerendi caussa: prior enim dominus nullo modo ius suum in alium transferre potuit. Quid inde secuturum sit, me non monente, quiuis intelligit. De distinctione dominii, in *actu primo* & *secundo*, nihil dicam. Admitti potest, si recte capiatur. Primis parentibus, simulque adeo toti humano generi a Deo facultatem rebus creatis ad sui conseruationem vtendi concessam, antea iam docuimus. Hanc siue quis *dominium in actu primo*, siue *dominium vniuersale* vocare voluerit, per nos licebit. Sed hocce dominium, seu vniuersale, seu in actu primo spectatum, non obstat, quo minus ad particularis dominii translationem, si ab vno possessore ad alium transeat, consensus requiratur, seu, quo minus aliquis dominium suum, quod in actu secundo habet, transferre in alium possit. Fateor, dominium actu corporali tradi non potest, vti res ipsae traduntur, quae dominio subsunt, cum inter dominium, & res, quae dominio acquiruntur, discrimen intercedat. Nihil tamen obstat, quo minus consensus externis signis prodatur, vt eadem ratione alterius acceptatio significatur. Et hac quidem ratione ipsum ius, seu dominium, ab vno in alium transit. Nollem

lem profecto istam translationem meram permissionem vocare, quorsum & exemplum ad illustrandam rem omnem allatum, spectat. Consensus enim in pactis, conventionibus, contractibus, testamentis, longe maior vis est, quam nudae permissionis. Sed haec ideo saltem monui, ne, saluis fundamentis, ea saltem, quae iis superstructa sint, me conuellere velle, quis existimet.

Ius illud, quod quisque in se & suas actiones habet, vt antea obseruauimus, *libertas* dici solet. Et hanc a Deo originem trahere, adeo non abnuo, vt lubens potius fatear. Intellectus enim ac voluntatis vsu vt libertas absoluitur, ita vtramque animae potentiam, non minus, ac animam, ipsam, & quicquid sumus aut habemus, Deo auctori merito acceptum referimus. Vt autem Deus hasce animi potentias, ita & libertatem ipsam, (in quantum ea homo post primorum parentum lapsum gaudet) nobis ad nostri conseruationem dedit, eamque adeo certis limitibus circumscripsit. Idque & per leges, & per naturalem volendi facultatem, quae non ad omnia aeque, sed ad certos tantum corporis motus se extendit, cum alii contra corporis motus sint, in quos voluntati nihil imperii relictum esse, experientia docet. Prout itaque naturalibus causis haecce agendi facultas

cultas libertasque innititur, a generatione parentum, adeoque a Deo quidem, sed non immediate, deriuanda fuerit. De legibus autem, facultatis huius directricibus, si sermo sit, sique diuinas intelligas, a Deo illas immediate originem ducere, dubio caret. A legibus tamen istis ipsa facultas, quae per leges dirigitur, discernenda fuerit.

Quisnam directionis huius effectus sit, in *imperio humano* maxime conspicitur, de quo etiam nobis ex instituto dicendum est. Cum enim libertas, seu facultas seipsum suasque actiones dirigendi, homini eum in finem concessa sit, vt eadem ad suam conseruationem felicitatemque promouendam vtatur, non tamen peccabit, si iure suo quadantenus se abdicet, consentiatque, vt alter in quibusdam eam facultatem qua certos actus, dirigendi sibi vindicet. Indeque alteri ius in nos seu nostras actiones acquiritur, quod & *imperium* appelliratur, quo nomine, si generatim capiatur, nihil aliud, quam facultas alterius actiones dirigendi, intelligitur. Ad quod adeo, nisi Deus lege quadam aut mandato singulari hoc alteri concesserit, cuius rei deinceps exempla videbimus, omnino consensus eius, qui alterius imperio subiicitur, requiritur. Facileque intelligitur, quo sensu aliquis imperium a se transferre in alte-

alterum posſit: ſi ſcilicet ſua ſe abdicet libertate, ſeu facultate, actiones ſuas, ſi non omnes, ſaltem quae certi generis ſunt, dirigendi, conſentiatque, vt iſta directio ſit penes alium. Vnde illud: *quod nemo habet in ſemet ipſum imperium, id nec transferre in alios poteſt*; non recte huic ſententiae opponitur. Habet enim quisque mortalium a natura libertatem (in externis) ſeu facultatem actiones ſuas ad ſui conſeruationem dirigendi, qua facultate ſi qua certos actus ſe abdicet, conſentiatque, vt iſta ſit penes alium, hoc ipſo imperium in illum transfert. At non habebat tamen, inquis, imperium in ſe. Luſus omnino eſt in voce *imperii*. Habebat facultatem actus ſuos externos dirigendi. Hac facultate dum ſe abdicavit, conſenſu ſuo eandem tranſtulit in alium. Et haec ipſa facultas actiones externas dirigendi mox *libertas*, mox *imperium* dicitur. *Libertas*, ſi homo ipſe illa facultate actiones ſuas dirigendi gaudeat; *imperium*, ſi conſenſerit, vt illa ſit penes alium. Sed cum penes alium ob hominum prauitatem eſſe conſtanter & cum effectu non posſit, niſi facultas illa dirigendi aliorum actiones, cum facultate quoque reluctantes coercendi, coniuncta ſit, hanc omnino in imperio proprie ſic dicto accedere oportet, cum in libertate ſeu facultate ſuas actiones dirigendi locum

non

non habeat. Neque insolens profecto, vt per consensum alteri aliquid conferatur, aut ex eo, quod collatum est, consequatur, quod ea ratione & formaliter, vt in scholis loqui solent, in nobis non fuit. Quod in sequentibus etiam vlterius confirmabitur.

Constabunt sibi hactenus dicta, si singula imperiorum genera perlustrauerimus. Coniugalem societatem, quae reliquarum fundamentum, & humani generis quoddam velut seminarium recte dicitur, a Deo in ipso rerum primordio institutam esse, novimus. Et ita immediate a Deo est. Sed Deus quoque post funestum primorum hominum lapsum constituit, vt imperium in hac societate, quale in ea requiritur, sit penes maritum, vxori, in rebus ad statum huncce domesticum spectantibus, obsequii gloria relicta. Haec autem cum ita generatim ab ipso Deo constituta sint, hominum non aliae hic sunt partes, quam vt per consensum applicatio saltem fiat ad certas personas. Vnde, si in singulis hominibus matrimonium spectes, consensus pro causa, vt ita loqui liceat, eius immediata in tantum recte habetur, in quantum is, vt constitutio Numinis generalis ad certas personas applicari queat, est necessarius. Paternae societatis haec est ratio, vt per consensum iniri nequeat, cum infantes, quan-

quando nascuntur, nondum gaudeant rationis vsu, adeoque consentire nequeant. Tacitus vero consensus, quem alii vrgent, supponit itidem facultatem consentiendi. Diuina itaque, haec societas nititur lege, quae, cum, vt aliis hominibus quibusuis humanitatis officia praestemus, praecipiat, multo magis, vt parentes liberorum a se procreatorum conseruationi & educationi incumbant, exigit, suffragante adfectu tenerrimo, a natura ipsa hominibus indito, quo parentes liberos suos prosequi solent. Cum educatio autem rite sine imperio parentum in liberos procedere nequeat, nec liberi ipsi, priusquam rationis vsus accedat, actiones suas ipsimet dirigere possint, sequitur, eadem lege diuina, quae parentibus educandi liberos necessitatem imponit, illis etiam imperium, seu facultatem actiones liberorum dirigendi, tribui. Atque hoc cum ratio ipsa doceat, scriptura quoque sacra luculenter confirmat, & obsequium liberorum erga parentes passim praecipit. Obsequium autem supponit imperium. Et hoc quidem est, quod antea diximus, interdum per legem diuinam facultatem nostras actiones dirigendi in alium transferri, quando scilicet ipsimet nostras actiones dirigere haud possumus, vt de infantibus constat. Quando

vero

vero de hominibus sermo est, qui ipsimet suas actiones dirigere possunt, nec lex vlla diuina adsit, quae imperio aliorum eos immediate subiiciat, tum paulo aliter pronuntiandum. Et id quidem in statu heriti, multo magis autem in ciuili, luculenter patet.

Herilis status, cuius indoles ad ciuilem proxime accedit, quaecunque demum sit origo, (namque hac de re viri eruditi inter se non consentiunt) hoc certum & exploratum, eum a Deo immediate institutum non esse. Nullum enim huius rei in historia sacra vestigium occurrit, nec vllo alio auctoris cuiusdam documento, comprobari potest. Nec ex verbis Noachi, Canaani, eiusque posteris, imprecantis, *vt serui seruorum sint fratribus suis*, *Gen. IX. 25.* hoc colligas. Etsi enim hic primum seruitutis mentio fiat, non tamen prima eius origo describitur. Immo Noachus seruitutem ceu rem iam sibi non incognitam, haud obscure supponit. Haec etiam si origo seruitutis statuenda esset, non alia admitti posset, quam quae maledictionis sit effectus, aut poenae loco hominibus imponeretur, quod non temere quis asseruerit. Firmo itaque illorum stat talo sententia, qui necessitate primum & indigentia nonnullos adactos, opulentioribus sua officia obtu-

obtuliſſe, exiſtimant, his etiam pro certa mercede ſeruitutem iſtam acceptantibus. Quod cum in ipſorum etiam commodum cederet, huncce ſtatum adeo non improbauit Deus, vt confirmarit potius. Id enim ex ſcriptura ſacra luculenter conſtat, quae etiam docet, nec inter chriſtianos veteres, apud quos ex charitate omnia agebantur, ſeruitutem abrogatam. Cum vero opulentiores ſemel viderent, quanta ex ſeruis commoda capere poſſent, varia deinceps ratione homines etiam inuitos redigere in ſeruitutem ceperunt, vt maxime in ſeruitute bellica patet. Sed haec cum violenter & praeter rationem ac aequitatem geſta ſint, hic in cenſum non veniunt. Ad ſeruitutem itaque conſenſus requiritur, ſi legitima eſſe debeat, & hoc hodie omnes etiam experientia docet. Habent itaque homines, priusquam in ſeruitutem conſentiunt, ipſimet ſuarum actionum arbitrium. Dum autem iſto arbitrio & libertate ſe abdicant, hero in ſe imperium conferunt, in iis actibus, qui ad ſtatum herilem pertinent. Vnde & herus imperium in ſeruos mediante demum conſenſu accipit, & licet illud voluntati diuinae non repugnet, immediate tamen a Deo hoc accepiſſe, dici nequit.

Atque inde etiam, quo pacto in statu ciuili sese res habeat, intelligitur. De cuius prima origine & institutione nihil aliud ex certis & indubitatis monumentis constat, quam quod Cain fratricida ciuitatem condiderit, quam a filio suo Hanochiam dixerit. *Gen IV. 17.* Interim rerum humanarum indolem paulo accuratius expendens facile intelliget, cum homines viderent, se suae securitati commodisque, aliis consulere aliter non posse, quam si in coetus maiores coalescerent, qui sine ordine imperantium atque parentium consistere nequeunt, ciuitates inde, seu respublicas, ortas esse. Et de prima quidem ista ciuitatum origine nullus temere dissensus esse potest, cum nullum vllibi prostet testimonium, quod Deus immediate hoc iusserit: etsi, Deum hoc adprobasse, tum ex ipsa ratione, tum multo magis ex scriptura sacra longe sit certissimum. De eo itaque saltem quaeritur: an summa illa, qua imperantes in ciuitatibus gaudent, potestas, immediate a Deo sit? Esse enim a Deo, lubenter concedimus, & tum alibi, tum in hac ipsa dissertatione, quae haec scribendi occasionem praebuit, luculenter, ni fallor, demonstrauimus. Monui etiam, non de eo quaestionem esse, num Deus aliquando immediate summum imperium

quibus-

quibusdam contulerit? Hoc enim quandoque factum, exempla in gente Israëlitica, Mosis, Iosuae, aliorumque, comprobant. Haec cum vtrinque in confesso sint, frustra huc aduocantur, & ad hancce non spectant disquisitionem. Idque eo minus, si receptam multorum admittamus sententiam, qui, reipublicae Ebraeorum formam plane singularem fuisse, contendunt, in qua summum imperium reuera fuerit penes ipsum Deum, cuius quidam saltem vicarii fuerunt Moses, Iosua, iudices, immo, quae quorundam est sententia, ipsi reges. Vnde & cum FL. IOSEPHO eam θεοκρατίαν dicere consueuerunt. Qua de re cum alibi dictum sit, * nunc illud saltem inde colligo, ex iis, quae in gente Israëlitica, modo plane extraordinario gesta sunt, non posse iudicium ferri de modo ordinario, quo summa potestas hodie imperantibus confertur. Nescio etiam, an huc spectent, aut ad hancce causam multum faciant, quae de iure vitae & necis disputantur. Confirmari tamen eo ipso videtur, quod fundamenti velut loco a dissentientibus substernitur, quod homo ipse non habet, id eum transferre in alterum non posse. Non ergo consensu

* *institut. theolog. mor. part. II. cap. III. sect. VII. §. XIII.*

ſuo imperium, cuius partem haud vltimam ius vitae & necis conſtituat, in alterum eum poſſe transferre. Poteſt autem ius vitae & necis duplici ratione ſpectari, tum prout in defenſione ſui violenta, tum prout in imperio ciuili ſeſe exerit. Priori modo ſpectatum, ius illud vitae & necis, quod inuaſus in legitima defenſione conſtitutus, in aggreſſorem habet, non vtique conſenſu aggreſſoris, ſed lege diuina nititur, quae homini facultatem, ſe, ſuamque vitam defendendi, non permiſit modo, ſed omnino hoc praecepit. Nobis itaque non obſtant, quae erudite & eleganter a nonnullis diſputantur, vt euincant, ius, quod quis in aggreſſorem violentum habet, neutiquam niti conſenſu. Et ita quoque profecto res in bellis ſe habet. Quaecunque enim in hoſtes, aut victori in victos licent, neutiquam conſenſu, ſed lege diuina, vt ſingulis hominibus, ita multo magis integris gentibus, ſui defenſionem & conſeruationem, etiam cum neceſſitas poſtulauerit, violentam, permittente aut concedente, innituntur. Ex quo etiam ipſae actiones bellicae aeſtimandae veniunt, vt illae demum, quae ad hunc finem comparatae & neceſſariae ſunt, licitae cenſeantur, ceterae vero non item. Quod ſi vero ius vitae & necis in imperio ciuili ſpectetur, de

quo

quo hic sermo est, tum aliter pronuntiandum. Qui enim consenserunt, vt penes alterum esset facultas suas actiones dirigendi, sibique adeo imperandi, iidem quoque consenserunt, vt penes illum esset facultas coërcendi puniendique refractarios. Quod si regeras: at nemo habet in se ipsum ius vitae & necis, quo pacto ergo hoc transferre in alium potest? scias velim, iam pridem hocce dubium proposuisse, simulque ad illud solide respondisse, SAM. PVFENDORFIVM. * De potestate enim summorum imperantium in vitam ciuium, verba faciens, *circa quam*, inquit, *iste primo loco scrupulus occurrit, quomodo eiusmodi potestas in ciuitatem a singulis per pacta potuerit conferri. Nam cum poena sit aliquid, quod inuito infligitur, quod autem quis sibi ipsi infert, accidere invito nequeat; explicari difficulter potest, quomodo quis facultatem puniendi seipsum habeat, eamque in alium transferre queat.* Quae cum latius deduxisset, tandem respondet: *Heic igitur sciendum, quemadmodum in naturalibus ex commixtione & temperatione plurium simplicium, prouenire potest compositum quid, cui tales adsint qualitates, quae in nullo simplicium mixtionem ingredientium deprehenduntur: ita & corpora moralia ex pluribus hominibus constantia ali-*

* *de iure nat. & gent. lib. VIII. cap. III. §. 1.*

quod ius habere possunt, ex ipsa illa coniunctione resultans, quod formaliter penes neminem singulorum fuit; quale ius ex eiusmodi velut coalitione ortum, per rectores istorum corporum exercetur. Quod pluribus in sequentibus confirmat.

Maximum vero nostra caussa inde praesidium capit, quod illi ipsi summi viri, qui a nobis dissentiunt, aut dissentire videntur, (an enim reuera dissentiant, fere dubito) fateantur ipsimet, atque concedant, in statu coniugali, herili atque ciuili, ordinarium hoc esse, vt ius mariti, heri, imperantium, oriatur praeuio, aut saltem comite subiectae partis consensu. Prius potius placet, quod praeuio consensu oriatur, quam eodem comite. Res ipsa enim hoc docet, & experientia suffragatur. Si ergo praeuio, vel, quod perinde est, mediante consensu, hoc ius oritur, ergo non confertur a Deo immediate. Atque in eo consistit caput totius disceptationis. Addunt equidem, consensum illum in se spectatum, cum nihil aliud sit, quam naturalis quidam voluntatis motus, id neutiquam efficere posse, vt in eo, cuius gratia consentitur, producat libertatem, in ipso consentiente necessitatem moralem. Producit tamen vtique consensus illud, vt ius dirigendi nostras actiones a nobis tran-

transeat in alium. Cumque id vero & reali effectu fiat, non potest consensus ille ex numero causarum, quibus morali ratione reuera aliquid producitur, excludi. Vereor etiam, vt pacta omnia atque conventiones irrita futura sint, si consensus omni prorsus efficacia destitui pronuntietur. Quae assertio quanta post se tractura sit incommoda, manifestum est. Nec ex eo, quod consensus naturalis quidam sit voluntatis motus, aliud quid colligas. Num enim, quia motus voluntatis naturalis, ideo ad moralem effectum producendum inefficax? Quae in hominibus pariter ac brutis conspicitur vis generandi, sobolemque procreandi, etiam naturalis est. Nec tamen obstat, quo minus in causarum numero habeantur, cum in foetus procreatione illa vis sese exserit. In consensu autem adhuc amplius quid est, libertas scilicet, vnde eo minus ex causarum numero excludi poterit. Quod vero, qui semel consenserunt, vinculo quodam inuiolabili & indissolubili teneantur, quo minus resilire queant, id a lege prouenit. At inde vis & efficacia ipsius consensus infringi nequit, cum in naturalium causarum ordine, quae secundae in scholis vocantur, vi sua & efficacia non destituantur, etsi cuncta secun-

dum leges quasdam, a Deo in ipsa natura constitutas, peragantur. Necessitas autem illa moralis, qua ad pacta seruanda homines obstringuntur, nitaturne tantum lege diuina, an in rebus ipsis ea fundamentum habeat, nobis in hac equidem quaestione perinde esse poterat. Quia tamen & haecce hic in scenam producitur disceptatio, satisque constet, receptae passim opinioni hac in re me non suffragari, deinceps, quae menti meae sedeat sententia, quaeue pro ea monere necesse esse duxerim, exponam.

Nunc reliqua, quae ad caput causae spectant, paucis prosequar. Omnis enim tandem vel fatentibus, quibuscum disceptandi nobis imposita est necessitas, controuersia eo redit, num consensus ille, qui in collatione imperii intercedit, habeat rationem *causae*, an *conditionis sine qua non?* Quamcunque autem hic quis eligat sententiam, mihi quidem perinde esse potest, cum certus sim, saluam prorsus fore summorum imperantium maiestatem, auctoritatemue, siue *causam* dixeris subiectorum consensum, siue *conditionem sine qua non.* Nec enim aut imperandi potestas, aut necessitas obediendi a metaphysicorum istis subtilitatibus pendet, apud quos magnis olim animorum motibus disputatum meminimus, an *conditio*

ditio sine qua non, quam & nonnulli *causam sine qua non* vocant, inter causas veras locum promereatur, adfirmantibus quidem aliis, aliis abnuentibus. Quod si illorum nunc, qui adfirmant, partes amplecti luberet, illi ipsi, qui concedunt, consensum in productione esse *conditionem sine qua non*, non possent etiam non fateri, consensum inter causas producti imperii referendum esse. Et sane consensum non plane inefficacem esse, sed ad productionem imperii reuera aliquid conferre, iam ex supra dictis liquet. Quicquid tamen huius sit, & quocunque tandem modo consensum spectes, siue pro causa eum habeas, siue saltem pro conditione sine qua non, id mihi quidem perinde esse potest, modo concedatur, imperium praeuio consensu subiectae partis oriri, adeoque non *immediate*, sed *mediate*, si spectetur, prout actu in hominibus existit, a Deo originem habere. Quod dum asseritur, vox *mediate* in sensu naturali & proprio accipitur, cum mediate ab alio originem trahere dicatur, quod intercedente alio ab eodem prouenit. Sic omnes homines, quotquot ab Adamo naturali origine descendunt, Deum ipsum ceu causam, auctorem, & patrem suum merito venerantur, non tamen immediate ab eo originem habent, sed me-

diate per parentes, a quibus procreantur. Pari ratione imperium a Deo mediate originem trahit, vt tamen Deus sit maneatque causa eius praecipua & principalis, cum non tantum statum ciuilem adprobaverit, confirmaueritque, adeoque & iusserit, vt subiecti imperantibus obsequantur, sed & singulari ratione res mortalium dirigat, vt in certam familiam aut certas personas, summa illa potestas dignitasque conferatur. Quare & cum Paulo apostolo profitemur: *οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν. Rom. XIII. 1.*

Superest, vt expediamus, quae antea de fundamento & origine moralitatis attigimus, sitne ea ex lege diuina tantum, an vero etiam, & quidem praecipua quadam ratione, ex ipsa natura & indole actuum humanorum repetenda? Fateor enim & ego, nondum hactenus me adduci potuisse, vt sententiae, nec in ratione recta, nec in scriptura sacra, vt ego quidem existimo, fundatae, subscriberem. Eam vero, quae nimirum in ipsis hominum actibus moralitatem quaerit, neutiquam scholasticorum demum cerebro editam, sed in antiquissimis sapientum scholis ortam, haud abnuo. Sed quinam illi sapientes? Haud dubio ethnici. Idque dum mecum expendi, in men-

mentem venit, haud incommode de ista sententia dici posse, quod iureconsultus quidam suo merito illustris, de communione primaeua bonorum ab HVGONE GROTIO & SAM. PVFENDORFIO, sed diuersa ab vtroque ratione, asserta, pronuntiauit, eam a gentilibus effictam, a scholasticis securius esse receptam. Quod cum forte quibusdam dubium aut obscurum videri possit, liceat mihi, pace dissentientium, in primam huius sententiae originem inquirere. Videbunt enim tum, ni fallor, in hac ipsa sententia ethnicismi vestigia, non temere homini christiano probanda, contineri. Nimirum, cum religio gentilium superstitione & idololatria ita corrupta esset, ac deprauata, vt in cultu illorum publico nihil sani aut sobrii supereſſet, illi, qui ingenio & doctrina ceteris praestabant, sapientesque videri volebant, in alterum extremum prolapsi sunt. De rerum enim naturalium causis ita philosophabantur, vt causam efficientem primam seu Deum inde prorsus remouerent, aut cum materia vel confunderent, vel tam arcto vinculo connecterent, vt omni prorsus priuarent libertate. Vtroque autem modo apertam ad atheismum pandebant viam. Fidenter enim, & rationibus omnibus probe circumspectis, dico, vix vllum ex gentilibus philosophis

losophis fuisse, qui ab atheismi crimine liberari queat. De Ionica secta hoc iam dudum asseruerunt alii; de Eleatica, ex qua Democritus & Epicurus, hoc manifestum; de plerisque, qui ex Socratica disciplina prodierunt, Peripateticis, Stoicis, reliquis, facili hoc comprobari negotio potest. A Graecis autem Romanos sua accepisse, constat. Atque haec cum ita se haberent, ne cum religione, virtutum omnium vsu sublato, humanae quoque societatis tolleretur vinculum, ipsaeque tandem collabascerent respublicae, necessitate quadam compulsi, virtutes tum reliquas, tum maxime iustitiam a religione seu pietate prorsus seiungere, e re sua esse duxerunt. Hoc enim vnicum hominibus nullam religionem agnoscentibus supererat, vt, ne cuncta corruerent ac pessum irent, contenderent, rationem ipsam dictare, quae iusta, quae honesta sint, haec admittenda & consectanda esse, etiamsi non sit Deus, etiamsi nec virtutis expectanda sint praemia, nec metuendae peccatorum poenae, vel, quod perinde est, dari actus per se bonos, & per se malos seu turpes. Ita remouendus ex scena humanarum rerum Deus rerum omnium arbiter & iudex erat, ita atheismo & impietati feneſtra aperienda, persuadendumque mortalibus erat, etiam-

etiamsi Deus non sit, posse tamen respublicas consistere, cum honestas ac iustitia, ipsa actuum humanorum indole, non lege quadam, aut voluntate Dei, nitatur. Vnde & gentiles philosophi virtutes ita suadere plerumque hominibus solent, vt Dei aut religionis in illis nulla habeatur ratio. Acute & eleganter hoc obseruauit clarissimus apud Basileenses theologus, SAMVEL VVERENFELSIVS, * cuius verba, cum nostram mentem accurate exprimant, hic adferre me non piget. *Hoc vt pateat*, inquit, *obseruandum ante omnia est, gentiles philosophos, cum virtutem hominibus suadent, plerumque omittere praecipuum & vnicum ad eam incentiuum, id est, Deum & religionem. In plerisque enim philosophorum libris, qui de virtute, de summo bono, de officiis agunt, tantum non perpetuum deprehendimus de Deo & religione silentium: quasi virtus nihil ad Deum attineret, Deus nihil ad virtutem conferret. Et sane mirum non est, eos publicas religiones ad hanc rem non adhibuisse, quae nihil aliud fuerunt, quam colluuies impurorum & impiorum rituum, quibus Deos sceleratos & seipsis peiores placare volue-*

* *in dissertatione, de incitamentis ad virtutem in sacra scriptura propositis*, quae septima est *in sylloge* eius *dissertationum theologicarum, p. 245.*

voluerunt, atque idcirco aptiores erant ad homines deteriores reddendos, quam meliores, &c. Idem auctor hoc confirmat testimonio LACTANTII,* quod itidem hic legisse forte poenitebit neminem: *alii sunt* (apud gentiles) *professores sapientiae, per quos ad Deos non datur aditus: alii religionis antistites, per quos sapere non discitur. Si quando fit, vt philosophus suscipiat sacerdotium, non tamen ideo coniuncta est cum religione philosophia, sed philosophia inter sacra cessat, & religio, quando philosophia tractatur.* Turpiter hinc etiam se traduxerunt, qui inter virtutes Aristotelicas pietatem inuenire voluerunt, cum hoc contra scopum Stagiritae fuerit, & contra communem etiam gentilium philosophorum sententiam, qui, hominem beatum omnibusque virtutibus exornatum esse posse, putarunt, etiamsi sit atheus, aut, Numinis nulla cura tangatur. Nec est, quod mihi Stoicorum, aliorumque, splendida effata, *Deum sequendum, Deum imitandum esse*, obiicias. Summa enim hisce tegebatur impietas, cum Stoici per ipsum, Deum nihil aliud, quam mundum, aut, partem eius, animam, scilicet, indissolubili vinculo cum materia connexam, intelligerent, vt sensus esset, vt in mundo inelu-

* *de vera sapientia, cap. III.*

eluctabili fati lege omnia peraguntur, ita viro sapienti omnia constanti animo perferenda esse, cum mutari, quae eueniunt, nequeant. Hoc illis erat: *imitari Deum, sequi Deum.* Haec omnia qui secum accurate expenderit, facile intelliget, cur gentilium philosophi in eam deuenerint sententiam, posse hominem iustum & honestum esse, etsi nullum admittat Deum, adeoque fundamentum iustitiae & honestatis in ipsa natura hominis rationali, seu indole actuum humanorum, quaerendum esse. Vnde & illud scholasticorum assertum fluxit, ius naturae locum habere, etiamsi ponatur, non esse Deum, quod, vt alia quaedam, incaute ac improuide ab illis accepit, atque adoptauit, HVGO GROTIVS, reprehensus ideo ab aliis. Quo iure autem in scenam producta sit, tamque acriter a quibusdam defendatur ista sententia, aliis arbitrandum relinquo.

Video equidem, qui secus sentiunt, hoc nobis obiicere, quod atheis, aliquid moraliter bonum aut malum esse, probari nequeat, siquidem moralitas omnis vnice a lege diuina deriuetur. Qui omnem, inquiunt, moralitatem a lege diuina repetunt, neque eo minus tamen omnibus se sua scripsisse iactitant, quamcunque habeant de religione opinionem, illi viderint, quibus argumentis, moraliter aliquid

aliquid bonum aut malum esse, probent, hominibus, Numen nullum, hocque ipso nec legem vllam diuinam agnoscentibus. Quibus verbis eos notari existimo, qui secundum rationis principia ius naturae euoluentes, id ita tradi debere, censent, vt non christiani tantum, sed &, qui scripturae sacrae auctoritatem non agnoscunt, illud admittere cogantur. Neque tamen, vt puto, atheos eorum numero comprehendunt, qui hac ratione ad legum diuinarum obseruantiam adduci possint, saltem si recte philosophari cupiunt, comprehendere nequeunt. Vtique enim ineptum esset, si quis crederet, condoceri homines, quid leges diuinae exigant, posse, qui, Deum ipsum negando, leges quoque diuinas non admittunt. Sed aduersae tamen, inquis, sententiae haec praerogatiua est, quod per eam atheis, moraliter aliquid bonum aut malum esse, persuaderi queat. Enimuero credisne, te homini veritatem omnium maxime euidentissimam, qua euidentior nulla dari potest, esse Deum, neganti, persuasurum aliquid, quod si non falsum, certe admodum est obscurum. Illud enim, *per se turpe* & *per se bonum* eiusmodi est, vt nec perspicacissimi, quid illud demum sit, explicare valeant. Ponamus autem, atheum eousque adduci posse, vt credat, aut credere

credere se dicat, aliquid per se malum, aut honestum esse, ecquid inde tibi promittis emolumenti? Num putas atheum ideo etiam reuera & bona fide consectaturum, quae bona sunt, quae mala, euitaturum? Hoc vt credam, nunquam ab animo meo impetrare possum. Ea enim hominum sibi relictorum, nec diuina gratia colluſtratorum, est indoles, vt si poenae metum spemque praemii tollas, nemo sincere ea agat, quae recta ratio postulat. Atheus autem dum Deum negat, nihil, quod metuat aut speret, sibi relictum esse, existimat. De diuinis nimirum, non humanis, loquimur legibus. Humanis enim legibus athei interdum se submittunt, non quod iis se obligari putent, sed ad poenam humanam euitandam. Interim hypothesis illa dissentientium non potest non atheis esse gratissima. Disputatum saepius, & nostra quoque aetate, fuit, an athei in republica sint tolerandi? quiue hoc negarunt, inter alia & hocce recte argumento vsi sunt, quod athei nullo legum diuinarum humanarumque vinculo teneantur, adeoque mortalium sint perditissimi, & ad quaevis designanda, quibus reipublicae turbatur tranquillitas, paratissimi, immo quod homines sint inimici omnis honestatis, cuius tantum speciem cupiditatibus suis ob-

tendant, vt poenas promeritas effugiant. Hocce argumentum facile eludet, qui atheorum causam agere cupiat, dicendo, perinde esse, siue quis credat, humanis se teneri legibus diuinisque, siue iis non teneri, cum persuasio illa, per se aliquid malum aut turpe esse, vt aliquis vir honestus bonusque ciuis sit, sufficiat. Scio omnino dissentientes animo esse tam ingenuo, vt omnem atheismi impietatem toto pectore detestentur. Cogitent ergo, quid statuere tandem velint de sententia, quae commoda haud exigua atheismo adfert.

Interea tamen, inquis, non diffitentur iidem, qui moralitatem a lege derivant, in actibus quibusdam hominum, submota quamuis Dei lege, omnino deprehendi aliquid, quod eos non patiatur finibus teneri solorum naturalium motuum, inque eo ipso fundamentum esse positum legis vel praecipientis vel interdicentis. Mihi vero non constat, quinam illi sint, qui hoc non diffiteantur, vt adeo non admodum me hac de re sollicitum esse oporteat. In actibus equidem humanis aptitudo quaedam est ad moralitatem recipiendam, quia sunt voluntarii, quo nomine ab actibus brutorum multum differunt. Ex humanae etiam naturae consi-

dera-

deratione facile intelligitur, conueniens admodum esse, vt praeciperetur, quod a Deo praeceptum est, & interdiceretur, quod interdictum est. Inde tamen nulla necessitas hoc agendi, aut omittendi illud, vnde moralitas demum oritur, nisi lex diuina accesserit. Et licet verum sit, quod falsum & verum sua natura secum pugnent, vt quod verum est, non possit esse falsum, sicut vice versa quod falsum est, non potest esse verum, parique ratione quod bonum est, non possit esse malum, & vice versa: supereſt tamen quaestio, vnde proueniat obligatio, ad amplectendum bonum, malumue fugiendum? Et licet, quod contradictoria secum simul stare nequeant, ex ipsa rerum natura & indole petendum sit, non tamen perinde de moralitate, seu quod aliquid bonum aut malum sit cum effectu morali, censendum. Aliae etiam sunt quaestiones, an aliquid, quod bonum est, malum simul esse queat? &, vnde proueniat, quod necessitate quadam morali ad bonum consectandum, fugiendumue malum, obligemur? Haec vero obligatio citra controuersiam a lege diuina est. Ita, si porro quaeras, vnde necessitas moralis legi diuinae obsequendi oriatur? respondeo, id ex eo esse, quod in ipsa lege diuina hoc continetur. Nec vlterius vt progrediamur

diamur necesse est, vt adeo nullus metus adsit, ne ita circumagamur in orbem, nec aliam aliamque legem, quarum vna causam, cur alteri parere debeamus, contineat, quaerendo, tandem non inueniamus vbi consistamus. Quamprimum enim homo intelligit, hoc vel illud lege diuina sancitum aut interdictum esse, intelligit etiam, illud sibi faciendum, hoc intermittendum esse. Quod si pergas quaerere, cur itaque faciendum aut omittendum sit, quod lege diuina aut praeceptum aut interdictum, superuacaneam hanc quaestionem esse puto, cum ipsa pariter legis ac Dei notio hoc vnumquemque condoceat, diuinis legibus parendum esse. Hic ergo, cum intelligimus, lege diuina aliquid praeceptum aut vetitum esse, subsistendum, cum inde sua sponte sequatur, huic sanctioni omnino parendum esse. Denique, si quis amet Deum, quia est summum bonum, si colat, quia summa eius est potentia pariter ac sapientia, is recte quidem agit, sed si lex non esset, non peccaret, si hoc non faceret. Quod morali itaque vinculo ad hoc etiam obstrictus sit, id omnino a lege est. Omnis itaque moralitas est a lege.

Haec eum in finem expossui, vt dissentientes intelligant, non temere eam, quam

quam defendo, me elegisse sententiam, eamque iustis prorsus suffultam rationibus, nec quae allata hactenus sunt, tanti esse, vt ad eam mutandam me inducere queant. Per me ceteroquin vnicuique fas fuerit, eam amplecti sententiam, quam maxime veritati conuenientem duxerit. Sequantur alii, per me licet, sapientes ethnicorum, PLATONEM, ARISTOTELEM, CICERONEM, SENECAM, quoscunque voluerint: sequantur, si placeat, PETRVM LOMBARDVM aut THOMAM DE AQVINO; non repugno: modo & mihi sequi liceat CHRISTVM SERVATOREM, MOSEN, PAVLVM, ceterosque apostolos. MOSES hominibus quid turpe, quidue honestum sit ostensurus, leges illis diuinas proponit. *Exod. XX.* CHRISTVS idem facturus non de iis, quae per se turpia sunt aut honesta, philosophatur, sed leges diuinas explicat & interpretatur. *Matth. V. 20. seqq.* PAVLVS de peccatorum agnitione sollicitus non ad naturam actuum humanorum nos ablegat, sed ad legem diuinam; non dicit, turpe est aliquid, quia per se est turpe, sed: *peccatum non nossem nisi* PER LEGEM. *Nam cupiditatem nescirem, nisi diceret* LEX: *ne concupiscito Rom VII. 7.* Suffragatur & IOANNES, qui peccatum non per id, quod per se turpe, sed per *ἀνομίαν, illegalitatem*, si ita loqui liceat, hoc est id, quod legi non con-

conuenit, describit. *I. ep. III. 4.* Rationis denique rectae placita si aduocare liberet, nec ea contra nos militare, demonstrari posset. Sed id abunde iam & luculenter fecit celeberrimus academiae nostrae philosophus, IO. IACOBVS SYRBIVS, * quem adeat, qui plura hac de re cupit.

Vt ad ipsam tandem de *concordia religionis christianae statusque ciuilis*, dissertationem, redeam, fuerunt etiam, qui sibi persuaderent, aut aliis persuasum cuperent, me in vltimo eius capite nonnulla, quae Anabaptistarum, similiumque hominum, causae fauerent, scripsisse. Sed apertam eos mihi facere iniuriam, ipsa huius capitis lectio quemuis condocere potest. Nihil enim ibi aliud egi, quam vt mentem illorum sententiamque ingenue exponerem, ostenderemque, quae nonnulli seculo decimo sexto, qui eodem nomine veniunt, docuerunt, aut designarunt, non posse illis tribui, qui recentiori aetate vixerunt, & scriptis pariter ac vitae ratione demonstrarunt, se illorum aut facta aut dogmata nullatenus comprobare.

Ego

* *in der ausführlichen abfertigung &c. p. 89. seqq.*

Ego vero puto, id viri honesti, multo magis christiani esse, cum omnibus hominibus, maxime etiam cum aduersariis, quibuscum controuersiae nobis intercedunt, sincere agere. Vnde sequitur, nihil illis tribuendum, aut affingendum esse, quod non agnoscunt, adeoque sententiam illorum ingenue exponendam, & proponendam esse. Quod si hac in re peccaui, cur iraſcimur Romanensibus, aut aliis, quod subinde talia nobis tribuant, dogmata, quae nemini nostratium quandoque in mentem venerunt? Quod tibi itaque non vis fieri, id alteri quoque non feceris. Expositа itaque aduersariorum, sententia, in iis capitibus, quae ad nostrum spectabant institutum, quaestionem institui, an ea quae docent, v. g. de magistratu non temere susciendo, de bellis, de iure iurando, & quae reliqua sunt, saluti ac tranquillitati reipublicae aduersentur? Cumque non aduersari dixi, num, ideo ipsas illas sententias adprobaui? Immo tantum abest vt adprobauerim, vt, potius ceu erroneas, & verbo diuino aduersantes, reiecerim & etiamnum reiiciam. Distinctae illae quaestiones sunt, verane aliqua sit sententia an falsa? &, an statui ciuili perniciem adferat nec ne? Qui posteriorem negat, quod scilicet sententia,

quae-

quaedam statui ciuili pernicioſa cenſeri debeat, non ſtatim dicit, eam veram eſſe. Sed cum alibi iam hac de re mentem meam expoſuerim, nihil addo. Multo minus reliqua, quae nonnullis perperam dicta viſa fuerunt, attingam, cum nebulas iſtas, quas innocenter dictis offundere voluerunt, ſolerter atque ſolide diſcuſſerit, quem antea iam laudaui, excellentiſſimus huius academiae profeſſor, IO. IACOBVS SYRBIVS *. De reliquis, quae in hoc faſciculo continentur diſſertationibus, quod moneam, non habeo. Vale itaque lector beneuole, & mihi porro faue.

DE

* *l. c. p. 426. ſeqq.*

DE CONCORDIA RELIGIONIS CHRISTIANAE STATVSQVE CIVILIS

DISSERTATIO POLITICA

HABITA HALAE SAXONVM

DIE X. IAN. MDCCI.

RESPONDENTE

CAROLO LINDE,

SEDINENSI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0061

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0062

I





II





IV





III





V





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0064


NGERM. PR. FINL: DUX ET HON. ET CAR


GVSTAVVS ADOLPHUS D G: SVEC. GOTH: VAND: RE:
CAP VNDAM VI NOVEM 1632
EZECH: AM XXXVII.


DIVINA METAMORPHOSIS
EXHIBITA PRAGÆ
XV. IAN: AÕ MDCXLVIII
IN PRÆ SENTIA
SACCÆS MAIESTAT
FERDINANDI
TERTII.


A NUMINE LUMEN
SUSCIPIO GO I 1687 ET REDDO


NACH DENALTEN SRO

CAP. I.

Σύνοψις.

Christianam religionem reipubcae noxiam esse, subinde ab eius aduersariisei obiicitur : sed perperam, §. I. Contrariunenim probatur ex eius natura & indole, §. II Imo quod ad rerumpublicarum conseruationem plurimum conferat, probatur ex eo, quod honori & auctoritati imperantium egregie consulat, §. III. IV. Et ciues illis obtemperare doceat, §. V. at in licitis & honestis, §. VI. Imperantium quoque officia rite designet §. VII. Vlterius hoc vt demonstretur, supponitur, praecipua rerumpublicarum mala & incommoda ex hominum vitiis, auaritia, ambitione, & voluptatis cupiditate procedere, §. VIII. Sigillatim ostenditur, quae in rempublicam redundent incommoda ex voluptatis cupiditate, §. IX. ex ambitione, §. X. ex auaritia, §. XI. Confirmantur dicta testimonio Salustii, § XII. Hisce vitiis medelam afferri, adeoque rerumpublicarum saluti consuli per religionem chri-

ſtianam, §. XIII. Hanc ſpeciatim occurrere ambitioni, §. XIV. auaritiae, §. XV. voluptatis cupiditati, §. XVI. Non tamen inde ſequitur, religionem chriſtianam eſſe tantum inſtrumentum dominandi, refelliturque Machiauellus, §. XVII. Grauius adhuc peccant, qui eam in inſtrumentum ambitionis, prauarumque ſuarum cupiditatum conuertunt, §. XVIII. item, qui vmbra quadam aut ſpecie religionis chriſtianae hunc in finem vtuntur, §. XIX.

§. I.

VAriis quidem ad opprimendam Chriſtianorum religionem, ſibi quippe maximopere inuiſam, & ad regnum, quo ſe effert & iactat, deſtruendum, vnice comparatam, vſus eſt machinationibus infernalis genius: ſed nihil tamen illi frequentius fuit, quam per improbos homines, aſſeclas ſuos atque miniſtros, Chriſtianos apud principes rerumque dominos in eam adducere ſuſpicionem, ac ſi talia docerent, aut agerent, per quae respublica ſalua atque incolumis eſſe non poſſit. Videtur enim improbis breuiſſima haec ad Chriſtianos probosque viros perdendos via eſſe. Ita quippe non tantum principes acri odio erga eos incendun-

duntur, cum suas res tamdiu saluas esse facile vident, quamdiu salua est respublica, & ciues nihil aliud, quam parendi gloriam sibi relictam credunt, sed insimul causa valde speciosa, quam odio suo obtendant, illis suppeditatur. Rationi enim, veraeque religioni e diametro aduersatur, quicquid rerumpublicarum ad humani generis salutem & felicitatem institutarum, tranquillitati repugnat: vnde, qui in suspicionem veniunt, quod ea doceant aut agant, quae cum saluberrimis hisce institutis non conveniunt, non possunt non grauissimorum criminum, poenis acerbissimis expiandorum, rei censeri. Et videtur sane ipse servator noster Iesus Christus suo exemplo demonstrasse, & suis praesignificasse, haec semper illorum in hocce terrarum orbe fata fore. Namque cum eius inimici reliquis accusationibus apud PONTIVM PILATVM parum proficerent, hoc demum longe efficacissimum protulerunt argumentum, eoque animum eius flexerunt, & ad suas pertraxerunt partes, quod regem se dixisset, seque adeo ad res nouas moliendas paratum, hoc ipso subinnuisset. Per omnia deinceps secula subinde iis, qui Christi disciplinam accurate secuti sunt, similia sunt obiecta; adeo, vt nec hodie desint, qui, christianismo non satis cum ciuili statu conuenire, & sibi & aliis persuadere conan-

tur. Operae itaque pretium me facturum arbitror, si, quicquid hic in disceptationem venit, paulo diligentius excutiam, firmissimisque & luculentissimis rationibus demonstrem, Christianorum religionem & disciplinam non tantum statui ciuili non esse aduersam, sed ad eum conseruandum cumprimis aptam.

§. II. Non operose autem, hoc vt efficiamus, nobis conquirenda sunt argumenta. Ipsam enim indolem religionis christianae qui contemplatur, eiusque summam animo complectitur, statim intelliget, nihil in ea, modo recte se habeat, contineri, quod vllo modo ciuili repugnet statui. Etenim huc cuncta redeunt; agnoscenda est vnicuique, qui tam augusto nomine, quod a Christo magistro accepit, non vult indignus esse, summa, quae mentem eius, voluntatem pariter ac intellectum, circumstat miseria, per primorum parentum, a quibus originem ducit humanum genus, scelus, in omnes eorum posteros deriuata, quae tanta est, vt nemo mortalium eam aut cogitationibus suis assequi, aut verbis eloqui possit; agnoscenda est haec miseria, per quam in eam detrusus homo est conditionem, vt iam per se nihil agere, nihil cogitare, nihil velle aut concupiscere possit, quod non sanctissimi Numinis voluntati sit aduersum, & quo non suam ipse indies adaugeat cala-

mi-

mitatem: deinde vero, si per Numinis gratiam animum eius seria incesserit cupiditas ex hisce malis eluctandi, vt iam istas humanae vitae sordes detestetur, magnoque percitus sit dolore, quod iis tamdiu immoratus sit, ex diuinarum literarum praescripto Christum redemtorem respicere, & ad eum vera confugere fide debet, vtpote hunc in finem a Deo missum, vt suo sanguine hominum expiaret scelera, diuinamque illis promereretur gratiam, qua adiuti expedire se tandem ab istis prauarum cupiditatum, quibus constricti tenebantur, vinculis possent. Qua ratione cum mentem voluntatemque mutarunt, id illis serio elaborandum est, ne seculi contagio noua contrahant vitia, aut in pristina reuolvantur crimina, sed vt precibus aliisque exercitationibus spiritualibus reluctantes, & subinde nouum istud iugum quatientes cupiditates doment & subigant, & ita continentiae, modestiae, patientiae, tolerantiae, iustitiae, aequitatis, ceterarumque virtutum ad ciuilem quoque vitam apprime necessariarum, exempla omnibus praeeant. Haec summa est & religionis & disciplinae Christianorum. Ecquid autem in ea deprehenditur, quod statui ciuili, quod saluti reipublicae repugnet? omnia eo tendunt, vt cupiditatibus frenatis homines caste, temperanter, pie, & iuste viuant,

quo ipso vera eorum felicitas absoluitur. At istud statui ciuili repugnare, nemo dixerit, nisi qui rationis omnis plane fuerit expers.

§. III. At vero non tantum christiana religio atque disciplina statui ciuili non nocet, sed ad eius etiam conseruationem plurimum confert. Positum nimirum est apud omnes extra controuersiam, eam rempublicam felicem atque beatam dicendam esse, in qua imperantibus sua constat auctoritas, ciuesque dicto illorum sunt audientes, & vice versa, imperantes muneris sibi demandati partibus rite funguntur. Vtrumque autem facile obtinebitur, si religionis christianae decretis stare velint homines. Etenim, quod ad prius attinet, per diuinarum literarum oracula vel inter praecipua Christianorum officia hoc quoque est, iustis imperantium obtemperare mandatis, diuinamque illorum agnoscere originem. Nefas enim est, vel latum discedere vnguem ab illo apostoli: *Omnes mortales superioribus potestatibus pareant. Nulla est enim potestas, nisi a Deo, ac quae sunt potestates, eae a Deo sunt institutae. Itaque qui potestati repugnat, Dei institutioni restitit, quique restiterint, poenas dabunt. Non enim recte factis metuendi sunt magistratus, sed praue factis. Vis potestatem non timere, benefacito, & ab ea laudem consequeris. Nam Dei minister est, tibi quod sit bono.* Rom.

Rom. XII. 1. 2. 3. 4. Diuinam ſupremae poteſtatis inſtitutionem hic praedicat apoſtolus, & merito quidem, ipſa ſuffragante ratione. Namque cum Deus ſumme bonus ſit, perque ſuam naturam non poſſit non homines tenerrimo proſequi amore, certiſſimo argumento inde colligere licet, eum omnia ea approbare inſtituta, ſine quibus ſaluum eſſe hominum genus nequit: cuiusmodi quidem omnium confeſſione ſunt ciuitates atque respublicae, quae conſiſtere non poſſunt, niſi eſſent, qui imperantium munere atque officio fungerentur. Iam vero ſi ciuibus hoc firmiter perſuaſum ſit, a Deo ipſo conſtitutos eſſe ſummos imperantes, & diuinae legi reluctari eos, qui imperantibus obtemperare nolint, palam eſt, ad obſequium, quae praecipua ciuium virtus eſt, eos longe fore promtiſſimos. Faceſſant procul artes illae politicorum, & fraudes & ſtrategemata, quibus continere in officio ciues allaborant. Hoc vnum ſufficit, ſi credant, certoque ſibi perſuadeant, a Deo conſtitutos eſſe principes rerumque dominos: haec perſuaſio ſi eos in officio non contineat, aut me omnia fallunt, aut nulla inueniri ratio poteſt, quae reluctantes atque feroces coercere animos queat. Ita autem hoc inculcat apoſtolus, vt omnem elabendi viam improbis, atque immorigeris obthuret. Non dicit: *omnis po-*

testas est a Deo, sed: *nulla est potestas, nisi a Deo*, vt innuat, nullam omnino potestatem inter homines conspici, quae non Deum agnoscat auctorem: non tantum supremos imperantes, sed eos etiam, qui supremorum imperantium vicem gerunt, hoc ipso, quod potestate quadam gaudent, diuina quoque auctoritate esse munitos. Nec saltem dicit: *potestatem illam esse a Deo*, sed addit: *eam esse a Deo institutam*, illis occurrens, qui forte existimare possint, permissam quidem esse a Deo hanc inter homines potestatem, neutiquam autem approbatam. Namque & peccata Deus permittit, quae tamen illi non placent. At potestatem, qua imperantes gaudent, ita approbat, vt eandem instituisse a diuino viro dicatur. Nihil ergo relinquitur immorigeris, quo se tueri queant, sed effato tam claro, tam luculento, ad diuinam imperantium omnium, qua talium, originem agnoscendam, compelluntur.

§. IV. Sunt nunc & alia scripturae sacrae oracula, quibus idem quam diligentissime inculcatur. *Proverb. VIII. 15.* sapientia aeterna, hoc est filius Dei, *per me*, inquit, *reges regnant & principes decernunt iustitiam, per me principes habent principatum, & euergetae sunt omnes iudices terrae.* Idem docet Nabuchodonosarum Daniel vates sanctissimus: *Est nomen Dei in secula benedictum, quia sapientia*

tia & fortitudo est ipsius: ipse mutat tempora & aetates, ipse remouet reges & stare facit reges, dans sapientiam sapientibus, & scientiam intelligenti disciplinam; cap. II. 20. 21. Quibus effatis non id tantum, vt patet, indicatur, Deum generatim rerumpublicarum institutionem, comprobando simul potestatem, qua imperantes gaudent, ratam habere, sed hoc etiam, quod praecipue ad venerationem imperantibus apud ciues conciliandam pertinet, Deum singulari ratione ad huius aut illius principis constitutionem, ciuium animos flectendo, aut alia ratione causas eo spectantes dirigendo, concurrere, vt vnusquisque imperantium fateri necesse habeat, a Deo se fasces, atque dignitatem, qua condecoratus est, accepisse.

§. V. Quemadmodum autem religio christiana honori & auctoritati imperantium praeclare admodum consulit; ita eadem a ciuibus obsequium erga eos exigit. Nec fieri aliter potuit. Namque si magistratus a Deo ipso sunt constituti, necesse est, Dei legem violent, qui illis morem non gesserint. Sed extant praeterea quamplurima diuinarum literarum oracula, quibus idem inculcatur. PAVLO apostolo Romanos adhortanti, *vt omnes mortales superioribus potestatibus pareant*, suffragatur PETRVS: *Itaque omnibus parete personis humanis propter Dominum: & regi, vt potestate pollenti: prae-*

praetoribus, vt ab eo tum ad maleficorum vltionem, tum ad beneficorum laudationem, missis. Nam ea est Dei voluntas, vt recte facientes amentium hominum ignorantiam compescatis. I. ep. cap. II. 13. 14. 15. Rursus idem apostolus PAVLVS *in epistola ad Titum cap. III. 1. commonefacito,* inquit, *eos, vt magistratibus ac potestatibus pareant, & imperata faciant, & ad omne rectefactum parati sint.* Vt nunc taceam veteris testamenti & effata & exempla, ex quibus diuini Numinis voluntas, & Christianorum huic se attemperantium sententia, nemini obscura esse potest. Et quid opus est multa congerere? quandoquidem ipse seruator CHRISTVS, caput & princeps illorum, qui ab eo nomen retulerunt, clarissime suos edocuerit, quid eos & sentire & facere velit, rem omnem paucis complectendo verbis: *date Caesari, quae sunt Caesaris, ac Deo, quae Dei sunt. Matth. XXII. 21.* Id potius saltem obseruamus, non sine sapientissimo Numinis consilio factum esse, vt toties tamque claris & disertis verbis haec eadem res in diuinis literis repetatur. Ita enim eo facilius non tantum illis, qui christiana doctrina ad humanas societates dissoluendas euertendasque abutuntur, sed iis quoque, qui forte Christianis eiusmodi placita tribuendo, saeuire in innocentes audent, obuiam iri poterit.

§. VI. Dum autem christiana religio a ciui-

ciuibus obsequium exigit erga imperantes, iisdem illud circumscribit limitibus, quos & recta ratio ei constituit. Haec namque in iustis licitisque postulatis obedire imperantibus praecipit, neutiquam autem in iis, per quae diuinae violantur leges. Vt enim imperantibus ciues, ita Deo imperantes subsunt, nec vlla ratione efficere possunt, vt irritum sit, quod a Deo semel constitutum est atque sancitum. Proinde recte dictum est: *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Actor. V. 29.* Et rursus: *Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, iudicate. Act. IV. 18.* Atque ipse servator, cum intelligeret, quam proni mortales essent ad alterutrum extremum, quamque difficile in medio sit consistere, cum dixisset: *date Caesari, quae sunt Caesaris*, statim addit: *& quae sunt DEI, DEO. Reddenda*, inquit TERTVLLIANVS (a) *Caesari, quae sunt Caesaris: bene quod apposuit, & quae sunt DEI, DEO. Quae ergo sunt Caesaris? scilicet de quibus tunc consultatio mouebatur, praestandusne esset Caesari census, an non? ideo & monetam ostendi sibi Dominus postulauit, & de imagine, cuius esset, requisiuit, & cum audisset, Caesaris, reddite, ait, quae sunt Caesaris, Caesari, & quae sunt DEI, DEO, imaginem Caesaris Caesari, quae in nummo est, & imaginem DEI DEO, quae in homine est, vt Caesari quidem pecuniam*

(a) *de idololatr. cap. XV.*

niam reddas, DEO temet ipsum, alioquin quid erat DEI, si omnia Caesaris.

§. VII. Et ita quidem subditos atque cives religio christiana ad officii sui partes rite explendas erudit. Non minus tamen & imperantes muneris a Deo illis impositi accurate habere rationem, ad ciuium, totiusque reipublicae salutem, docet. Atque id quoque plane ad status ciuilis conseruationem est necessarium. Namque vt consistere ea respublica nequit, in qua imperantes quidem ea agunt, quae recta ab illis exigit ratio, ciues autem frenum mordent, legibusque iustis & aequis se coerceri non patiuntur: ita vice versa & illa respublica a ruina pernicieque prope abest, in qua cives ea, quae ad salutem reipublicae pertinent, facere non detrectant, at imperantes rerum suarum incurii sunt, aut suis saltem inuigilant commodis, ciuium suorum salutem, statusque ciuilis felicitatem, in minimis ponentes. Fieri autem profecto non potest, vt non bonus princeps sit, qui bonus verusque est Christianus. Hoc nomine enim is demum dignus est, qui omnes homines sincero prosequitur amore, quique adeo non suis sed aliorum commodis promouendis se natum credit, nihilque vnquam suscipit, quod iustitiae aut aequitatis repugnare legibus credit. Princeps autem, qui ita se gerit, facile ab omnibus im-

impetrabit, vt, non meliorem vel votis suis se fingere posse, sint professuri. Accedit tamen, quod subinde quoque diuinae literae demonstrent, quae imperantium in administranda rite republica sint partes. Lubens nunc praetereo exempla tum bonorum, tum malorum principum, quorum illi laudantur in diuinis literis, & promeritis condecorantur encomiis, hi autem vituperantur, aeterno dedecore, & per omne aevum duraturo illorum memoriae inusto. Namque praeceptis & admonitionibus sanctissimi viri rem istam satis expediunt. PAVLVS apostolus TIMOTHEVM suum hanc rem edocet quam apertissime: *Exhortor igitur primum omnium, vt fiant supplicationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro cunctis hominibus, pro regibus & omnibus potestate pollentibus, vt tranquillam quietamque vitam agamus, cum omni pietate ac grauitate. Hoc enim honestum est, nostroque seruatori Deo acceptum. I. Tim. II. 1. 2. 3.* Etenim hunc in finem supplicationes & preces pro imperantibus fieri cupit, vt ciues sub illorum imperio primo εὐσεβῶς, deinde σεμνῶς καὶ δικαίως, & denique ἡσυχῶς viuant. At qui ita viuere possent, nisi imperantes sui muneris partibus vbique rite & ex rectae rationis praescripto fungerentur? Hoc itaque est, quod apostolus in votis habet, & religioni christianae quam conuenientissimum ducit.

§. VIII.

§. VIII. Manifesta quidem haec sunt, nec cuiquam vllam dubitandi causam relinquunt. Nihilosecius vt eo fortius hoc omnibus persuadeatur, eam demum rempublicam felicem atque beatam dicendam, in qua vera religio christiana, quae doctrina non minus pura, quam vita sancta moribusque integris absoluitur, floreat, rem omnem ex ipsis fontibus paulo altius repetemus. In causas itaque mutationum, quibus respublicas obnoxias esse videmus, omniumque morborum ciuilium, quibus laborant, paulo accuratius inquirentes, illos quidem, qui aut ab siderum influxu, aut numerorum ratione, aut nescio qua fatorum ineluctabilium lege eas repetunt, suo abundare facile patimur sensu. Non est, vt ad tam remota nos recipiamus, cum propiora, vnde rem omnem arcessere licet, in promptu sint. In ipsis hominibus, vt omnium malorum, ita & ciuilium morborum, qui rebus publicis haud raro vltimam perniciem afferunt, quaerendus fons est. Vitiorum autem, quibus mortalium animi obsidentur, quaeue ad statum reipublicae conturbandum omnino plurimum valent, cum magna sit varietas, omnia tamen ex vno veluti fonte, praua scilicet, quae omnes vexat, philautia, proueniunt. Huius autem tres praecipue sunt filiae, eaedemque vitiorum omnium, quae humano

no generi incumbunt, & quicquid in orbe est miseriarum ac calamitatum, illi attrahunt, matres, auaritia, voluptatis cupiditas, atque ambitio. Atque ex his omnes rerumpublicarum omnium mutationes conuersionesque, totamque malorum omnium, quae statum ciuilem conturbant, prouenire cohortem, id quidem nunc paucis nobis demonstrandum est.

§. IX. Atque ad voluptatis quidem, vt ab ea ordiamur, quod attinet, cupiditatem, eam, siue imperantium siue ciuium eius veneno afflati sint animi, reipublicae admodum noxiam esse, nemo forte, qui vnquam serio rerum humanarum conditionem secum voluerit, abnuet. Esto princeps ventri gulaeque deditus, dies noctesque inter epulas & impuros amplexus transigens, incuriusque rerum omnium ad statum ciuilem spectantium, ecquae demum rerum sub eo erit facies? Talis, ni fallor, qualem sub CARACALLA, HELIOGABALO, atque GALLIENO, Romae fuisse, historicorum produnt monumenta. Vnicum hic saltem proferre testem iuuat TREBELLIVM POLLIONEM, (b) qui mala, quae per Gallieni ignauiam Romano incubuerunt imperio, explicat diserte, iisque ordine enumeratis, addit: *Denique quasi coniuratione totius mundi, concussis orbis partibus, etiam in Sicilia quasi*

(b) *in vita Gall. cap. IV. & V.*

quoddam seruile bellum extitit, latronibus euagantibus, qui vix oppressi sunt. Et haec omnia Gallieni contemptu fiebant. Neque enim quicquam est ad audaciam malis, ad spem bonorum promptius, quam cum vel malus timetur, vel dissolutus contemnitur Imperator. Et paucis interiectis: *Saeuiente fortuna cum hinc terrae motus, inde hiatus soli, & diuersis partibus pestilentia orbem Romanum vastaret, capto Valeriano, Gallis parte maxima obsessis, cum bellum Odenatus inferret, cum Aureolus peruagaret Illyricum, cum Aemilianus Ægyptum occupasset, Gothi & Clodius, de quo dictum est superius, occupatis Thracicis, Macedoniam vastarunt, Thessalonicam obsederunt, neque vsquam quies mediocriter salutem ostentare visa est. Quae omnia contemptu, vt saepius diximus, Gallieni fiebant, hominis luxuriosissimi, & si esset securus, ad omne dedecus paratissimi.* Impune nimirum ab hostibus vexabantur Romani, & quadrata miscebantur rotundis, diuinis humanisque conculcatis legibus, Imperatore interim genio suo strenue indulgente. Pauci forte occurrunt, ea ignauia atque mollitie, vt cum Gallieno similibusque comparari queant: sed hoc tamen facile quiuis intelligit, eo maiorem reipublicae calamitatem merito reputari, quo propius ad Gallieni indolem moresque accedunt imperantes, felicem saltem atque beatam sub eo demum dicendam, qui vt ceteris cupiditatibus, ita & voluptatibus modum finemque

finemque statuere didicit. Subditi autem si hoc vitio infecti sint, quod plerumque fit, si suo principes exemplo ad praua quaevis eos inuitent, itidem non possunt non grauissima inde in rempublicam redundare damna. Vt enim taceam, animos ac corpora voluptatibus eneruari, nullamque virtutem ab eo expectandam esse, qui voluptatibus indulget, paupertatem quoque certissimam luxuriae comitem eiusmodi homines sibi attrahunt, hanc desperatio tandem, animusque ad quiduis audendum paratus, rerumque nouarum cupidus, insequitur. Eiusmodi deinceps homines ad seditiones, tumultus, proditiones facili negotio se adduci patiuntur, vt non ab hoste quantumuis atroci grauius patriae immineat periculum, quam ab illis. Talem Catilinam, pestem illam Romanae reipublicae C. SALLVSTIVS CRISPVS nobis sistit (c) quem luxuria & voluptas in summam coniecerat egestatem, egestas autem ad grauissima scelera audacem reddebat. Tales & socii fuere Catilinae. (d) *Nam quicunque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene bona patria lacerauerat, quique alienum aes grande conflauerat, quo flagitium aut facinus redimeret, &c. postremo omnes, quos flagitium, e-*

(c) *de bello Catilinar. cap. XV.* (d) *l. c. cap. XIV.*

gestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinae proximi familiaresque erant.

§. X. Ambitio quos vexat gloriaeque inanis cupiditas, quantumuis vt viri fortes & strenui haud raro celebrentur, & prae ceteris in republica emineant, facinoribus etiam praeclaris eam cumprimis conseruare censeantur, ea tamen paulo accuratius considerata patebit, nunquam tot in rempublicam ab eiusmodi hominibus proficisci commoda, vt non per eos longe maioribus incommodis atque periculis exponatur. Etenim, si principum animos occupauerit ista pestis, hi, vt inter heroas tandem referantur, bellum ex bello serere, imperii dilatare & longe lateque proferre limites, & per hostium ciuiumque cadauera ad aeternum & immortale contendere decus, non pulcrum modo & honorificum, sed iustum quoque & honestum ducunt. Bellorum contra quicunque demum sit euentus, ciuibus non possunt non tristia esse, & admodum funesta. Fortunam enim si in iis parum fauentem habeat princeps, vita & bona ciuium hostium furori exponuntur, ciuium sanguine principum expianda sunt crimina: sin autem prospera vtatur fortuna, resque ex voto succedat, vt circumferre longe lateque victricia arma possit, rursus tamen vita ciuium in periculum adducitur, cum & secundis praeliis copiae atte-

atterantur: cumque sine pecunia geri bellum nequeat, ciuium est, parta multo sudore, vt vnius hominis expleatur ambitio, profundere. Taceo nunc, quod seueri sint plerumque homines ambitiosi, & ad tyrannidem proni; ab omni quoque humanitate alieni, & si forte fundamentalibus reipublicae legibus circumscripta sit illorum potestas, vt quiduis sibi licere putant, perrumpere haec vincula gestiunt, maluntque caedibus, rapinis, incendiis, quae ciuilia plerumque consequuntur bella, cuncta misceri, quam legibus, quibus ciuium continetur salus, suos attemperare mores. Atque vt imperare omnibus, homines ambitionis oestro perciti cupiunt, ita parere aliis nesciunt, aut si parendum est, vel inuiti hoc faciunt, vel lubentes quidem, at eousque, quousque id commodis suis expedire, vt ficto obsequio ad nouos honores viam sibi muniant, sentiunt. Hinc, quid ab iis, si ciuium loco sint, expectandum sit, nemini obscurum esse potest. Frena mordere, iugum quatere, iis, qui res nouas moliri cupiunt, se praebere duces, insurgere contra imperantes, non posse ferre aequales, proprium est illorum hominum. Quicquid vnquam turbatum est, in omnibus omnis aeui rebuspublicis, hoc ambitioni vesanorum hominum est imputandum. Nec tamen clarius vnquam am-

bitio se conspiciendam praebuit, quam in-isto IVLII CAESARIS, POMPEII & CRASSI tri-vmuiratu. Ambitio hos ad opprimendam senatus populique Romani auctoritatem, libertatemque copulauit, ambitio seiun-xit, & generum armauit in socerum, imo in ciues omnes atque totam rempublicam, Romanam. Possem hoc infinitis demon-strare documentis, sed sufficiat ex VELLEIO PATERCVLO nonnulla, quibus id confirma-ri queat, obseruasse. Id enim agit sedulo scriptor solertissimus, vt animorum indo-lem exploret, lectoribusque pandat dili-gentius, licet adulandi studio abreptus, vi-tiis foediſſimis virtutum subinde imponat nomina. De POMPEIO rem profitetur (e) aperte, dum inter multas, quibus eum ex-tollit, laudes *potentiae cupidissimum* vocat; & paucis interiectis, eum *omnium vitiorum ex-pertem* dicit, sed addit: *nisi numeraretur inter maxima in ciuitate libera, dominaque gentium in-dignari, cum omnes ciues iure haberet pares, quen-quam aequalem dignitate conspicere.* Atque i-dem sane POMPEIO obiicit ipse CAESAR: (f) *Pompeius neminem dignitate secum exaequari vo-lebat.* SALLVSTIVS: (g) *Nam particeps domi-nationis neque fuit quisquam, neque, si pati potuis-set, orbis terrarum bello concussus foret.* Caesa-ris

(e) *lib. II. cap. XXIX.* (f) *de bello ciuili lib. I. add. Florus, IV. 2.* (g) *orat. I. de republ. or-dinanda. p. m. 102.*

ris autem indolem ita exhibet VELLEIVS: (h) *Vigore animi acerrimus, munificentiae effusissimus, animo super humanam & naturam & fidem cuctus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo simillimus*, hoc est, si paucis rem efferre velis, *ambitiosissimus*. Omnes enim isti characteres, a VELLEIO cumulati, nihil aliud, quam animum ambitione & dominandi cupidine flagrantem arguunt, vt perspectum illis est, qui artem explorandi rite per signa & characteres, latentes animi inclinationes, moresque, callent. Alibi autem idem VELLEIVS (i) Caesarem ad triumuiratum cum Pompeio & Crasso ineundum, adductum fuisse, ait, *quod animaduertebat, se cedendo Pompeii gloriae aucturum suam, & inuidia communis patientiae in illum relegata confirmaturum vires suas.* Atque id confirmat FLORVS, (k) qui, omnibus tribus nihil aliud constitutum fuisse, pronunciat, quam dignitatem, aut comparare, aut augere, aut retinere, ambitione illos ad opprimendam patriam adductos, haud obscure significans. *Sic igitur*, inquit, *Caesare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus de inuadenda republica facile conuenit.* Et CRASSVM sane non minus quam POMPEIVM atque CAESAREM ambi-

(h) *lib. II. cap. XLI.* (i) *lib. II. cap. XLIV.*
(k) *lib. IV. cap. II. 11.*

tione abreptum, ad haec consilia descendisse, facile ex VELLEIO quoque colligas, qui de eo ita: (l) *qui vir cetera sanctissimus, immunisque voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda aut modum norat, aut capiebat terminum.* Sed quid opus argumentis pluribus in re euidenti?

§. XI. Auaritia denique nihil foedius esse, omnes fatentur. Ego addo, nihil ea esse pernicioſius, siue imperantium, siue ciuium animi ea sint infecti. *Auaritia*, inquit SALLVSTIVS,(m) *fidem, probitatem, ceterasque artes bonas subuertit: pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere, edocuit.* Egregium sane principem, imo & egregium ciuem, in quo fidem ac probitatem requiras, qui superbus sit atque crudelis, qui Deos negligat omniaque habeat venalia. SALLVSTIO (n) suffragatur DIO CHRYSOSTOMVS, hanc auari hominis effigiem posteritati suspendens: *nunquam ridet, nunquam facilem se praebet, in omnes suspicioſus est, improbos cunctos existimat, omnibus diffidit, vultu rapaci praeditus est, digitos perpetuo torquet, aut suas aut alterius diuitias numerat.* Atque quod ad principes attinet, quid ab iis expectandum sit, si auaritiae sint dediti, MARII, SVLLAE, TIBERII, exemplis constat, vt nunc alios taceam. Hos namque, vtut nec

(l) *lib. II. cap. XLVI.* (m) *de bello Catilin. cap. X.* (n) *lib. IV. de regno p. 334.*

nec aliorum expertes vitiorum, cum primis auaritia laboraſſe, eaque ad atrociſſima quaeque foediſſimaque deſignanda fuiſſe adductos, facile ex documentis clariſſimis colligas, & recte quoque obſeruat CASPAR ERASMVS BROCHMANDVS. (o) Cumprimis exactionibus acerbiſſimis auari principes ſubiectos ſibi opibus exhauriunt, fortunisque ita ſpoliatos & in extremam coniectos pauperta-tem, ad quiduis audendum promptos atque paratos reddunt. Nec hiſce tamen limitibus imperantium auaritia ſe circumſcribit. Vt enim modum non habet, ita fortunis priuatorum ſemper inhiat, easque ad ſe, quocunque demum id fiat modo, pertrahere conatur. Maximum ſub horum imperio crimen eſt, eſſe diuitem. Hinc non vna innocentes perdendi excogitatur via, mox vis intentatur aperta, mox magnorum arguuntur ſcelerum, mox clandeſtinae illis ſtruuntur inſidiae: & quis omnes nequitiae enumeret modos? Ingenioſa enim admodum eſt auaritia, atque ſolers, nec vnam in promptu habet rationem, in alios ſaeuiendi. Quae hinc in ipſam rempublicam redundent incommoda, enumerare longum foret. Enimuero, vt vnicum ſaltem addam, ciuibus exhau-

 ſtis,

(o) *in ſpecim. ethic. hiſtor. cap. III.*

ſtis, & commercia & opificia corruere, neceſſe eſt. Hinc rerum omnium inopia, tandemque pecuniae quoque, ad magna negotia gerenda neceſſariae, defectus, tum exterorum comtemptus, ſaepius & bella, ex contemptu, ſpeque facile rempublicam eneruatam ſubigendi orta, & ciuium indignatio, cuiuis potius, quam auaro, principi parere praeoptantium. Quod ſi ciuis ſit, quem auaritia vrat, minora quidem, non tamen nulla plane, hinc in rempublicam proficiſcuntur damna. Praeterquam enim, quod auaritiam ſemper, vt antea demonſtrauimus, ea comitentur vitia, quae vitae ſociali & ciuium officio e diametro repugnant, difficiles erunt & moroſi, queruli etiam, & praeſentem rerum ſtatum aegre intuentes, ſemper meliora habentes in votis, & inuiti demum multaque cum indignatione tributa & vectigalia perſoluent.

§. XII. Facere non poſſum, quin omnia ea, quae hactenus allata ſunt, confirmem egregio plane teſtimonio C. SALLVSTII CRISPI. Autor enim iſte ſuam in eo mirifice mihi probauit prudentiam, quod omnia reipublicae Romanae mala & inteſtinas diſſenſiones ex iſtis hominum, quae hactenus enumerauimus, vitiis, elegantiſſime derivat. Reliquarum autem rerumpublicarum eadem eſt conditio, vt, quod de Romana dictum eſt, de illis itidem omnino intelligi

telligi debeat. Et primo quidem florentem adhuc reipublicae huius statum, eiusque causas ita edisserit: (p) *Igitur domi militiaeque boni mores colebantur, concordia maxima, minima auaritia erat; ius bonumque apud eos non legibus magis, quam natura, valebat: iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant, ciues cum ciuibus de virtute certabant, in suppliciis Deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant.* Quo pacto deinceps ruere cuncta per ciuium luxuriam, ambitionem, & auaritiam coeperint, ita porro explicat: *Sed, vbi labore atque iustitia respublica creuit, reges magno bello domiti, nationes ferae & populi ingentes vi subacti, Carthago aemula imperii Romani a stirpe interiit; cuncta maria terraeque patebant: fortuna saeuire ac miscere omnia coepit: qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile tolerauerant, iis otium diuitiaeque optandae aliis, oneri, miseriaeque fuere. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido creuit: ea quasi materies omnium malorum fuere.* De auaritia tum ea pronuntiat, quae iam supra recensuimus, atque ita pergit: *Ambitio multos mortales falsos fieri subegit: aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere: amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo, aestumare: magisque vultum quam ingenium, bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari: post, vbi contagio quasi pestilentia inuasit, ciuitas im-*

(p) *de bello Catil. cap. IX. X.*

immutata, imperium ex iustissimo atque optimo, crudele, intolerandumque factum. Plura alia hunc in modum addit SALLVSTIVS: rem hanc egregie & illustrantia & confirmantia, quae omnia hic repetere prolixum nimis foret.

§. XIII. Illud ergo ex dictis abunde constat, omnes rerumpublicarum morbos, rebelliones, seditiones, tumultus, & quicquid tranquillitati earum aduersatur, ex hominum vitiis, ambitione scilicet, auaritia & voluptatis cupiditate originem trahere. Vnde sua sponte consequitur, eam religionem, quae hisce mortalium vitiis medelam affert, ad statum ciuilem conseruandum apprime aptam esse. Affert autem omnino religio christiana, ac ita affert, vt nulla, quae vnquam mortalium animos occupauit, hoc in capite conferri cum illa atque comparari possit. Etenim ab ipso limine christianismi procul adhuc abest, qui non prauas omnes cupiditates domare, & quantum humanae imbecillitatis ratio permittit, plane abiicere paratus sit. Hinc solenni ista voce: *Corrigite vos, instat enim coelestе regnum,* IOANNES BAPTISTA religionis huius promulgationem auspicatus est, & omnibus ad bene sperandum velut signum aliquod sustulit. *Matth. III. 2.* Corrigendos atque emendandos nimirum mores, nunciumque prauis cupiditatibus mitten-

mittendum esse, diserte indicabat, si quis beneficiorum a Christo seruatore partorum particeps fieri vellet. Atque ipse Christus non tantum vbique eadem inculcauit, sed clarissime etiam professus est, inter suos discipulos atque alumnos locum obtinere non posse, qui suis cupiditatibus indicere bellum, secumque adeo diuortium facere non vellet. *Si quis*, inquit, *me vult sequi, renuntiet ipse sibi, tollatque crucem suam & me sequatur. Matth. XVI. 24. Marc. VIII. 35. Luc. IX. 23.* & alibi. Hoc vero quid aliud est, quam & ambitionem, & auaritiam, & voluptatis cupiditatem procul a se remouere, suis nulla ratione amplius indulgere cupiditatibus?

§. XIV. Speciatim tamen ambitioni occurrit religio christiana ad modestiam, submissionem, atque humilitatem, vt voce nunc recepta in hisce scholis vtar, omnes adhortando. Ipse rursus seruator: *Subite*, inquit, *iugum meum, & a me discite, qui mitis sum & animo submissus. Matth. XI. 29.* Eleganter prorsus animum mitem atque submissum coniungit, cum superbi homines atque ambitiosi plerumque & feroces esse soleant. Cum vero ipsos Christi discipulos ambitio quaedam inuaderet, vt nullum aeque vitium honestiori specie animis mortalium abblanditur, puerulum illis in exemplum proposuit, vt doceret, eos tam

ab

omni ambitione alienos esse debere, vt puerilis aetas aliena est, quippe quae plerumque plane, quid ambitio sit, nescit. Aduocatum enim puerum collocauit inter eos, & *hoc vobis confirmo*, inquit, *nisi mutati fueritis, & pueris similes redditi, non intrabitis in coelestе regnum. Quisquis ergo seipsum submiserit, vt est hic puer, is erit in regno coelesti maximus. Matth. XVIII. 3. 4.* Alibi autem ab illorum moribus, qui, ambitionis oestro perciti, dominari aliis cupiunt, & sibi esurire videntur, nisi imperitent, procul suos abesse iubet: *Scitis*, inquit, *gentium principes in eos dominari, & magnos viros in eos potestatem obtinere: inter vos non sic agetur: quia, qui volet in vobis maximus fieri, sit vester famulus, & qui volet in vobis esse primus, esto servus vester, Matth. XX. 21. 26.* Quam vellem vt huius effati memores essent, qui regnandi cupiditate abrepti, quadrata miscere rotundis, diuinaque & humana conculcare iura, non dubitant, modo occupare inter rerum dominos locum, aut imperii longe lateque proferre limites queant. Qui quidem homines, etsi christiani videri velint, imo ab adulatoribus ineptis in primo christianorum ordine haud raro collocentur, hoc ipso tamen satis demonstrant, nomine quidem illo se superbire, mentem christianam nunquam induisse. Illud enim: *inter vos non sic agetur*, notam veluti characteristicam, eam-

eamque certissimam, qua veros & genuinos Christi discipulos a spuriis dignoscere liceat, praebet. conf. porro *Matth. XXI. 5. XXIII. 7. 10. seqq. it. Luc. XIV. 11. XVI. 15. Gal. V. 26. Marc. IX. 34. seqq. Luc. I. 51. 52.*

§. XV. Auaritiae vero fugam non minus diligenter inculcat religio christiana, omnemque intempestiuam sollicitudinem, a discipulis veris & genuinis Christi procul abesse vult. Immo nullo modo fieri posse, vt rite Deo seruiat, qui & opibus seruire velit, hoc est, auaritiae suae indulgere, diserte auctor ac conditor sanctissimae huius disciplinae CHRISTVS pronuntiat: *Non potestis & Deo seruire & opibus. Hanc ob rem*, ita pergit, *ne este de vita vestra solliciti, quid esturi, bibituriue sitis. Quasi vero non & vita pluris sit, quam alimonia, & corpus, quam vestitus. Aspicite volucres aereas vt neque serant, neque metant, nec in cellas congerant: tamen noster coelestis pater eas alit. Quasi vero non vos multo sitis eis praestantiores. Matth. VI. 25. 26.* Immo eo omnes cogitationes, omnia consilia suorum vult esse directa, vt prauas saltem cupiditates suas frangant, domentque, & ita participes fiant summae istius felicitatis a se mortalibus partae. *Quaerite primum regnum iustitiamque Dei:* ad ea autem, quae ad vitae huius sustentationem necessaria sunt, quod attinet, haec tranquilla mente sine anxia cura aut sollicitudine a benignitate

Dei

Dei esse expectanda: *& ita omnia vobis adden-tur, ibid. v. 33.* Certe, si quis eo animo sit, quem a sectatoribus suis CHRISTVS requirit, eum ne capacem quidem esse vllius fraudis, vllius iniustitiae, arbitror, adeoque necessario quam alienissimum ab illis vitiis omnibus, quae vitae ciuili repugnant, & reipublicae turbant quietem. Atque videntur viri sancti probe intellexisse, quanta mortalium pestis esset auaritia, vnde nunquam non in id sedulo incumbunt, vt homines ab hocce vitio dehortentur. *Videte*, inquit alibi seruator hominum, *vt auaritiam caueatis. Non enim in eo cuiusque vita sita est, si facultatibus abundet.* Deinde vero auarorum hominum stultitiam summam elegantissima demonstrat parabola. Quendam enim praediuitem anxie sollicitum fuisse de frugibus reponendis, & asseruandis, sibique maxime fuisse congratulatum, quod iis nunc instructus esset opibus, vt bono animo esse & indulgere genio suo strenue posset: at Deum eum sic interpellauisse: *O! demens, hac nocte reposcetur a te anima tua: quae vero parasti, cuius erunt? Luc. XII. 15. seqq.* Atque idem quoque demonstrat inculcatque PAVLVS apostolus, argumentum ab eo ducens, quod nihil in mundum, cum nasceremur, nobiscum attulerimus, nec ablaturi quicquam ex eo simus, cum viuere desinemus. Tum vero, quam multis

multis periculis auari semet ipsis obiiciant, edisserit luculenter; *Qui vero ditescere volunt, incidunt in tentationem, & in laqueum, inque multas & insanas ac perniciosas cupiditates, quae homines in perniciem interitumque demergunt. Radix enim omnium malorum est auaritia, &c. 1. Tim. VI. 9. 10.* Si ergo omnium malorum radix est auaritia, sine dubio & plurimorum vitiorum, quae tranquillitati & quieti reipublicae prorsus sunt inimica. Atque tum ob haec, tum ob alia incommoda, quae secum trahit, auaritiam cane & angue peius fugiendam esse, praecipit. add. *Psalm. LXII. 11. Proverb. XI. 28. XX. 21. XXVIII. 20. Marc. VIII. 17. Ioh. XII. 5. 6. seqq. Actor. VIII. 20. 1. Cor. VI. 10. Ephes. V. 3. & alibi.*

§. XVI. Denique & voluptatis cupiditati bellum perpetuum indicere debent, qui ex christianae religionis praescripto transigere vitam cupiunt. In impuro voluptatumque sordibus conspersо, sedem figere nequit spiritus ille purissimus, obscoenis libidinibus omnibusque voluptatibus corporis maximopere inimicus: atque debent tamen christianorum, modo vere tales esse cupiant, corda diuini huius spiritus esse habitacula. Apostolus autem PAVLVS diserte & citra ambages homines huiusmodi, qui voluptatum coeno delectantur, aditu in regnum coelorum intercludit. *Ne errate*, inquit, *nec impudici, nec deastricolae,*

nec adulteri, nec molles, nec cinaedi, nec fures, nec auari, nec ebriosi, nec conuiciatores, nec rapaces, diuinum regnum consequentur, 1. Cor. VI. 10. Alibi itidem inter opera carnis refert: *adulterium, stuprum, impuritatem, salacitatem, ebrietates, commessationes,* & his similia, de quibus deinceps pronunciat: *quae qui faciunt, ii diuinum regnum non obtinebunt.* Contra inter fructus spiritus, hoc est, virtutes christianorum has quoque recenset, quae vitae ciuili eos perquam esse accommodatos satis demonstrant: *Charitas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides, lenitas, continentia,* & statim addit: *qui sunt autem Christi, ii carnem vna cum libidinibus & cupiditatibus crucifixerunt, Gal. V. 19. seqq.* adeo nimirum hoc proprium est christianorum, a corporis sibi temperare voluptatibus, vt, qui hoc facere negligat, ne quidem Christi esse censeatur. Atque ipsa quoque indoles christianae religionis hoc requirit, vnde & alibi in diuinis literis similia inculcari serio videas. Conf. *Rom. I. 26. 27. XIII. 13. 1. Cor. V. 1. Actor. XV. 20. Apocalyps. XXI. 8.*

§. XVII. Eo nimirum, quae hactenus disseruimus, spectant, vt omnibus constaret, neminem posse verum esse christianum, qui non & bonus ciuis sit, & vice versa bonum ciuem, qui non bonus sit christianus. Quae cum manifesta sint & in aprico posita, procul tamen ab illorum opinione

ne noſtra abeſt ſententia, qui generatim quidem omnem religionem, praeſertim tamen & chriſtianam tantum in dominandi inſtrumentum conuertunt. Quibus certe exemplum praeiuit Florentinus ille politicus MACHIAVELLVS. Non vna autem hic peccatur ratione. Primo namque nonnulli in ea verſantur opinione, omnem religionis vſum in eo abſolui, vt illius beneficio ſtatus ciuilis conſeruetur. Alii religione non tam ad reipublicae conſeruationem, quam cupiditates potius ſuas, prauas vtique & nullis limitibus circumſcriptas, vtuntur, aut, vt rectius dicam, abutuntur. Quidam denique pro religione vmbram religionis captant, & eam itidem aut ad reipublicae aut propria ſua commoda promouenda adhibent. Qui ad primam claſſem pertinent, licet in eo nobiscum conſentiant, quod religionis verae, tum naturalis, tum chriſtianae, ad ciuitatis ſtatum conſeruandum ingens ſit neceſſitas: diſſentiunt tamen in eo, quod vnicum hunc aut certe praecipuum religionis verae finem exiſtimant: cum nobis longe alia hac de re ſedeat ſententia. Nimirum & generalis religionis ratio, & chriſtianae quoque religionis indoles omnes facile conuincit, eo, quicquid religionis verae inter homines eſt, ſpectare, vt infinitis, quibus circumſeptus & obſitus eſt animus noſter

ſter vitiis, idem purgatus, cum Deo coniungatur, & ad veram aeternamque ita perducatur felicitatem. Hoc manifeſtum eſt apud omnes, aut, ſiquis dubitare hac de re auderet, iſtum & proprios conſulere ſenſus iuberem, & ad prima inſimul elementa chriſtianae religionis ablegarem. At huic fini, praecipuo vtique & primario, alterum ceu ſecundarium non repugnare concedo, quo eadem religio ad ſtatum civilem conſeruandum accommodatur. Quo minus enim vnius rei plures poſſint eſſe fines, non video, quid obſtet. Accedit, quod cum religione chriſtiana vera & genuina animorum emendatio, cum animorum emendatione tranquillitas felicitasque ſtatus ciuilis coniuncta ſit, & arctiſſimo vinculo colligata.

§. XVIII. Multo itaque adhuc grauius peccant, qui non tantum praecipuum religionis verae finem plane negligunt, ſed & ſecundarium iſtum non tam ad reipublicae conſeruationem, quam ad ambitionem ſuam prauasque cupiditates explendas flectunt. Vtinam deeſſent exempla, quibus hoc confirmari poſſet. Iam vero magna illorum in hiſtoricorum monumentis efflorescit ſeges. Plerique ex iſtis regibus, qui ſequioribus ſeculis ad chriſtianae religionis ſacra acceſſerunt, politicis rationibus adductos hoc feciſſe, poſitum apud me

me est extra controuersiam. De CONSTANTINO M. hic disputare nolo, licet non ignorem, esse hodie viros doctos, qui, non tam veritate religionis adductum, quam quod rebus suis hoc ita expedire arbitraretur, ad christianae religionis eum accessisse sacra, autumant. Saltem, quae ZOSIMVS hac de re refert, neutiquam consentiunt cum illis, quae auctores, quibus constitutum est, omnia a Constantino gesta laudibus extollere, memoriae prodiderunt. CLODOVAEVM I. sanctis suis annumerant Galli, at eum status sui, quam vocant, rationem in consilio habuisse, cum christianorum sacris se initiari cuperet, diserte asserit GABRIEL NAVDAEVS. (q) Idem SAVARONVM salse ridet, quod operam omnem, quod aiunt, oleumque perdiderit, quod librum de sanctitate CLODOVAEI conscripserit, de quo tamen illud Scipionis apud poetam rectius vsurpaueris:

Si fas caedendo, coelestia scandere cuiquam
Mi soli coeli maxima porta patet.

Quid de IAGELLONE dicam, Lithuaniae primum principe, postmodum & Poloniae rege. Huic, cum secum constitueret, proiecta auita superstitione, ad christianorum sacra se conferre, religionem ipsam placuisse credis? immo vt Clodouaeo Clotildis, ita Hedevviga placuit Iagelloni, aut,

(q) *dans les coups d' Etat p. m. 129. seqq.*

si mauis, regnum Poloniae placuit, ea demum conditione conferendum, si christianus fieri vellet. (r) Atque in reliquis illustrium virorum aut regum principumque conuersionibus, paucis forte exceptis, itidem causas alias interceſſiſſe, & plerumque primum in illorum animis flectendis obtinuiſſe locum, facile deprehendet, qui haec paulo accuratius secum expenderit. Latus hic mihi sese aperiret campus, de consiliis regum principumque euangelicorum, in ditionibus suis ad purioris ecclesiae faciem reformandis, dicendi, sed limitum, quibus nostrum institutum circumscripsimus, ratio haec ad aliud tempus differre iubet. Omnes autem eos, qui religionem christianam hoc pacto suis cupiditatibus inseruire volunt, maximo se obstringere crimine, tam manifestum est, vt probatione non indigeat.

§. XIX. Sed & illi proborum omnium execrationem non effugiunt, qui non tam religionem ipsam, quam speciem eius & vmbram, cupiditatibus suis obtendunt. Huc illos refero, qui pontificum aut episcoporum, aut reliquorum sacro ordini adscriptorum somnia diuina reputantes decreta, vel aliis, quod reputent, persuadere conan-

(r) *vid. Martinus Cromerus rer. Polon. lib. XVI. & Hartknochius de republ. Polon. lib. I. cap. II. §. XIV.*

conantes, simul & se ipsos & alios in eam adducunt opinionem, religionis causam agi, quoties pro eiusmodi figmentis arma capiunt, licet & tum quoque religionis habitu circumdata in scenam prodeat ambitio. Eiusmodi est illa προφασις religionis tam frequens inter principes, vt politici prolixis commentationibus eam explicare operae pretium ducant. (s) Obseruant viri harum rerum periti, inter regnandi artes regibus Hispaniae proprias hanc praecipuum obtinuisse locum: *speciem sacrorum consiliis praetexere. Maxime solenne est,* inquit de illis IOANNES BARCLAIVS, (t) *ad parandam reuerentiam nomine coelitum vti, speciemque sacrorum subducere ambitum oculis vulgi. Numini suas cupiditates imputant, & veluti pro illo depugnantes solertissime sibi vincunt. Illa veluti praefatione in omnium rerum coepta tanquam in scenam & tragoediam intrant. Ferdinandus & Isabella hunc iam patrium morem nepotibus tradiderunt. Quippe in hostibus suis inueniebant publici odii causam: adeo vt semper in bellis credi vellent diuinae iracundiae ministrare.* Et certe rerum ab Hispaniae regibus gestarum historia idem comprobat quam luculentissime. Namque FERDINANDVM Catholicum religionem obtentui sumpsisse, cum Nauar-

(s) *vid. Forstnerus in Tac. annal. lib. I. p. 103. it. ad lib. II. p. 115. 120. seqq.* (t) *in icon. animor. cap. VII.*

rae regnum adiicere Hiſpaniae vellet, immo eodem colore inſanam cupiditatem imperii ſui limites proferendi texiſſe, diſerte teſtatur THVANVS. (u) PHILIPPVM II. ſub praetextu religionis diſſuaſiſſe nuptias Alenſonii Ducis & Eliſabethae Angliae reginae, cum tamen potentiam eius ex Anglicani & Gallicani regni coniunctione oriturам metueret, auctor eſt ſcriptor longe prudentiſſimus HIERONYMVS CONESTAGGIVS. (x) Idem PHILIPPVS in monitis, quibus ad regnum feliciter adminiſtrandum filium erudiuit, alterutrum ei neceſſarium fore, dixiſſe traditur, vt vel ſacrum ordinem ſibi conciliaret, vel nobiles regni, ſimulque ſuaſiſſe, vt cum pontificibus amicitiam coleret, munificum ſe erga eos exhiberet, & ad omnes occaſiones ſe illis ſubuenire paratum eſſe oſtenderet. (y) Nec tamen Hiſpanorum hae artes ita fuere propriae, vt non in aliis quoque regnis eiusdem rei documenta deprehendere liceat: immo vbivis gentium haec ſcena inſtruitur, & quocunque fere oculos conuertas, grauiſſima ſcelera impune ſub hocce religionis inuolucro deſignari videas. Sed Romani tamen pontifices ceteros omnes forte callidiſtate vincunt, cum illorum monarchia vel ty-

(u) *lib. I. ad an. 1516.* (x) *de coniunct. Caſtil. & Portugall. lib. VIII. ab init.* (y) *vid. Thuanus lib. XII. ad an. 1598.*

tyrannis potius, quam in orbem christianorum exercuerunt hactenus, hisce artibus, quibus sub religionis specie decipiuntur mortalium animi, ceu fulcris quibusdam innitatur, quibus subtractis & illam corruere necesse est. Et eas quidem fraudes si explicare hic prolixius vellem, nihil quidem, quod a nostro instituto magnopere esset alienum, agerem, sed infinitum simul & nostri propositi limites multum excedentem susciperem laborem, forte & superuacaneum, cum iam in hoc campo multi doctissimi viri IO. HENRICVS HEIDEGGERVS, PHILIPPVS MORNAEVS, aliique, strenue desudarint.

CAP. II.

Σύνοψις.

Obiectum christianis a gentilibus fuit, quod illorum doctrina reipublicae rationibus non conveniat, §. I. itemque a Machiauello, §. II. Quid illis reposuerit Augustinus, §. III. Responsio Augustini emendatur, & doctrina Christi de vitanda vindictae cupiditate vindicatur, §. IV. Machiauelli error profligatur, §. V. Quo iure obiectum olim christianis fuerit crimen laesae maiestatis, §. VI. item factiones & conspirationes, §. VII. Innocentia veterum Christianorum porro demon-

stratur ex eo, quod vexati licet, & oppressi a-similibus, nunquam vim vi repulerint, §. VIII. Odium humani generis olim perperam christianis exprobratum, §. IX. Occasio huius calumniae, & quod ruina imperii Romani perperam iis fuerit imputata, §. X. Vitia ex ambitione, auaritia & voluptatis cupiditate fluentia & rempublicam turbare apta, quo iure illis obiecta? §. XI. Sectarum diuersitas an reipublicae noxia sit, & an ipsi religioni christianae imputari queat? §. XII.

§. I.

NVlla tam manifesta veritas est, cui non caliginem offundere mortalium improbitas sustineat. Adeoque mirum non est, quod christiana religio ceu statui ciuili aduersa & olim traducta fuerit, & hodienum ab improbis quibusdam & inconsultis stultae sapientiae, quam MACHIAVELLVS professus est, magistris traducatur. Omnia vero ista ad duo reuocari capita possunt, quorum vnum ad doctrinam, alterum ad vitam & mores christianorum pertinet. Et ad doctrinam quidem christianam quod attinet, iam olim inter paganos extiterunt, qui hanc reipublicae statui minus conuenientem dicerent. Namque MARCELLINVS obiectum sibi a paganis apud AVGVSTI-

STINVM refert, (a) *quod Christi praedicatio atque doctrina reipublicae moribus nulla ex parte conueniat: vtpote cuius hoc constet praeceptum, vt nulli malum pro malo reddere debeamus, & pallium dare persistenti tunicam tollere, & cum eo, qui nos angariare voluerit, ire debere spatio itineris duplicato: quae omnia reipublicae moribus sint contraria: cum nemo reperiatur, qui tolli sibi ab hoste aliquid patiatur, vel Romanae prouinciae depraedatori non mala velit belli iure reponere.* Addebant hisce, eodem MARCELLINO teste, christianis principibus rerum summam in imperio Romano administrantibus, labefactatum hoc prorsus & eneruatum fuisse, vt exterorum vim impetumque sustinere fere nequeat.

§. II. Ab his ergo obtrectatoribus christianae religionis sua edoctus est NICOLAVS MACHIAVELLVS, eandem plane cum illis tibiam inflans, doctrinamque christianorum, quod reipublicae parum conueniat, accusans. Ethnicos enim fortiores fuisse putat, quam christiani sint, eiusque rei causam tum in educatione, tum in religionis illorum & nostrae diuersitate quaerit. *Nam*, inquit, *cum ex religione nostra veritatem rerum intueamur, discimus ex illa statim homines, & pompam huius mundi, contemnere. Sed ethnici haec omnia magni faciebant, & in iis summum*

(a) *in epistola ad Augustinum, quae est inter Augustinianas IV.*

mum bonum situm esse putabant; quapropter promptiores ferocioresque erant huiusmodi rerum defensores. Id ex multis eorum institutis apparet. Nam si vel eorum sacrificia cum nostris conferas, in illis magnificentiam quandam horrendam, in nostris delicatam quandam mollitiem cernes: in illis pompae & magnificentiae caedes multorum animalium adiungebantur: qui terribilis adspectus homines etiam feroces reddebat: nostra his omnibus caret. Ethnicorum religio non reddebat homines beatos aliis rebus, quam gloria & laude virtutis, pro rebus bene feliciterque in bello aut pace gestis: ex nostrae religionis institutione beatiores putantur humiles, & qui rerum diuinarum contemplationi dediti sunt, quam qui res magnas gesserunt. Summum praeterea bonum statuit in humilitate & contemptu rerum huius mundi. Ethnici omnia contrario modo se habere credebant. Nam summum bonum existimabant in magnitudine animi positum esse, & corporis viribus caeterisque omnibus, quae a fortissimis viris fieri solent. Haec vitae institutio christianum orbem imbellem feciſſe videtur, vt sceleratis ac perfidis principibus certa praeda esse soleat. Nam plerique mortalium spe vitae beatae cogitant potius de tolerandis iniuriis, quam de iisdem vindicandis: tanquam si oporteat coelum sine armis vllis solo otio comparare. Neque hic subsistit Florentini doctoris furor, sed, vt gentiles causam euersi aut labefactati imperii Romani in christianam religionem conferebant, ita & MACHIAVELLVS diserte profi-

profitetur: *christianam religionem in causa esse, cur imperium Romanum in peius ruere coeperit, ac in partes sciſſum fuerit.* (b) Non procul autem ab hac impietate & illi abeſſe videntur, qui quaedam chriſtianae religionis ſcita decretis quibusdam iuris naturalis crude acceptis, nec ſatis recte intellectis, opponunt, & ita aut peruerſa interpretatione verum ſenſum dictorum ſcripturae ſacrae in alienum detorquent, aut aliis occaſionem, ac ſi religioni chriſtianae cum iure naturae, cui rerumpublicarum ſalutem inniti pro certo habent, non bene conueniat, ſuſpicandi praebent.

§. III. Sed paganos quidem iſtos obtrectatores conticeſcere iuſſit AVGVSTINVS, (c) cuius verba huc ſpectantia retulit CHRISTIANVS KORTHOLTVS in inſigni opere, quo calumnias gentilium in veteres chriſtianos recenſet. (d) Summa eorum, quae AVGVSTINVS prolixius diſſeruit, huc redit, viros praeſtantiſſimos apud ethnicos ſimilia docuiſſe, & qui talia docuerint, fuiſſe laudatos, multo magis, qui fecerint: iniquos itaque illos eſſe, qui in chriſtianis hoc reprehendant, quod in ſuis laude dignum reputent. Et ſane acerrimus chriſtianorum hoſtis CELSVS fatetur, obſeruante itidem KORTHOLTO, (e) conſona philoſophorum

(b) *loc. c. lib. I. cap. XII.* (c) *ep. V.* (d) *in pagano obtrectatore lib. I. c. VIII.* (e) *l. c. p. 115.*

rum scitis esse, quae hic & doceant & agant christiani, licet eum in finem hoc faciat, vt demonstret, quicquid egregii & praeclari est in christianorum disciplina, id gentilium philosophis iam pridem fuisse perspectum: ἔστιν αὐτοῖς, inquit, καὶ τοῖον δὲ παράγγελμα, τὸν ὑβρίζοντα μὴ ἀμύνεσθαι. Κἂν τύπτῃ φησὶ, τὴν ἑτέραν γνάθων, σὺ δὲ καὶ τὴν ἄλλην παρέχε. Ἀρχαῖον καὶ τοῦτο ἓν μικρὰ πρόσθεν εἰρημένον. Ἀγρικώτερον δ' αὐτὸ ἀπεμνημόνευσαν. *Habent* (christiani) *praecepta huiusmodi: iniuriam ne repetito. Quod si quis etiam in maxillam te percusserit, obuerte ei alteram. Vetus & hoc est longe dictum antea, sed heic commemoratum rusticius.* Et certe extant plurima veterum philosophorum effata, quibus eiusmodi inculcarunt, quorum nonnulla KORTHOLTVS ad confirmandum CELSI sententiam subiicit: quibus tamen & alia magno numero addi possent, nisi iam doctissimi viri, HVGO GROTIVS (f) & PETRVS DANIEL HVETIVS (g) in hisce colligendis strenuam collocassent operam.

§. IV. Id potius obseruamus, licet AVGVSTINI responsio, & quae ad eam illustrandam a viris doctis adducuntur, ad compescendos ethnicos sufficiant: nihilo secius dubium ipsum non satis ea tollunt. Quare paucis hac de re ita habendum. Sen-

sus

(f) *in comment. ad Matthaei l. c.* (g) *in quaestionibus Alnetanis lib. III. cap. XVIII.*

sus omnium dictorum Christi seruatoris, quae nobis hic opponuntur, eo tandem, si omnia accurate expendantur, redit, omnem vindictae cupiditatem ab omnibus christianis procul abesse debere, ita quidem, vt iniurias potius quasdam tolerent, quam statim, praesertim leui de causa, iudicem fatigent, aut si necessitas postulet, ius suum prosequi, siue coram iudice, siue armata manu inter principes integrasque gentes, id fiat, sine omni vindictae cupiditate. 10. CLERICVS verba Christi ita παραφράζει: *Scitis, ita edoctos esse maiores vestros, vt illis per legem Mosis licuerit, hominem, a quo laesi fuerant, in ius vocare, vt poenas pro grauitate iniuriae damniue illati daret. At ego vobis auctor sum, minime poenas exigere de iniuriis, si per vestram incolumitatem liceat, damnumue vobis illatum ferre possitis, sine nimio vestro incommodo. Ferendo quidem iniuriam saepe nouae, fateor, occasio praebetur, at praestat, nouae iniuriae periculum subire, adeoque os, vt ita dicam, contumeliis praebere, quam nimis cito & leui de causa hominem in ius vocare. Si quis partem exiguam facultatum vestrarum vobis eripere velit, lite iniusta vobis intenta, satius est, & eam & aliquanto amplius amittere, vt pacem redimatis, quam litigari: si quis a vobis exigat molestum quodpiam officium, & hoc & aliud difficilius ei praestate potius, quam vim vi opponatis.* Atque ita si haec CHRISTI ser-

(h) *in harmonia euangel. ad h. l.*

seruatoris effata capiantur, quemadmodum omnino capi debent, quid inde in rempublicam incommodi redundet, non video. Non enim iudicia prohibet, nec bella legitime defensionis nostrae causa susceptа, sed vindictae cupiditatem, & lites temerarias & leuissimas ob causas susceptas. Et defendi quidem ac conseruari rempublicam posse, si omnem vindictae cupiditatem procul abiecerint homines, per se constat, immo, hanc in vitio positam esse, omnes quoque philosophi agnoscunt. Quod vero non temere, nec quibusuis statim de causis litigandum sit, prudentiae quoque leges iubent. Recte LIBANIVS: (i) Πρῶτον μὲν τὰ δίκαια τῷ λόγῳ πειρᾶσθαι λαμβάνειν, ἀλλὰ μὴ τοῖς ὅπλοις ἐπιπηδᾶν ἀνθρωπινώτερον. *Primum non statim ad arma ruere, magis autem verbis experiri, possis ne, quod ius est, obtinere, id est homine dignius.*

§. V. Ad MACHIAVELLVM quod attinet, non me fugit, esse, qui eum excusent, asserentes, non eo animo haec eum protulisse, vt augustissimae christianorum religioni detraheret, cuius quippe vis omnis in eo consistat, vt ad aeternam felicitatem eius ope homines perducantur, quo ipso, nullam religionem esse, quae cum hac comparari queat, libenter iste largiatur; sed referendo religiones ad vsum vi-

(i) *declam. 1.*

vitae ciuilis, aliasque, praesertim ethnicam, cum christiana comparando, illi prae hac palmam concessisse. Non ergo hoc velle istum, quod christiana religio ceteris sit postponenda, imo agnoscere, hanc optimam esse, per hanc vnice ad veram felicitatem patere aditum, sed hoc tantum asserere, ad proferendos imperii limites, negotiaque ciuilia, eam esse minus accommodatam. Haec an recte dicantur, & an MACHIAVELLVS ita existimauerit, nunc prolixius inquirere non lubet. Nec meretur homo doctrinae mediocris, vt de eius sententia adeo simus solliciti, quem profana mente doctrinam ciuilem tractasse satis constat. Sufficit, si vel maxime concedatur, haec omnia ita se habere, eum errasse turpiter. Errauit, dum suppossuit, felicitatem reipublicae in eo consistere, vt fines imperii princeps propagare longe lateque possit; errauit, dum existimauit, eum principem felicem dicendum, qui prauas cupiditates suas pro lubitu explere possit; errauit, dum eam rempublicam felicem aut diuturnam censuit, cuius ciues sint bellicosi; errauit, dum credidit, homines non magis per veram virtutem, quam christiana religio inculcat, & conciliat, quam per honoris & gloriae, rerumque vanissimarum cupiditatem fortes, periculorumque contemptores effici; errauit, dum sibi aliis-

que persuadere conatus est, eos, qui modesti sunt, & humiles, non posse simul intrepidum hostibus exponere pectus, quoties & patriae salus & reipublicae hoc requirit necessitas; errauit, dum arbitratus est, eos, qui parati sunt, iniurias, si Deus iusserit, tolerare, non etiam eas vindicare posse, si modo certi sint, hoc non esse nefas; plane ac si non meliori iure fortes appellandi sint, qui tolerare iniurias possunt, quam qui contra iniurias aut inferendas aut illatas strenue se defendunt. Atque in his omnibus, quibus tota demonstratio MACHIAVELLI innititur, ita errauit, vt vel pueri, & qui prima moralis atque ciuilis scientiae elementa didicerunt, eum rectiora saniora-que edocere queant. Eant nunc & MACHIAVELLVM suum crepent inepti homines, qui insipida improbi viri commenta pluris faciunt, quam & rectae rationis, & christianae religionis decreta, & magistrum suum iactent egregium, si diis placet, politicum, qui tam lubricis, quae asserit, superstruit fundamentis. Ceterum quo iure ethnicam religionem ceu statui ciuili accommodatam laudet, deinceps dispiciemus; nunc demonstrasse sufficit, nullo iure christianae religioni tantum eum detrahere, quantum illi concedit. Ad illorum denique, qui iuris naturalis decreta christianae disciplinae opponunt, momenta

ta refellenda, hoc vnicum annotasse sufficit, quod iuris naturalis doctrina homines, qua homines, christiana autem religio homines christianos, hoc est, eiusmodi virtutum capaces, quas homo sibi relictus ne capit quidem, consideret. Perfectiora itaque sunt infinitum in modum officia, quae a christianis ea, quam sequuntur, disciplina exigit, quam quae suis cultoribus praescribit ius naturae. Atque haec, si obseruentur, plana cuncta sunt & expedita, nec opus est eiusmodi ambagibus, quibus sine necessitate vtitur vir supra omnem laudem positus SAMVEL PVFENDORFIVS. (k)

§. VI. De vita nunc moribusque christianorum, quousque statui ciuili conueniant, dispiciendum est. Sermo autem hic nobis non est de illis, qui christiani sunt μέχρι τοῦ λέγειν ἄνευ τοῦ πράττειν, quippe quorum mores interdum ad ciuilis status tranquillitatem minime comparatos esse, fatemur quam lubentissime, sed de illis, qui, tam augusto, quo insigniuntur, nomine non indigni, passim tamen male audiunt, quod ciuilis societatis rationibus illorum vita non respondeat. Iuuat hic iterum, obtrectationes gentilium, quibus veteris ecclesiae christianos prosciderunt, in exemplum proponere. Grauissimum est crimen laesae maiestatis: at hoc chri-

(k) *de I. N. & G. lib. II. cap. V. §. XIV.*

ſtianis exprobrare non dubitauerunt gentiles: *Deos*, inquiunt, apud TERTVLLIANVM (l), *non colitis, & pro imperatoribus ſacrificia non impenditis.* Mox ipſe TERTVLLIANVS ſuo & chriſtianorum nomine verba faciens: *Sacrilegii*, inquit, *& maieſtatis rei conuenimur. Summa haec cauſa, imo tota eſt.* Et alibi: (m) *Prima obſtinatio eſt, quae ſecunda ab eis* (gentilibus) *religio conſtituitur, Caeſarianae Maieſtatis, quod irreligioſi dicamur in Caeſares, neque imagines eorum repropitiando, neque genios deierando.* At ſtatim euaneſcet omnis iſta imputatio, modo cauſa explicetur, quae gentiles ad ſimile quid chriſtianis obiiciendum, impulerit. Nimirum inter iurisiurandi formulas ea cumprimis recepta erat apud gentiles, qua per genium principis iurabatur. Cuius quidem formulae ſi non ſit hic ſenſus, quod iurantes principibus adhuc viuis numen ineſſe credant, aut quod iram illorum in ſe fallentes imprecentur, ſed quod principis ſalutem propriae anteponant, adeoque maiori religioni ducant, iram Dei in iſtius, quam in proprium, caput deuoluere, tolerari forte vtcunque poſſet. Sed vero, aliud quid gentiles hac formula ſibi voluiſſe, vel ex iureiurando militibus chriſtianis praeſcripto patet, quod refert VEGETIVS (n): *iurent per*

(l) *apol. cap. X.* (m) *lib. I. ad nationes cap. XVII.* (n) *de re milit. lib. II. cap. V.*

per Deum & per Christum, & per Spiritum S. & per maiestatem imperatoris, quae secundum Deum generi humano diligenda est, & colenda. Nam imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam praesenti & corporali Deo, fidelis est praestanda deuotio, & impendendus peruigil famulatus. Id quod cum probe intelligerent veteres christiani, nullo modo induci poterant, vt per principis genium iurarent, id quod DESIDERIVS HERALDVS (o) atque IO. A VVOVVERN (p) probe obseruarunt. Immo inter signa abnegati christianismi fuit, iurare per fortunam principis, teste EVSEBIO, (q) id quod adeo facere constantissime abnuit POLYCARPVS. Et recte quidem christianos hanc iurisiurandi formulam repudiasse, manifestum est. Per execrabilem enim idololatriam Deo aequiparabantur principes, honoremque adeo soli Deo debitum hominibus per summum nefas exhibebant, qui iurabant per eorum genium. Certe, vt nunc alia taceam, irritum & vanum est iusiurandum per eum conceptum, qui non omniscius est & omnipotens, vt & sciat, num fallant iurantes, &, si fefellerint, vt eos punire queat. Quod, vti soli Deo proprium est, ita, qui homini hoc tribuit, sacrilega impietate ex homine Deum facit. Et nihilosecius gentiles accusare christianos, & laesae maiestatis reos agere non desinebant, quod eius-

(o) *in Tertull. apol. pag. 125.* (p) *in Minutii Felicis Octau. p. 68.* (q) *H.E lib. IV. c. XIV.*

modi se polluere recusabant scelere. Eiusdem commatis & altera accusatio est, quod honores soli Deo debitos exhibere imperatoribus christiani nolebant. Hinc rursus crimen laesae maiestatis exsculpebatur, at praeter omnem rationem. Namque eam reuerentiam, quam iure exigere poterant a ciuibus suis, christiani illis exhibere parati erant. *Colimus*, inquit TERTVLLIANVS, (r) *imperatorem sic, quomodo & nobis licet & ipsi expedit: vt hominem a Deo secundum, & quicquid est a Deo consecutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est. Sic & ipsis Diis maior est, dum & ipsi in potestate sunt eius.* At diuinos honores non poterant a ciuibus exigere imperatores, nec ciues illis poterant exhibere, nisi quibus in Deum iniurium esse, vt hominibus placerent, res admodum leuis videbatur. Plura hanc in rem, quem supra iam laudaui, KORTHOLTVS (s) in medium affert.

§. VII. Maxima porro pericula reipublicae imminent a factionibus & conspirationibus ciuium. At hae quoque christianis olim fuere obiectae. Hinc CAECILIO (t) audiunt *homines deploratae, inlicitae, & desperatae factionis, & plebs profanae coniuratio*

(r) *ad Scapulam cap. II.* (s) *in pagano obtrectatore lib. III. cap. VII. p. 525.* (t) *ap. Minutium Felicem l. c.*

rationis. GALERIO MARCO proconsuli, *nefariae conspirationis homines*: (u) *plebs rebellis* vocantur apud PRVDENTIVM, (x) ex gentilium mente. Atque id quidem mirum non est, cum ipsi CHRISTO seruatori & apostolis simile quid obiectum fuerit; *vid. Luc. XXIII. 5. Ioan. XIX. 12. Actor. XVII. 6. 7. it. XXIV. 5.* Occasionem autem talia christianis obiiciendi gentiles sumserunt ex conventibus illorum clandestinis atque nocturnis. Namque & hos illis exprobrabant, vti de CELSO, quod christianos hoc nomine reprehenderit, ex ORIGENE (y) constat: πρῶτον, inquit, τῷ κέλσῳ κεφάλαιόν ἐστι, διαλαβεῖν χριστιανισμὸν, ὡς συνῳκας κρύβδην πρὸς ἀλλήλους ποιημένων χριστιανῶν, παρὰ τὰ νενομισμένα. ὅτι τῶν συνῳκῶν αἱ μὲν εἰσὶ φανεραὶ, ὅσαι κατὰ νόμους γίγνονται, αἱ δὲ ἀφανεῖς, ὅσαι παρὰ τὰ νενομισμένα συντελοῦνται. *Primum criminationis caput est Celso, a christianis clancularios conuentus haberi solere, legibus vetitos. Nam conuentus alios propalam celebrari legitime, alios occulte fieri, eosque damnari legibus.* Et sane conuenisse christianos nocturno tempore constat, sed summa ad hoc eos vrgente necessitate, cum per hostium furorem & crudeli-

(u) *in actis passionis Cypriani ap. Kortholtum l. c.* (x) *hym. XIV. 62.* (y) *lib. I. contra Celsum p. 102.*

delitatem interdiu atque palam congredi, tum ad sacra celebranda, tum ad alia negotia administranda, illis non liceret. Sic post recentem IACOBI apostoli necem, in domo Mariae multi christianorum nocturno tempore fuerunt congregati, qui pro Petro, carceri incluso & iam morti destinato, orabant. Sed sequenti etiam tempore, saeuiente vndique gentilium furore, frequentes fuisse eiusmodi conuentus nocturnos, ex TERTVLLIANO, (z) SIDONIO APOLLINARI, (a) aliisque constat. Fuerunt tamen & aliae causae interdum, cur noctu potius, quam interdiu, christiani conuenirent. Namque & agapas, quas vocant, solebant quandoque eo tempore instituere, & ad preces fundendas nocturnum silentium quam accommodatissimum esse existimabant. Sed de his alii ex instituto agunt. Ad innocentiam vero christianorum demonstrandam hoc sufficit, quod in hisce conuentibus suis nihil vnquam egerint, quod noxium reipublicae esset, aut eius tranquillitati aduersum. Testis omni exceptione maior ipse PLINIVS (a) est, qui summam culpae siue erroris in christianis hanc se deprehendisse refert, *quod essent soliti stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem, seque sacramento non*

(z) *lib. II ad. vxor. cap. IV.* (a) *lib. I. ep. II.*
(b) *lib. X. ep. XCVII.*

non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen & innoxium &c. His & aliorum addere testimonia possem, si vllum superesset dubium. Prohibiti ceteroquin erant in Romana republica omnes conuentus nocturni, idque, tum ne flagitiis & impuris libidinibus occasionem praeberent, tum ne ad factiones aut conspirationes ineundas opportunitas improbis hominibus, & ad res nouas moliendas paratis, inde enasceretur. Vtrumque autem a moribus christianorum longissime abfuit, vt ex ipsorum gentilium testimoniis constat, vnde, nec conuentus illos vituperandos esse, liquido constat.

§. VIII. Neque tantum innocentissimi fuere christianorum conuentus, sed in omni quoque vita ita se gesserunt, vt factiones, rebelliones, similiaque scelera gentilibus meliori iure, quam ipsis, obiici possent. Fidenter sane TERTVLLIANVS (c): *vnde Cassii & Nigri, & Albini? vnde, qui inter duas lauros obsident Caesarem? vnde, qui faucibus eius exprimendis palaestricam exercent? vnde, qui armati palatium irrumpunt, omnibus tot Sigeriis ac Partheniis audaciores? de Romanis, ni fallor, id*

(c) *in apol. cap. XXXVIII.*

est, de non christianis. Vbi, de palaestrica quod ait, vt recte notat HVGO GROTIVS, (d) ad Commodi mortem pertinet peractam imperio praefecti Ælii Laeti, manu Palaestritae. Parthenius autem erat ille, qui Domitianum imperatorem oppresserat: quibus comparat Plautianum praefectum praetorio, qui Septimium Seuerum imperatorem occidere in palatio voluerat. In eundem Septimium Seuerum arma quasi pro reipublicae caritate sumpserunt in Syria Pescenninus Niger, in Gallia & Britannia Clodius Albinus. Horum itaque facinora execrabantur veteres christiani. Nec simile quid illis obiici poterat, ceteroquin non fuisset ausurus TERTVLLIANVS tanta fiducia de illorum innocentia ad imperatorem verba facere. His omnibus vero & aliud accedit, idque maximum sane argumentum, quo christianorum innocentia demonstrari potest. Nimirum cum ethnici maxima crudelitate in homines innocentissimos saeuirent, non tamen adduci potuerunt, vt vim vi repellerent, etiam eo tempore, cum numero gentiles vincerent. In eodem apologetico TERTVLLIANVS: *si hostes apertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri, & Marcomanni, ipsique Parthi, vel quantaecunque vnius tamen lo-*

(d) *lib. I. de I. B. & P. c. IV. §. V.*

loci & suorum finium gentes, quam totius orbis? Exteri sumus & vestra omnia impleuimus, vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam copiis impares, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere. TERTVLLIANO suffragatur CYPRIANVS: (e) *Inde est enim, quod nemo nostrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec se aduersus iniustam violentiam vestram, quamuis nimius & copiosus noster sit populus, vlciscitur. Patientes facit de secuturæ vltione securitas. Innocentes nocentibus cedunt, insontes poenis & cruciatibus acquiescunt.* Illustre cumprimis est exemplum legionis Thebaeae, quae ad iussum imperatoris pro fide christiana se passa est decimari, aut, vt alii volunt, plane caesa est. Sed nolo hic plura congerere, praesertim cum id iam diligenter fecerit HVGO GROTIVS, tum in notissimo, de belli & pacis iure, opere (f), tum etiam in commentatione de imperio summarum potestatum circa sacra. (g) Ne quid tamen dissimulem, vir doctus, DAVID BLONDELLVS, (h) quaedam in contrarium exempla affert. *Dionysium*, inquit, *Alexandrinum, impetu in abducentes infideles facto, periculo*

(e) *ad Demetrianum p. m. 133.* (f) *lib. I. cap. IV. §. V.* (g) *cap. III. §. XIX.* (h) *in scholiis ad Grotii opus citatum cap. III. §. XIV.*

culo eripuerunt fideles A. D. 232. Armenii Maximinum bellum ob fidem inferentem anno circiter 320. praelio fuderunt, eo nomine laudati. Athanasium Alexandrini, Paulum Constantinopolitani armati defenderunt A. D 542. & 556. A. D. 360. Nouatiani Mantinienses milites in se missos fere deleuere. Socrates lib. II. cap. XXXVIII. A. D. 370. Basilium Caesarienses. Nazianz. orat. XX. p. 354. A. D. 387. Ambrosium Mediolanenses ep. XXXII. Sed haud difficile fuerit ostendere, quod haec nostrae non aduersentur sententiae. Namque primo non statim perduellionis rei sunt ciues, si a principe religionis causa iniuste oppressi ad vitae suae defensionem arma capessant, licet, eos peccare, apud me extra dubium positum sit. Adeoque, cum CASPAR ZIEGLERVS (i) ad producta BLONDELLO exempla ita respondet: *quod ea aut laudari omnia non possint, aut ea ratione excusari debeant, quod creditum fuerit, Dei honorem in ministris suis periclitari, cui defendendo arma se capere posse & debere putabant,* prius dicere malim, quam posterius. Certe ea, quae profert BLONDELLVS, exempla, ex tertio ac quarto, & pleraque quidem ex quarto seculo petita sunt, quo iam christianos a morum puritate sanctitateque multum desciuisse, constat. Interim, cum vbiuis gentium reperiantur homines, qui ex religionis, quam profitentur, praescripto

(i) *ad Grotii loc. cit.*

pto non viuant, iniquum foret, ex paucorum moribus de ipsa religione statuere, & quod quidam forte christiani contra vim iniustam superiorum se defendere aggressi sunt, ex eo colligere, quod christiana religio talia doceat, quae ciuilis status tranquillitati repugnent.

§. IX. Nondum hic accusationum finis est. Namque inter alia grauissima crimina, quae magno numero christianis obiiciebantur, odium quoque fuit totius generis humani, scelus sane, quod vix in hominem cadit: certe, si in quem cadit, eum ad ciuilem societatem colendam neutiquam idoneum esse, demonstrat. Vnde, si aut olim christiani tales fuerunt, aut hodienum nonnulli tales sint, quemadmodum subinde videas, eadem crimina viris cordatis hodie exprobrari, quae olim veteribus christianis fuere obiecta, eos pro bonis haberi ciuibus non posse, palam est. Amor enim fons est societatis, & omnis humanae felicitatis, at odium discordiarum, bellorum, & omnium calamitatum. Et quod olim quidem christianis eiusmodi quid obiectum fuerit, constat ex TERTVLLIANO, (k) atque LACTANTIO. (l) Hi enim referunt, christianos *hostes principum Romanorum*, item *hostes publicos* dictos fuisse. Praeterea

(k) *apol. cap. II. & XXXIV.* (l) *de mortibus persecutor. cap. XIV.*

terea *hostes populi*, & *hostes generis humani*, *Deorum*, *imperatorum*, *legum*, *morum*, *naturae totius inimici*, eodem TERTVLLIANO teste,(m) dicti fuerunt. Quid gentiles ad eiusmodi quid fingendum impulerit, aut πρόφασιν etiam praebuerit, quilibet haud difficulter etiam ex nostri seculi moribus coniectura assequi potest. Homines enim vitiis immersi facile adducuntur, vt ab illis se amari credant, qui illorum cupiditatibus ablandiuntur, & omnia, quae dicunt agunt-que, quantumuis detestanda sint, optima praedicant. Contra, si quis illorum vitia reprehendat, atque castiget peccantes, illum vt ipsi odio prosequuntur, iuxta tritum illud, veritas odium parit; ita etiam vix aliter sibi persuadere possunt, quam istum hominem sibi inimicum esse, eumque odium suum prodere liberius vitia reprehendendo. Atque cum christiani ethnicorum mores neutiquam probarent, sed palam reprehenderent, quid mirum, quod homines φίλαυτοι crediderint, christianos sibi inimicos esse? Luditur hodienum eadem fabula: placet sibi magnopere improbitas, & quoties reperiuntur, qui vitia mortalium excusare aut laudare nolunt, sed scapham scapham dicunt, quicquid inueniri calumniarum potest, in eos exoneratur, & id, quod summi amoris argumentum esse

(m) *lib. I. ad nat. cap. XVII. & XXXVIII.*

esse debebat, in signum odii accipitur, virique adeo innocentissimi, ceu osores & inimici humani generis, passim impudentissime traducuntur.

§. X. Nec tamen animis odio inflammatis desunt, quae obtentui sumant, & ad obtrectationes suas confirmandas, aut speciem veritatis illis conciliandam, adhibeant. Non potest accuratius humani ingenii indoles perspici, quam si veteris ecclesiae intueamur faciem. Gentilibus displicebant christiani. Aegre quippe ferebant, per hos eiusmodi induci in orbem disciplinam, quae prauis cupiditatibus plane esset inimica. Hinc facile sibi persuadebant, christianos esse humani generis osores; at hoc cum illis satis non esse videretur, ad eos aliis inuisos reddendos, alia quoque fingenda erant crimina. Hinc magia, atheismus, Thyesteae epulae, Oedipodaei concubitus, illis exprobrati: imo, ne quid calumniarum praetermisisse viderentur, addebant, omnes calamitates publicas ob christianorum crimina orbi a Deo immitti. TERTVLLIANVS (n) hac de re hunc in modum conqueritur: *Illis nomen factionis accommodandum est, qui in odium bonorum & proborum conspirant: qui aduersus sanguinem innocentium conclamant; praetexentes sane ad odii defensionem illam quoque vanitatem, quod existiment,*

(n) *apol. cap. XL.*

ment, omnis publicae cladis, omnis popularis incommodi christianos esse causam. Si Tiberis ascendit in moenia, si Nilus non ascendit in arua, si coelum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, statim christianos ad leonem. PRVDENTIVS quoque contra SYMMACHVM: (o)

- - sunt, qui nobis bella exprobrare siniſtra
Non dubitant, poſtquam templorum ſpreuimus aras,
Affirmentque Libyn collinae a cardine portae,
Hannibalem Iouis imperio Martisque repulſum,
Victores Senonas capitali ex arce fugatos,
Cum ſuper ex celſo pugnarent numina ſaxo.

Similia & alii habent, quorum hic proferre teſtimonia, nimis longum foret, & contra inſtituti leges. Namque & ARNOBIVS prolixe hoc argumentum tractat & AVGVSTINVS, ille quidem in primo contra gentes libro, hic in inſigni de ciuitate Dei opere: imo vtrique haec gentilium calumnia occaſionem opus ſuum ſcribendi ſuppeditavit, quemadmodum & OROSIVS hac ipſa cauſa ad hiſtoriam ſuam ſcribendam adductus eſt, vti recte obſeruat CHRISTIANVS KORTHOLTVS in libro iam ſaepius in hoc capite a nobis laudato. (p) DEMETRIANVS Africae proconſul eandem calumniam recoxit, quam & AVRELIVS SYMMACHVS quadantenus in ſcenam iterum produxit: at illi

(o) *lib. II. v. 683.* (p) *lib. III. cap. XV.*

illi CYPRIANVS, huic PRVDENTIVS atque AMBROSIVS obuiam iuerunt. Tam autem manifesta est illa calumnia, vt, quae in ea a christiana religione depellenda consumeretur, omnis perderetur opera. Aut enim, quibus eiusmodi quid obiicitur, veri christiani sunt, ad religionis, quam profitentur, praescriptum mores suos exigentes, aut nomen istud saltem mentiuntur. Illorum vita cum non possit non esse integerrima, sanctissimaque, dici quoque nequit, quod criminibus suis iram Numinis prouocent. His autem si vel maxime iure eiusmodi quid obiiciatur, id religioni ipsi non posse esse fraudi, quilibet per se intelligit. Deinde considerandum, an non ex causis aut naturalibus, aut moralibus & ciuilibus procedat, quod pro Numinis vindicta homines interpretantur. Licet enim quam lubentissime concedam, ea etiam incommoda, quae hunc in modum accidunt, vt per naturales ciuilesque rationes non potuerint non accidere, improbis simul poenae loco esse, at tamen manifestum erit, si causas eius inquiramus, iniique illos agere, qui praetermittunt, quae manifesta sunt & in aprico posita, vt incerta sectentur, saltem eum in finem, vt nouam inde nanciscantur calumnias in alios congerendi occasionem. Certe palam impudens esset, qui in homines, non di-

cam manifesto innocentes, sed dubiae saltem probitatis, causam concidentis aut imminutae reipublicae conferre vellet, cum tamen constaret, imperantem ea ignauia esse & imperitia, vt imperii ruinam non possit non post se trahere. Denique & merito suos prius explorare mores iubentur, qui viris probis atque cordatis eiusmodi quid obiiciunt, annon potius ipsi eiusmodi criminibus vltrices Numinis poenas prouocent, quae in aliis redarguunt. Antiqui ecclesiae doctores TERTVLLIANVS, LACTANTIVS, CYPRIANVS, OROSIVS, EVSEBIVS, aliique hoc argumento non infeliciter contra gentiles vsi sunt, demonstrarunt-que, si ob hominum vitia incommoda publica orbi a Deo immittantur, ob ethnicorum potius mores impuros & execrabiles, quam christianorum, sanctos quippe & integros, hoc fieri; quorum nunc afferrem testimonia, nisi alii hoc iam praestitissent.

§. XI. Demonstrauimus supra, christianae religionis hanc esse indolem, vt per eam, qui eius praescriptum rite sequantur, non possint non ab ambitione, auaritia, voluptatisque cupiditate, vitiis tranquillitati reipublicae omnino inimicis, plane esse alieni. Et nihilosecius nihil frequentius & olim fuit, & hodie quoque est, quam christianis eiusmodi exprobrare vitia. Ex voluptatis cupiditate impurae tandem libidi-

nes

nes fluunt, a quibus non abhorrere christianos, significabant gentiles, Oedipodeas commixtiones illis exprobrando. Extant hac de re THEOPHILI ANTIOCHENI, TERTVLLIANI, ATHENAGORAE, IVSTINI MARTYRIS aliorumque testimonia. Ambitionis autem fructus est, tum inanis gloriae affectatio, tum obstinatio, quam itidem affictam fuisse christianis, constat. Et vtriusque vitii affingendi christianis occasio illis enascebatur ex summa illa & incredibili constantia, quam in suppliciis atrocissimis prompte subeundis beatissimi demonstrabant martyres. Hinc MAXIMVS MADAVRENSIS, grammaticus, apud AVGVSTINVM (q) cauillatur de illis, *quod interminato numero, specie gloriosae mortis, dignum moribus factisque suis exitum maculati repererint.* Sed hasce obtrectationes recensuisse, est eas refutasse, cum in veros christianos talia cadere nequeant, in quos autem cadant, hi hoc ipso prodantur, quod non ii sint, pro quibus se venditant.

§. XII. Quare ad alia nunc discederem, nisi vnicum adhuc, sed paucis diluendum, supereresset. Sectarum, quae omni tempore apud christianos fuit, innuo diuersitatem, quae sane tum ipsi religioni, tum reipublicae plurimum nocere videtur. Religioni quidem, dum haec ipsa diuersitas

(q) *ep. XLIII.*

disputandi & contradicendi studium fouet & alit, ex quo rursus vincendi cupiditas, ambitio, inuidia, & alia grauissima vitia, & christianae religioni & reipublicae inimica, progignuntur. Accedit vero, quod in ista sectarum diuersitate tam difficile sit, inquirere in veritatem, vt plerique spem inveniendi eam abiicere necesse habeant. Cumprimis tamen reipublicæ ista sectarum diuersitas nocet, eo quod irritati per disputationes animi, odioque inflammati saepe in bella ciuilia exardescant, quibus florentissima haud raro penitus euertuntur regna. Et certe ignarum plane esse rerum omnium oportet, qui nesciat, quot bella, vt nunc antiquiora taceam, per duo proxime elapsa secula, in Europa ob funestissimum circa religionis christianae quaedam capita dissensum, gesta sint, quantum humani sanguinis effusum, quot vrbes amplisimae solo aequatae, quot respublicae aut deuastatae, aut euersae sint. Sed, ne hoc fugere quenquam possit, efficere elaborauit ANTONIVS VARILLASIVS peculiari opere, quo praecipuas mutationes, quae, occasionem suppeditante sectarum diuersitate, in praecipuis Europae regnis ac rebuspublicis contigerunt, exponere aggressus est. (r) At haec

(r) *Histoire des reuolutions arrivées dans l' Europe en matiere de religion, par Monsr. Varillas.*

haec, vtut ſpeciem quandam prae ſe ferant, non tamen eiusmodi ſunt, vt euincant, noxiam eſſe reipublicae religionem chriſtianam. Namque primo recte ab ipſis eccleſiae veteris doctoribus obſeruatum eſt, & philoſophorum, quorum eadem olim ratio fuit, ac hodie theologorum eſt, ſemper varias haereſes atque ſectas extitiſſe. CLEMENS ALEXANDRINVS, cum retuliſſet, a paganis hoc cumprimis obiici chriſtianis: (s) μὴ δεῖν πιςεύειν διὰ τὴν διαφωνίαν τῶν αἱρέσεων, *non oportere credere propter diſſenſionem haereſium*, reſpondet: καὶ παρ' ὑμῖν τοῖς Ἰουδαίοις, καὶ παρὰ τοῖς δοκιμωτάτοις τῶν παρ' ἕλλησι φιλοσόφων πάμπολλαι γεγόνασιν αἱρέσεις, καὶ οὐ δήπου φατὲ δεῖν ὀκνεῖν, ἤτοι φιλοσοφεῖν, καὶ Ἰουδαίζειν τῆς διαφωνίας ἕνεκα τῆς πρὸς ἀλλήλας τῶν παρ' ὑμῖν αἱρέσεων. *Et apud vos Iudaeos, & apud eos, qui inter Graecos fuere in maxima exiſtimatione, philoſophos, plurimae extiterunt haereſes, neque tamen ideo dubitandum eſſe dicitis, quin ſit philoſophandum, aut iudaicae inhaerendum diſciplinae, propter eam, quae eſt inter ſe, veſtrarum diſſenſionem ſectarum.* Similia & ORIGENES habet. THEMISTIVS autem philoſophus libro VALENTI Imperatori oblato docuit, *mirandam non eſſe eccleſiaſticorum dogmatum diſſenſionem; quippe quae longe minor ſit ac leuior ea, quae in gentilium dogmatibus reperitur.*

(s) *Strom. lib. VII. p. 745.*

peritur. Varias enim ac multiplices apud illos esse opiniones: atque, vt in opinionum varietate fieri solet, dissensionem de illis ortam, contentiones necessario gignere ac disputationes, teste SOZOMENO. (t) Atque ne quis hoc ad philosophos tantum spectare credat, is consideret velim religiones, quibus hodie orbis vniuersus imbutus est. Nullam reperiet, quae non in diuersas iterum abeat sectas. Possunt, ni fallor, omnes religiones, quae hodie florent, ad quatuor classes reuocari, christianam, gentilem, turcicam, atque iudaicam. Gentiles non easdem in rebus diuinis fouere opiniones, nec iisdem omnes vti ritibus atque ceremoniis in Deo colendo, manifestum est, nec vlla indiget demonstratione. De Muhammedanorum autem sectis audire iuuat LVDOVICVM MARRACCIVM, (u) ordine eas recensentem, & primo quidem antiquiores; *Primariae*, inquit, *sectae Moslemorum sunt quatuor: Kadritae, Saphatitae, Charegitae, Sciaitae. Vnaquaeque autem ex his in varias sectas diuiditur, & hae continentur in quatuor fundamentis seu principiis. Primum est circa attributa & vnitatem, & amplectitur quaestiones de attributis aeternis &c. in his discordes sunt inter se: Motazelitae, Asciianitae, Naramitae, Magiassemitae: secundum versatur circa praedestinationem & iustitiam Dei in illa, & com-*

(t) *H. E. lib. VI. cap. XXVI.* (u) *in prodromo refutationis Alcorani part. III. cap. XXIV.*

complectitur quaestiones de iudicio & praedestinatione, & bono & merito &c. Et in ea dissidium est inter Kadnitas, Gebaritas, Nahanitas, Asciianitas, Naramitas; tertium circa promissionem & comminationem, & nomina, & decreta, & complectitur quaestiones de fide & poenitentia, & promissis & minis & spe, & quae reddunt hominem infidelem ex fideli, & seductione hominis in errorem facta a Deo: & in ea est dissidium inter Motazelitas, & Naramitas, Mongitas & Vaiditas: quartum spectat ad auditum, intellectum, legationem, pontificatum, & complectitur quaestiones de beneficentia, & improbitate, & probo & optimo &c. in quibus controuersia est inter Motazelitas & Asciianitas & Naramitas & Sciaitas & Charegitas. Sigillatim deinceps de Motazelitis, Gebanitis, Saphatitis, Charegitis & Vaiditis, Mongitis, & Sciaitis agit, & quod vnaquaeque harum sectarum iterum in plures alias abierit, docet. Sic de Motazelitis obseruat, eos in duodecim alias sectas iterum disiiiisse, quarum etiam nomina indicat. De recentioribus autem Muhamedanorum sectis haec refert idem MARRACCIVS: (x) *Scinditur primo Mahummetismus in duas celeberrimas sectas: Sonnitarum & Sciaitarum. Prima trahit secum Turcas omnes, Arabes, & alias gentes innumeras. Secunda Persas habet propugnatores. Immortale atque implacabile inter vtramque sectam odium intercedit. Sonnitae Sciaitas,*

(x) *l. c. cap. XXV.*

Sciaitae Sonnitas anathematizant, deteſtantur, abominantur. Addit hiſce quindecim alias ſectas, quae a ſe inuicem religionis cauſa apud Muhammedanos diſſideant, quas omnes recenſere prolixum nimis foret. Ad Iudaeos autem quod attinet, non tantum olim Phariſaeorum, Sadducaeorum & Eſſaeorum nomina, ſectas indicantia, notiſſima fuerunt, in hac gente, ſed hodie quoque inter Karaeos atque Rabbaniſtas capitales inimicitiae ſunt, & odia internecina, vt reliquas nunc ſectas, a THEODORO HACKSPANIO (y) commemoratas, taceam. Ex quibus omnibus liquido conſtat, omnium religionum hanc eſſe indolem, vt diuerſae in iis ſint ſectae, neque ob ingeniorum humanorum diuerſitatem temere aliter fieri poteſt, vt adeo erret magnopere, qui, chriſtianam religionem ceteris deteriorem, aut ad ſtatum publicum minus accommodatam eſſe, colligere inde voluerit. Accedit vero, quod ſectarum quoque diuerſitas, non tamen religioni chriſtianae, ſed humani ingenii prauitati imputanda, tranquillitati reipublicae nullo modo per ſe aduerſetur. Per ſe dixi. Namque ſi nonnulli ſectae cuidam addicti talia doceant, quae tranquillitati reipublicae aduerſentur, aut, ſi qui res nouas moliri cupiunt, diſſenſioneque iſta in religione ad cupiditates

(y) *in ſylloge diſputat. theol. philol. p. II. ſeq.*

tates suas explendas vtuntur, id per se ex diuersitate sectarum non fluit, multo minus christianae religioni purissimae & innocentissimae imputari debet. Ceteroquin & ratio docet, & experientia testatur, quiete & tranquille viuere posse in vna eademque republica, qui diuersas tamen circa nonnulla doctrinae coelestis capita fouent opiniones. Prudentia tamen, fateor, hic opus est, & circumspectione, vt feroces animi demulceantur, omnisque occasio sub religionis προφάσει, ambitioni, odio, aliisque prauis cupiditatibus litandi, illis adimatur. Quam in rem vtile fuerit ac salutare, disputationes & concertationes publicas, praesertim variis obtrectationibus conspersas, quam seueriſſime prohibere. Neque probare non possum illud IOANNIS BODINI: (z) *cum de rebus diuinis disputationes non tantum dubitationem ac religionum interitum, verum etiam rerumpublicarum euersionem afferant, eas profecto sanctissimis legibus prohiberi oportet.* Et ita quidem reipublicae incolumitati consuli potest: quo pacto autem, incommoda in ipsam religionem ex sectarum diuersitate redundantia, auerti queant, dispiciant, quorum hoc interest. Scio IOANNEM CLERICVM (a) hac de re disseruis-

 se,

(z) *lib. IV. de republica cap. VII. p. 754.* (a) *de l' incredulité part. II. cap. IV. p. 186. seqq.*

se, quae an recte se habeant, alii iudicent. Nos ad alia nunc progrediamur.

CAP. III.

Σύνοψις.

Christiana religio in conseruando statu ciuili insigni gaudet prae religione & gentili & muhammedana praerogatiua, §. I. Religionem gentilium & primo quidem puram istam siue naturalem, aliquem in conseruando statu ciuili habere vsum; conceditur, §. II. Impuram quoque istam ac deprauatam huc vnice fuisse comparatam, speciatim πολυθεότητα & principum ἀποθεώσιν, §. III. De religione Romanorum quaedam. Sacrificiorum & ludorum in sacris adhibitorum vsus ciuilis, §. IV. Imaginum & statuarum cultus, ritus, & ceremoniae sacrae, eodem spectabant, §. V. Pontificis Maximi apud Romanos auctoritas: cur tantam eam esse voluerint, §. VI. Augures & aruspices callidis commentis flectebant plebem, prout rationibus imperantium hoc expediebat, § VII. His omnibus tamen multum praestant, quae christiana religio ad reipublicae conseruationem confert, §. VIII. Muhammedis commenta ad imperii, quod moliebatur, amplificationem & diuturnitatem erant comparata, §. IX. Huc spectat sententia Turcarum de fato, §. X.

item

item de praemiis illorum, qui in bello pereunt, §. XI. vt & de polygamia, §. XII. Prohibitio quoque omnium de religionis capitibus disputationum, § XIII. Aliarum religionum, praesertim iudaicae & christianae tolerantia, §. XIV. Comparatur muhammedanorum religio cum christiana, & huius prae illa in conseruando statu ciuili praerogatiua, demonstratur, §. XV.

§. I.

RElegionis christianae hanc esse indolem, vt ad status ciuilis conseruationem plurimum conferat, demonstratum ita est, vt nemini dubium hac de re superesse queat. Forte tamen in eam adduci quis possit sententiam, commune hoc religioni christianae esse cum ea, quam gentiles & muhamedani sectantur: adeoque, vt horum errorem profligem, iuuabit & gentilium & muhamedanorum placita cum religione christiana contendere, & num ex illis maiorem respublica capiat vtilitatem, quam ex hac, paucis disquirere. Quae quidem disquisitio, vti vtilis est atque iucunda, ita religioni christianae non potest non perquam esse honorifica.

§. II. Gentilium itaque religio, vt ab ea exordiar, vel pura est, ea saltem continens, quae recta ratio omnes homines de Numine

ne

ne eiusque cultu condocet, vel corrupta commentisque variis, aut ex rationis abusu aut fictis falsisque reuelationibus profectis, turpiter foedata. Naturalem seu puram gentilium religionem ad status ciuilis conseruationem plurimum conferre, positum est apud omnes extra dubium. Ecquid enim praeclari a principe aut ciue expectari posset, qui, aut plane Deum esse, negaret, aut rerum humanarum illum tangi cura inficiaretur, aut amore denique venerationeque & cultu dignum esse, abnueret? Contra, quibus haec omnia firmiter persuasa sunt, non temere committent, quibus irritari Deus possit, in quo fundamentum vinculumque firmissimum ciuitatis positum est. Agnouit hoc probe ipse TVLLIVS, (a) hinc ciuibus suis, quos legibus formandos suscipit, a principio persuasum cupit: *Dominos esse omnium rerum & moderatores Deos, eaque, quae gerantur, eorum geri vi, ditione, ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religiones, intueri, piorumque & impiorum habere rationem: his enim,* addit, *rebus imbutae mentes haud sane abhorrebunt ab vtili & a vera sententia.* Paucis autem, quae ad existentiam numinis comprobandam pertinent, interiectis, quam republica inde capere queat vtili-

(a) *de legibus lib. II. n. XV. XVI.*

vtilitatem, ita porro ediſſerit: *vtiles eſſe autem opiniones has, quis neget, cum intelligat, quam multa firmentur iureiurando? quantae ſalutis ſint foederum religiones? quam multos diuini ſupplicii metus a ſcelere reuocarit? quamque ſancta ſit ſocietas ciuium inter ipſos, diis immortalibus interpoſitis tum iudicibus, tum teſtibus?* Recte haec omnia TVLLIVS, in eo ſaltem, ni fallor, aberrans, quod vnicum ſaltem religionis naturalis ſcopum finemque conſtituat, reipublicae ſalutem, cum tamen ad aeternam felicitatem conſequendam haec quoque, & quidem praecipue, ſit comparata. Sed haec alibi diſputantur. Interim, quantacunque ſit religionis naturalis in ſtatu ciuili conſeruando vtilitas, reuelatae tamen chriſtianorum religioni plurimum concedit. Namque, vt nunc alia, quae vnicuique per ſe patent, taceam, licet improbis poenam denunciet, probis contra deſtinet praemia, rationem tamen viamque exuendi improbos mores, & cum melioribus eos commutandi, non demonſtrat, id quod chriſtianae religionis eſt proprium. Atqui reipublicae cumprimis intereſt, non vt ſciant ciues, quid probis expectandum, quid metuendum improbis ſit, ſed vt probi fiant.

§. III. In iſta, quam innui, religionis naturalis puritate non diu admodum ſubſtiterunt gentiles: ſed non vno ſuperſtitionis gene-

genere eam conſpurcarunt, & lumini iam ita ſatis tenui nouam induxere caliginem. Variae, fateor, introductae ſuperſtitionis & idololatriae potuerunt eſſe cauſae: ſed tamen ſubinde ſtudium, religionem ad ſtatum ciuilem accommodandi accesſiſſe puto, ita quidem, vt per illud aut nouis commentis ſuperſtitio mortalium augeretur, aut, quae iam aut per errorem, aut aliam quamcunque cauſam recepta erant & conſtituta, reipublicae ſtatusque ciuilis vſui attemperarentur. Ipſa, qua orbis olim obrutus fuit, Deorum Dearumque hoc comprobat multitudo. Non inquiram, quid primum induxerit mortales ad alios homines, eadem conditione, vt morerentur, natos, diuinis honoribus proſequendos: at hoc exploratum habeo, cum ſemel iſte mos, in Deorum numerum homines referendi, inualuiſſet, opportune admodum hoc accidiſſe illis, qui principibus rerumque dominis ad continendos eo facilius in fide & obſequio ciues, diuinitatis conciliare opinionem, aut alios ad quiduis pro patria, reipublicaeque defenſione audendum, diuinos bene meritis conferendo honores, concitare volebant. Non repugnat nobis LACTANTIVS, (b) qui, in idololatriae originem inquirens, hac de re ita diſſerit: *quos imperiti & inſipientes tanquam Deos & nuncupant &*

(b) *lib. I. de falſa rel. cap. V.*

& adorant, nemo est tam inconsideratus, qui non intelligat, fuisse mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dii creditisunt? nimirum quia reges maximi ac potentissimi fuerunt, ob merita virtutum suarum, aut munerum, aut artium repertarum, cum chari fuissent iis, quibus imperitauerunt, in memoriam sunt consecrati. Quod si quis dubitet, res eorum gestas & facta consideret: quae universa tum poetae, tum historici veteres prodiderunt. Etenim & ob potentiam, munerisque, quod gesserant, dignitatem consecrari potuerunt reges, & accedere apud quosdam alia quoque causa, vt nimirum conciliata principibus apud plebem diuinitatis opinione, eo tutius illi imperitarent. Cetera plane id confirmant, quod diximus. Maius virtutis decus rerum praeclare pro patria gestarum praemium, quam diuinitatis maiestas constitui non poterat, quo alii quoque ad ornandam defendendamque patriam aut rempublicam excitarentur. Ceterum cumprimis in Romana republica consuetudo, Deorum numerum hac ratione augendi, in dominandi instrumentum conversa fuit. Nec falluntur, qui, Romanorum religionem plane reipublicae quam callidissime attemperatam fuisse, autumant. Documentum ipse Romulus praebet, qui, cum nonis quintilibus ad Capuae paludem exercitum recensens, subito iugenti coorta tempestate ex suorum conspectu

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0142

ctu raptus, vel, vt alii scribunt, patrum manibus in minutissima fragmenta discerptus, & clam per partes asportatus esset, magno sui desiderio apud populum relicto, IVLIVS PROCVLVS subornatus est, *vt renunciaret plebi suae, vidisse se regem humano habitu augustiorem, eumque mandasse ad populum, vt sibi delubrum fieret, se Deum esse, & Quirinum vocari. Quo facto & ipsi populo persuasit, Romulum ad Deos abiisse, & senatum suspicione caedis regiae liberavit.* (c) Feliciter sane ista fraus Romanis patribus cessit, simulque reliquerunt exemplum posteris, quod imitarentur. Equidem, quamdiu respublica in libertate fuit, istum honorem cuiquam delatum esse, non constat. Et sane videtur istud stratagema πολιτικὸν in monarchiis tantum, locum habere, non item in reliquis rerumpublicarum generibus. Postquam vero ad Caesares omnia deferri coepta, tunc reditum ad veterem illum morem, relatique inter Deos sunt plerique imperatores, quorum catalogum exhibet ONVPHRIVS PANVINIVS. (d) Primus Caesarum hoc consecutus est Iulius, idque ab Augusto, teste SVETONIO. (e) Hinc in IVLIANI Caesaribus (f) Augustum SILENVS vocat κορο-πλάστην, *puparum effectorem*, quod, vti puellae

(c) *conf.* Lactantius *diu. inst. lib. I. cap. XV.* Liuius *lib. I. cap. XV.* (d) *lib. II. Fastor.* (e) *in Aug. cap. II.* (f) *pag. 19.*

lae pupas, ita ipse Deos effeciſſet, quorum vnus primusque eſſet Iulius Caeſar. Sic & MANILIVS: (g)

Iam facit ipse Deos, mittitque ad ſidera Numen,
Maius & Auguſto creſcit ſub principe coelum.

Vnde ſimul patet, prudentioribus ſatis perſpectum fuiſſe, omnem iſtam rationem, novos deos faciendi, ad illudendum plebi fuiſſe comparatam. Ipſis quidem Caeſaribus non ſemper vnus idemque ſcopus in anteceſſorum ſuorum conſecratione conſtitutus fuit, prout aut ſimpliciores fuerunt, aut callidiores. Interim illi, qui regnandi artes probe tenebant, totum hoc negotium ad maiorem ſibi conciliandam auctoritatem, ſuamque potentiam firmandam, referebant. Egregius hac de re extat PLINII (h) locus, quem praetermittere fere nefas duco: *Dicauit coelo Tiberius Auguſtum, ſed vt maieſtatis nomen induceret: Claudium Nero, ſed vt irrideret: Veſpaſianum Titus, Domitianus Titum: ſed ille, vt Dei filius, hic vt frater videretur. In ſideribus patrem intuliſti non ad metum ciuium, non in contumeliam numinum, non in honorem tuum, ſed quia Deum credis.* Tiberium nimirum innuit totum hoc inſtitutum callide ad maiorem genti ſuae ſplendorem auctoritatemque conciliandam retuliſſe: ceteros fere ſua imprudentia & ſtoliditate effeciſ-

(g) *lib. IV. circa fin.* (h) *in panegyr. c. XVI.*

se, vt hoc arcanum apud plebem euulgaretur: at Traianum rursus a contemptu & irrisione aliorum vindicasse hoc institutum, dum callide videri voluit, plane sibi persuasum esse, Deorum in numerum receptum esse Neruam: *sed*, inquit, *quia Deum credis*. Itane! Deum credebat Neruam Traianus? quis hoc sibi persuaderet? At intererat eius, populum ita existimare, quod Cocceium Neruam Deum crederet. Et ad populum quoque eo facilius in hanc opinionem inducendum, & Imperatorum adeo potentiam augendam stabiliendamque, spectabant ingentes illi apparatus & solennes ritus, quibus consecrare eos solebant, quos HERODIANVS (i) accurate describit; ex quo eos repetit IO. KIRCHMANNVS (k) in erudito opere, quod de funeribus Romanorum conscripsit.

§. IV. Atque Romanorum vel maxime exemplo patet, quam apte rationi, quam vocant status, accommodari potuerit religio gentilium. Lex apud illos fuit, quam & repetit TVLLIVS: (l) *separatim nemo habessit Deos, nemo nouos: sed nec aduenas, nisi publice adscitos priuatim colunto: constructa a Patribus delubra habento.* Rationem legis quivis coniectura haud difficulter assequi poterit. Quemadmodum enim per sacrorum

(i) *lib. IV.* (k) *lib. IV. p. m. 424. seq.* (l) *lib. II. de legib. n. XIX.*

rum diuersitatem animi ciuium dissiliunt, ita contra per communia sacra vniuntur, firmiusque cohaerent. Concordiae itaque atque amicitiae inter ciues conseruandae stabiliendaeque, tota ista lex inseruiebat. Sed apud Athenienses quoque simile quid deprehenditur. Testatur enim de illis ISOCRATES, (m) quod neque patria sacra a maioribus accepta dereliquerint, neque iis quidquam adiecerint, sed neque peregrina vlla receperint. IOSEPHVS (n) quoque memorat, quod mulierem quandam sacerdotem ob exterorum Deorum cultum interfecerint, capitisque supplicium decreuerint, si quis peregrinum aliquem Deum introduceret. PAVLVS itaque etiam apostolus in areopagum pertractus est, quod peregrinos illis annuntiare Deos videretur. (o) Namque, ibi tum de aliis criminibus, tum etiam de impietate cognitionem haberi solitam fuisse, ex iis constat, quae de Theodoro atheo narrat DIOGENES LAERTIVS. (p) At cum religio gentilis per se, inanis quippe, ridicula, maleque cohaerens, animos hominum allicere non posset, magno ceremoniarum apparatu, ritibusque magnificentiam & animum deuotum

(m) *in areopagitico p. 130.* (n) *lib. II. contra Appion. p. 928.* (n) *Actorum XVII. add. Kortholtus not. in Iustinum Martyrem pag. 9.* (p) *lib. II. c. XI.*

Deorum cultui vndique spirantibus, sacra publica peragebantur, vt plebeii homines, quorum mentes externis eiusmodi ac ludicris maxime capiuntur, eo facilius attraherentur. Et certe, quicunque saltem sacrificiorum ritus secum expenderit, facile intelliget, ad captandam plebem, eamque superstitionis laqueis irretiendam, cuncta fuisse comparata, vt eo securior tutiorque esset respublica. Neque tantum ad superstitionem miserorum alendam fouendamque haec spectabant, sed voluptate quadam vt animi perfunderentur, sedulo prospexerunt sacrorum antistites, vt nihil adeo praetermitteretur, quod ad plebem occoecandam pertinere videretur. Hinc sacrificiis additae epulae. VIRGILIVS: (p)

Tum lecti iuuenes certatim araeque sacerdos,
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae cereris, Bacchumque ministrant,
Vescitur Aeneas, simul & Troiana iuuentus,
Perpetui tergo bouis, & lustralibus extis.

Iubebantque, cum sacris operarentur, omnes ponere curas, hilarique esse animo.

Dii quoque vt a cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa iubent.

Non

(p) *lib. VIII. Aeneidos.*

Non id definio, acceperintne gentiles cum more placandi per sacrificia Numen, consuetudinem epulas illis addendi ab Ebraeis, aut an potius Deus peruicaci indoli gentis Israeliticae legem suam attemperarit, permittendo, vt forte aliarum gentium exemplo epulas, sed sobrie & moderate celebrandas, sacrificiis adderent: addidisse enim constat satis. (q) Namque vndecunque ista primum fluxerit consuetudo, illis, qui ad sacra publica frequentanda adducere plebem voluptatum cupidam, reipublicae interesse putabant, non poterat non longe esse gratissima. Enimuero qui poterat illis, qui voluptates vnice sectabantur, in mentem venire, alia exoptare sacra, cum publica ista illorum cupiditatibus tam egregie blandirentur? Eandem ob causam, ne plane quid homines voluptatibus dediti desiderare possent, publicis sacris ludi quoque additi. Quare & primitiuae ecclesiae doctores ludis eiusmodi interesse noluerunt christianos, tum quod per se hoc christiano nomine parum dignum ducerent, tum maxime, quod ludos pro cultus idololatrici parte haberent. *Omnia spectaculorum genera*, inquit CYPRIANVS, (r) *damnauit* (scriptura sacra) *quando idololatriam sustulit, ludorum omnium matrem:*

(q) *1. Sam. I. 13. 14 15. Nehem. XII. 43.* (r) *de spectaculis p. m. 4.*

vnde haec vanitatis & leuitatis monstra venerunt. Quod enim spectaculum sine idolo? quis ludus sine sacrificio? quod certamen non consecratum mortuo? Quid inter haec christianus fidelis facit, si idololatriam fugit, quid loquitur? qui iam sanctus sit, de rebus criminosis voluptatem capit? quid contra Deum superstitiones probat, quas amat, dum spectat? Ceterum sciat, haec omnia inventa daemoniorum esse, non Dei. Imprudenter in ecclesia daemonia exorcizat, quorum voluptates in spectaculis laudat. Similia & TERTVLLIANVS habet. (s) ARNOBIVS autem (t) gentilium vecordiam irridet, in Deorum, vt credi volebant, honorem ludos celebrantium, cum, qui eos agebant, ipsi vt infames auersarentur. Et antiquissimum sane fuisse morem sacrificiis iungendi ludos, scriptura quoque sacra nos condocet; auide autem eum ab iis arreptum, qui religionem moribus & indoli plebis attemperare voluerunt, itidem non temere quis dubitauerit. Vnde plura addere superuacaneum duco.

§. V. Amplus mihi hic sese aperiret campus reliquos ritus & ceremonias percensendi, illarumque in rebus ciuilibus vsum demonstrandi: sed limitibus, quos mihi ipse constitui, me circumscribens, aliis haec omnia

(s) *de spectaculis cap. V. VI. seqq.* (t) *aduersus gent. l. VII. p. 141.*

omnia accuratius discutienda relinquo. Vnicum tamen adhuc addo. Videtur religio gentilis vel ex hoc capite ciuilibus vsibus perquam accommodata, quod sensus ipsos feriat atque perstringat, indeque plebeias mentes eo fortius percellat. Verus Dei cultus pura mente absoluitur, & quae sciri de supremo Numine possunt aut debent, non sensibus, sed intellectu sunt comprehendenda. At plerorumque mortalium, praesertim illorum, qui studiis bonisque artibus mentem ad sublimiora non erudiuere, haec est conditio, vt & vitiis prauisque cupiditatibus delectentur, sensibusque potius inhaereant, quam intellectui, cumque id, quod molestum est aut ingratum, facile credamus, aut superuacuum esse & non necessarium, aut falsum, verum contra & necessarium, quod gratum est, quodue lubentes suscipimus: fieri sane quam facillime potest, vt cultum externum, praesertim plurimum delectationis afferentem, qualis fuit ille gentilium, interno, sensuumque cognitionem & fidem cognitioni intellectus, praeferamus. Immo cum natura ad internum cultum, puram scilicet integramque mentem Deo exhibendam inepti simus plane, longeque tardissimi, si recte metimur humanae mentis indolem, non possunt non plerique ad Numinis contemptum honestatisque o-

mnis & iuris neglectum esse valde proclives, nisi vtcunque per externos ritus, atque religionis symbola externa in sensus incurrentia, impetus hicce sistatur. Per gentilium itaque religionem cum nec voluntas purgari vitiis potuerit, nec quicquam praesto esset, quo intellectus imbecillitati succurreretur, nihil superfuit aliud, quam vt ritibus ceremoniisque, variisque diuinitatis symbolis in sensus incurrentibus mentes plebeiorum pascerentur, ne, omni religionis sensu excusso, agerentur in transuorsum, & vincula, quibus contineri in obsequio & fide homines solent, perrumperent. Satius enim videtur, certe reipublicae vtilius, si ciues aliquali saltem, vtut erronea, de rebus diuinis persuasione teneantur, quam si eadem prorsus destituantur, nec nisi ciuilium poenarum metu coerceri possint. *Facilius est*, PLVTARCHO (u) iudice, *vrbem sine solo condi, quam sine opinione de Diis ciuitatem seruare.* Magnopere itaque interfuit imperantium, religionem ciuium & ritibus ceremoniisque variis, & symbolis quoque quibusdam externis fouere. Vndecunque demum ortus sit solis, siderum, aliarumque rerum corporearum, aut imaginum quoque & statuarum cultus, id mihi exploratum, in tanta rerum omnium de-

pra-

(u) *adu. Col. p. 1125.*

prauatione, qualis apud gentiles fuit, vix vmbram religionis vllius, nisi hac ratione, conseruari potuisse. Nec scio, an suffragari VARRONI (x) debeam, qui, cum retulisset, antiquissimis temporibus Romae nullas fuisse statuas, subiicit: *quod, si adhuc mansisset, castius dii obseruarentur*, additque: *Qui primi simulacra Deorum populis posuerunt, ii ciuitatibus & metum demserunt, & errorem addiderunt.* Execratur merito statuarum cultum, & incommoda ex eo fluentia innuit, Deorum scilicet contemtum, & errorem, hoc est, falsam atque erroneam de iis persuasionem. Ecquid enim ligno lapidique diuinitatem inesse crederent? Id quidem profecto non male. At annon forte maiora adhuc incommoda rerum dominis metuenda fuerint, si, hisce falsae religionis fulcris subtractis, obliuio omnis religionis populi animum occupasset, vix abnuere audeo. Certe eos, qui ciuitatis causa hoc modo religionem fouebant, ita existimasse, arbitror. Quicquid huius sit, templorum eadem ratio est, ac statuarum. Et horum itaque nitor atque cultus per ciuiles rationes, nisi me omnia fallunt, ad continendos in religione miseros praecipue comparatus fuit. Consentit nobiscum hac in re CICERO; (y) *Graeci*, inquit, *&*

(x) *ap. Augustinum de ciu. Dei lib. XXXVI.*

(y) *lib. II. de legibus n. XXI.*

noſtri, vt augerent pietatem in Deos, easdem vrbes illos, quas nos incolere voluerunt : affert enim haec opinio religionem vtilem ciuitatibus. Ingenua confeſſio ! laudat enim hoc inſtitutum, quod opinionem vtilem ciuitatibus afferat. In reliquis itaque etiam ritibus vtilitatem ciuitatis, puppim atque proram religionis gentilis, ſaltem ex ſcopo prudentiorum, aut eorum, qui ad reipublicae clauum ſedebant, fuiſſe, vt credam, facile inducor.

§. VI. NVMA POMPILIVS, *artifex ille in comminiſcendis religionibus*, vt ARNOBIO (z) audit, ſacra, quibus ciues ſuos imbutos voluit, ab Albanis atque Sabinis accepit, plurima quoque ab Hetruria accerſiuit, *matre & genetrice ſuperſtitionis*, vti idem ARNOBIVS loquitur. Hetruſci autem, ſiue Tyrrheni, vt etiam vocabantur, ab orientis populis, quibuscum illis commercia intercedebant, ſacrorum ſine dubio acceperunt partem. Patet ergo ratio, cur Romanorum religio in multis cum aliarum gentium, praeſertim orientalium, theologia rationeque Deos colendi conſentiat. NVMAM autem callidiſſimum virum, variarum gentium conferendo ſacra, ea ſelegiſſe, quae reipublicae ſuae profutura crederet, quis dubitet? Auctor mihi huius rei eſt LIVIVS (a) ob rem-

(z) *lib. I. adu. gent. p. 26.* (a) *lib. I. cap. XX. add. Florus lib. I. cap. II.*

rempublicam eo rectius constituendam, vrbem religionibus impleuisse NVMAM, perhibens: *Omnium, primum*, inquit, *rem ad multitudinem imperitam, & illis seculis rudem efficacissimam, Deorum metum iniiciendum ratus est.* Nec minus certum, aliarum quoque rerumpublicarum aut conditores aut legumlatores aut principes, quoties religio constituenda esset, idem probe obseruasse. Id quod iam ipse animaduertit ARISTOTELES. (b) Iis enim, quae de Deo recte & vere ab antiquis tradita sint, superaddita nonnulla fabulosa esse ait: *πρὸς τὴν πειθὼ τῶν πολλῶν, καὶ πρὸς τὴν εἰς τὺς νόμους καὶ τὸ συμφέρον χρῆσιν, ad persuasionem vulgi, & ad legum statusque opportunitatem.* Non ergo erat, qui in sacris hisce ritibus πολιτικόν τι venatur. Mitto cetera. De iis tamen, quibus sacrorum cura demandata fuit, aliquid dicendum. Princeps sacerdotum apud Romanos erat pontifex maximus. Ampla huius fuit potestas, magna auctoritas. Leges interpretari, circa sacra disponere, rationem colendi Deos edocere alios, inter huius quoque munera fuit. Parebant ei pontifices minoris auctoritatis primo quatuor, tum quinque, demum quindecim, omnes sacrorum rituum periti. Nec nisi praecipuae dignitatis viris deque republica bene meritis, ad pontificatus aut sacerdo-

(b) *lib. XII. Metaphys. cap. VIII.*

cerdotii munus, patebat aditus. *Romulus* inquit, DIONYSIVS HALICARNASSENSIS, (c) *legem tulit, qua iussit sacerdotia non venalia esse, sed ex singulis curiis creari, qui annum aetatis quinquagesimum iam praeteriissent, qui & gente aliis praestarent, & virtute essent insignes, & censum sufficientem haberent, & corpore essent integro.* Idem colligere licet ex CICERONE. (d) Cuncta callide satis. Primo namque religio omnis in contemtum facile apud plebeios adducta fuisset, nisi, qui sacra tractabant, dignitate quadam & muneris splendore, ceteris praecelluissent. Est enim haec mortalium indoles, vt leuia & vilia ea omnia reputent, quae a viris infimi ordinis tractari vident, praeclara contra & sublimia, quae magnae dignitatis & auctoritatis viros occupant. Admouendi praeterea erant huic muneri illi, quorum intererat, arcana ista sacrorum, ne euilescerent, tegi, & maiorem indies apud plebem illis conciliari venerationem. Hinc istud VARRONIS apud AVGVSTINVM, (e) *non omnia pontifex nosse populos vult. Expedit enim, falli in religione ciuitates.* Id quod ab homine plebeio vix expectari poterat. Praeterea, cum semper in sacrorum administratione salutis reipublicae habenda esset ratio, noua causa patet, cur plebeiis aditus ad haec intercluſus fuerit.

(c) *lib. II. p. 50.* (d) *orat. pro domo sua p. 6.*
(e) *lib. IV. de ciu. Dei c. XXVII.*

fuerit. Fecerunt ergo imperatores, quod prudentiae, addo, & iustitiae leges exigebant, pontificis maximi dignitatem cum imperatoria coniungentes. Primus hoc obtinuit Iulius Caesar: quem, vt in ceteris, ita & in pontificatus munere excepit Augustus, teste SVETONIO (f) atque DIONE CASSIO. (g) Qui secuti sunt, omnes vsurpauere pontificis titulum ad Gratianum vsque, quem vltro hocce titulo abstinuisse, auctor est ZOSIMVS, (h) licet ex antiquis inscriptionibus contrarium nonnulli euincant. (i) Nec christianis imperatoribus hoc vitio verti potest, modo semota omni profana superstitione hoc innuant, supremam sacrorum directionem penes summum imperantem esse, quam nemo quoque illis denegabit, nisi qui ordinem diuinis humanisque legibus constitutum euertere plane, in animum induxerit. Quam autem noxium sit in republica, praesertim monarchia, sacrorum supremam directionem penes alium, quam summum imperantem, esse, vel me non monente, quiuis intelligit, & in sequentibus luculenter demonstrabitur.

§. VII. Augurum quoque & aruspicum hic est iniicienda mentio. Et illorum quidem erat, obseruare auium volatus, motum,

(f) *in Aug. cap. XXXI.* (g) *lib. LIV. Historiar. p. 652.* (h) *lib. IV. Historiar. p. 330.* (i) *v. Gruterus inscript. p. 169. n. 4.*

motum, quietem ; interpretari garritum, omina exponere, explicare somnia atque prodigia. Iidem pacis tempore de mercatura, structuris, agricolationibus, connubiis, & itineribus pronuntiabant : tempore autem belli de legionum progressu, stationibus, excursionibus, praeliorum experimentis aut tentandis, aut detrectandis, castris metandis, vrbibus inuadendis & colonis deducendis. Aruspices autem victimis aderant, atque inde petebant exta, vt inspectis illis Deorum voluntatem explorarent, & futura praedicerent. Vtriusque disciplinae vanitatem perspectam satis atque exploratam habuerunt prudentiores. Notum illud Accii poetae : *nihil credo auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, suas vt auro locupletent domus* : & illud quoque CATONIS apud CICERONEM : (k) *mirari se, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset.* Simplicioribus tamen omni conatu persuadere annitebantur, non spernenda esse, quae ex auium volatu atque cantu depromebantur documenta, tanto enim eas melius mentem Deorum nobis scire, quanto superis essent propiores. Subtilius tamen hanc artem aut excusat, aut defendit, AMMIANVS MARCELLINVS, (l) *Deum auium voces atque volatus dirigere*, asserens, *vt inde homines futura*

(k) *lib. II. de diuinat. n. XXIV.* (l) *lib. XXI. p. m. 563.*

futura discant. Nec infeliciter hocce commentum Romanis cessit. Vt enim superstitione facile mouetur in omnem partem populus, & circumagitur: ita eiusmodi quoque haec futurorum erant documenta, quae ex voto suo in boni aut mali euentus significationem, prout id rebus suis expedire credebant, detorquere poterant. Planeque mihi persuadeo, auguria & aruspicum responsa inter praecipua tunc fuisse dominationis arcana. Id quod & MACHIAVELLVS (m) probe intellexit, dum, Romanos fictis miraculis & oraculis coelestibus, & militibus addidisse animum, & ciues continuisse in fide & obsequio, pronuntiat. Hunc in finem, quoties magni momenti negotium suscipiendum esset, vel librorum sibyllinorum, vel Delphici oraculi, vel denique egregiorum auspiciorum eos prae se tulisse auctoritatem. *Itaque populus*, ita pergit, *cum ea vera a Diis ipsis denunciari crederet, libentissime iussis magistratuum & imperiis ducum obsequebatur, non secus, ac si dii ipsi imperassent.* Quare & solenne fuit Romanis, auspicia semper captare, quoties aliquid peragendum esset. Quem quidem morem ab ipso Romulo institutum fuisse, docet DIONYSIVS HALICARNASSENSIS: (n) *Romulus*, inquit, *hunc morem instituit, ne quis aut*

(m) *discursib. in Liu. lib. I. cap. XI. seqq.* (n) *lib. II. p. 44.*

aut regnum aut maiestatem caperet, nisi captatis prius auspiciis. Idem DIONYSIVS conqueritur, quod sua aetate vix imago eius rei remanserit. Atque haec cum ita se habeant, augurum magna itidem apud Romanos fuit dignitas, quam nec praestantissimi detrectarunt viri. Seruius Sulpitius, munia, quae Cicero gesserat, recensens, eum fuisse praetorem, consulem, augurem dicit. (o) Callidissimi sane huic muneri admouendi erant, optimi quoque fraudum architecti, quia ita haec scena instruenda erat, ne tandem populus impostoram istam intelligeret. Quare & metuendi maximopere eiusmodi homines erant, ne fraudes istas prodendo, ingens incommodum reipublicae attraherent. Atque hanc ego causam puto, cur soli isti, quanquam magnorum flagitiorum rei, sacerdotio tamen non mouerentur, vt PLVTARCHVS (p) memoriae prodidit. Proinde &, qui intelligebant, quantopere reipublicae interesset, haec arcana non euulgari, quanquam de artis vanitate plane persuasi erant, eam tamen palam non temere irridebant. Cordate equidem itaque Papyrius consul, cum rogasset pullorum augurium, & infelix esse accepisset, nihilosecius pugnauit, euentu hoc consilium comprobante, nescio, an satis

(o) *lib. X. ep. fam. ep. IV.* (p) *in quaest. Rom. n. XCVIII.*

tis prudenter: certe augurum disciplinam in periculum amittendae omnis auctoritatis, adduxit. Nec hac in re sibi constitit Alexander, *qui*, CVRTIO (q) teste, *post Darium victum ariolos & vates consulere desierat, rursus ad superstitionem humanarum mentium revocatus, Aristandrum, cui credulitatem suam addixerat, explorare euentum rerum sacrificiis iussit.* Et haec quidem hactenus.

§. VIII. Iam, si cum christianorum religione gentilium comparemus, statim quidem manifestum fit, illam tot ambagibus, tot artibus, tot machinis ad fallendos simpliciores dispositis neutiquam vti, quam hanc, sed nec indigere. Enimuero, quae minus firmiter cohaerent aedificia, pluribus indigent fulcris, & religio fundamento destituta, pluribus commentis, ritibus, ceremoniis opus habet. Ceterum religionem gentilium, quantumuis magnificam, & ingenti ceremoniarum apparatu superbientem, quantumuis callide per mille figmenta fraudesque statui ciuili attemperatam, non tantum hoc in capite religioni christianae plurimum concedere, sed plane id ne efficere quidem vlla ratione posse, quod christiana religio, argumentis quam plurimis euinci facile potest. Primo namque callidiores paulo inter gentiles, si forte philosophos quosdam exceperis, atheos

(q) *lib. VII. cap. XVIII.*

fuisse, mihi persuadeo. Nec fieri aliter potuit. Religio enim, quae tantum ritibus ac ceremoniis absoluitur, aut ad coecam superstitionem, aut ad atheismum ducit: simpliciores superstitioni, callidiores atheismo se dedunt. Finge vnum ex Romanis proceribus, auguria, auspicia, sacrificia, pontificum supercilium, & reliquas ceremonias ritusque sacros inter dominandi instrumenta referentem, vti Ciceronem sane aliosque fecisse constat, & philosophorum placita in eruditorum somniis reponentem, de quibus disputare ingenii ostentandi causa in vtramque partem liceat, vti de Cicerone itidem affirmare non dubito, hunc vero ab atheismo procul abesse censebis? Non errauero, si dixerim, plerosque Romanorum procerum eandem hac in re cum Cicerone fouisse sententiam, adeoque omnem religionem inter instrumenta plebem coercendi, reputasse. Egregium itaque reipublicae vinculum! quo plebs equidem vtcunque in obsequio continetur, illi autem, qui supra vulgus sapiunt, se adeo non constringi patiuntur, vt, quicquid rebus suis expediat, id pulchrum atque honestum ducant. Video quidem, te habere, quod regeras. Multa tamen extant praeclara atque honesta Romanorum procerum facta, pro patria, pro reipublicae conseruatione suscepta, ex quibus

collige-

colligere licet, non omnem eos exuisse religionis sensum. At, primo, an ea facta, quae honesta & praeclara vocantur, tam honesta & praeclara sint, disceptari adhuc in vtramque partem posset. Deinde, confitentem habemus Ciceronem, quicquid a praestantissimis Romanorum laude, vt vulgo censetur, dignum gestum est, id, si non commodi cuiusdam, certe gloriae consequendae causa, ab iis fuisse susceptum. *Neque enim*, inquit, (r) *est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur.* Et quidem, qui omissa commodi ratione, reipublicae causam, ambitione & gloriae cupiditate ducti strenue agere videbantur, pro cordatissimis honestissimisque viris habebantur. At esto, non fuisse omnes atheos, aut paucos saltem in hunc censum referendos, nondum tamen statim fuerunt boni aut ciues, aut magistratus. Immo per religionem gentilem nemo aut ciuis bonus, aut magistratus esse potest. Nemo enim hocce nomine tituloque dignus est, qui non vera virtute imbutum habet pectus: ad hanc vero vt sola religio christiana aditum omnibus munit, ita a gentilium superstitione eam frustra quis expectauerit. Immo, quae pestes sunt rerumpublicarum, & totius

(r) *orat. pro Archia cap. XI. n. 1.*

tius humani generis, capitalia ista vitia, ambitio, auaritia, & voluptatis cupiditas, tantum abest, vt per gentilium ritus & ceremonias aut imminuta, nedum eradicata ex hominum cordibus fuerint, aut imminui vel eradicari potuerint, vt nulla fere pars religionis ceremoniarumque gentilium fuerit, quae non ea mirifice corroborauerit, auxeritque. Id quod eundo per singulas partes, praesertim hactenus enumeratas, demonstrare possemus, nisi religioni nobis duceremus, rem per se claram superfluis comprobare rationibus. Proinde si concesserimus, aliqualem vtilitatem istas ceremonias atque ritus reipublicae attulisse, licet profecto haec exigua admodum fuerit, & ab aliis etiam religionibus, si concessum sit, aut vtile censeatur, similes naenias appendicis instar sanctissimo huic negotio assuere, sit expectanda, simul tamen dolendum, longe maiora damna & incommoda ex iis ad rempublicam redundasse. Atque in religione christiana haec omnia secus se habere, positum est in aprico.

§. IX. De ea, quam Muhammedus in orbem inuexit, superstitione, probare idem aeque facile potest, ac de gentilium religione hactenus demonstrauimus. Veterator equidem iste callidissimus, vt imperium longe amplissimum maximeque diuturnum constitueret, si nonnullis credimus, ex

ebraeo-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0163

ebraeorum, christianorum & gentilium sectis decerpsit, quicquid huic scopo suo inseruire, & indoli gentis, quam legibus suis atque commentis formandam fingendamque susceperat, conueniens esse videbatur. Ideoque mirum non est, a politicis viris callida quaedam in religione eius inueniri commenta, quae prima fronte ad turcici imperii & amplificationem, & diuturnitatem plurimum conferre videntur: immo nonnullis haec adeo probari, vt magnifice admodum de hac religione sentiant, eamque reliquis omnibus, quibus hodie orbis regitur, praeferre nulli dubitent. Quaenam ergo ea sint, quae hanc laudem Muhammedanae religioni concilient, paucis indicare iuuat, pronum inde vt omnibus sit, quid veritati conueniens censeat, hac in re statuere.

§. X. Primo huc merito referri videtur illa de fato persuasio, quam suis iniecit vaferrimus impostor. Credunt enim Turcae, *suum cuique terminum fatalem quoad annum, menses, & diem praefinitum esse, qui nec praeuerti, nec differri queat: neminemque mori, antequam aduentet fatum eius, etiamsi se immergat periculis, immittatque praeliis: fatum autem non venire, quoad mensura non fuerit adimpleta. Hocque decretum non mutari, etsi mille gemitus atque suspiria siue cum laude, siue querela ex ore prodeant: nullam ab eo fugam, nec resistendi locum*

esse: citra fatum ne quidem piscem capi, aut in arida mori, nec muscam perire: nedum hominem, qui, tametsi in os draconis ingrediatur, non tamen deuoretur, nisi die fati. Denique, vt aliquis moriatur ante tempus praefinitum, aeque mente concipi non posse, ac vt comedat cibo, nec dum concesso. (s) Quam persuasionem summum ad militiam adiumentum afferre, iudicat IO. ANDREAS BOSIVS. (t) Dum enim (ita vir ille doctus rationes subducit) vnicuique horam mortis in facie scriptam existimant, nil non periculi subire audent: adeo vt in praesentissimam mortem eant, interque bombardarum globos intrepide versentur. Quod quamuis saepius in illorum perniciem vertat, non minus tamen & hostibus ipsorum nocet: nemo enim hosti maius detrimentum afferre potest, illo milite, qui non pro victoria, sed in mortis solatium pugnat. *Maxime* enim *mortiferi esse solent morsus morientium bestiarum.* (u) Expedit autem maximopere Turcarum imperio, intrepidos posse in aciem educere milites. Ad imperatoris enim potentiam & conservandam & augendam, id vnice comparatum esse, constat: quem in finem & bella ex bellis serere, atque vnam victoriam alterius reputare instrumentum, illis olim solenne

(s) *vid. Leuinus VVarnerus, de vitae termino p. 11. seqq.* (t) *de imp. Turcico §. XXXII.* (u) *Florus lib. II. c. XXV.*

solenne fuit. Hodie enim, quo minus eosdem in illis obseruare mores liceat, fractae tot cladibus, atque debilitatae vires obstant. Ista autem, quam dixi, de fato persuasio adeo omnem illis excutit timorem, vt non tantum periculosissimas dignitates, & in quibus certi sunt, se interfectum iri, summo studio affectent, sed etiam squalentes adhuc recenti tabe vestes illis, qui peste moriantur, detrahant, sibique inducant. *Turcas*, inquit AVGERIVS GISLENIVS BVSBEQVIVS, (x) *a peste securos, sed non tutos, praestat opinio, qua mortis tempus & genus vnius cuiusque fronti a Deo inscriptum persuasum habent. Si mori fatum sit, frustra declinari: sin contra, stulte metui: itaque vestes & lintea, in quibus peste aegri animam exhalarunt, etiamnum a mortifero sudore madentes contrectant, immo iis perfricant faciem. Si Deo, inquiunt, visum est, vt sic moriar, fieri necesse est, sin minus, obesse non poterit.* Ab hisce ergo quid non in bello imperator sibi polliceatur?

§. XI. Eodem comparata est & alia, quae ex Muhammedi institutione illorum animis firmiter haeret persuasio: *nullorum animas maiori compendio in coelum auolare, quam virorum fortium, qui in bello ceciderunt.* Addit ex BVSBEQVIO, (y) quem supra laudauimus, IO. ANDREAS BOSIVS, (z) positum hinc

(x) *ep. IV. p. m. 365.* (y) *ep. III. p. 158.* (z) *loc. cit. §. XXXIII.*

hinc in moribus apud Turcas esse, vt felices in compotationibus, in circulis, & carminibus iactentur, qui bello periere, immo, vt a virginibus & mulieribus non secus ac Lacedaemonii in bello caesi, canticis extollantur, beatique praedicentur. Insidet omnium animis & futurae felicitatis, quam semper duraturam credunt, & famae insuper post mortem mansurae, ingens cupiditas. Atque hisce tantis bonis si levi quadam opera, laboreque mediocri atque per compendium velut potiri queant, tum nihil reperitur, quod a molestiis istis deuorandis, laboreque prompte subeundo, deterrere eos temere queat. Mortem natura omnes quidem extimescimus: sed quis tam effoeminatus est & mollis, vt eam adire recuset, si per eam non tantum, aeternum apud suos consequi decus, sed & nunquam desiturae compos fieri possit felicitatis? Atque hac ratione vt milites ad contemnenda quaeuis pericula certaminaque intrepido animo adeunda mirifice excitantur; ita nec deest illis, quo ipsi imperatori ad rem praeclare agendam, imperiique sui limites proferendos, animum addant. Non enim ei fas est, si TRAIANO BOCCALINO (a) credendum, Muhammedicae religionis templum, vel ad nominis sui memoriam, vel ad corporis sui post mor-

(a) *in relationibus, l. II. cap. VIII.*

mortem receptaculum, vel ad pietatis suae monumentum condere, antequam regnum aliquod ditioni suae adiecerit. Qua quidem ratione vel ignauissimis imperatorum, calcar atque stimulum addi necesse est.

§. XII. At expedit imperio militari, quale est turcicum, non tantum fortem & intrepidum, sed & numerosum militem in aciem educere. Quod cum intelligeret impostor solertissimus Muhammed, plures vni viro concessit vxores, vt, multiplicata sobole, ciuium quoque adeoque & militum inde augeretur numerus. Testem huius rei iterum laudare possum 10. ANDREAM BOSIVM. (b) Cum enim commemorasset, Muhammedum, quod sciret, maiestatis maximum fulcrum militiaeque adiumentum firmissimum multitudinem hominum esse, lege permisisse, vt vnicuique, quot vellet, vxores, & quot posset, concubinas habere liceret, addit: *cuius legis nulla alia est ratio, quam vt princeps eo numerosiorem exercitum, eo maiores copias habere possit. Verisimile enim est, ex multis mulieribus multos generari liberos.* At antea tamen (c) idem auctor FORSTNERVM (d) atque TRAIANVM BOCCALINVM (e) secutus obseruauerat, polygamiam eum in finem a Muhammedo introdu-

G 5

(b) *loc. citat.* §. *XIX.* (c) §. *XIII.* (d) *ad Taciti annal. l. IV. p. 44. seqq.* (e) *lib. III. c. VIII.*

troductam esse, & a turcicis imperatoribus foueri, vt redactos hac ratione ad pauperatem subditos eo facilius in fide & obsequio continerent. Etenim, cum eneruationem subditorum imperio, quod sibi proposuerat Muhammed, necessariam perspiceret, frequentem vero tributorum exactionem odium principi parere, non ignoraret, eiusmodi eum excogitasse modum, perhibet, quo non minus subditi, ac si magnis tributis vexarentur, & pauperes fierent, & principi prodessent. Eum facile animaduertisse scilicet, per plures haereditatum diuisiones tum quam celerrime depauperari subditos, tum per multitudinem hominum multa in bello praestari posse. Promiscuam ergo coniugiorum licentiam & vxorum eum permisisse multitudinem, qua turcici imperatores populos suos adeo miseros faciant, vt omni neruo destituti, ferociae omnis obliuiscantur. Nec tamen haec, si ita se habeant, statim ea euertunt, quae antea dicta sunt. Consistere namque secum possunt, vt duplex inde ad turcicum imperium redundare commodum videatur. Ipse tamen Muhammed haec consilia sua callide dissimulasse existimandus est, saltem ex ipsis eius, quae in alcorano leguntur, constitutionibus, nihil, vnde eiusmodi quid colligi queat, affertur. LVDOVICVS MARRACCIVS, dum

dum Muhammedi de polygamia doctrinam ediſſerit, ex *Sura V. v. 3* locum affert, qui in latinam linguam verſus ita ſe habet: *Quod ſi timuiſtis, ne iuſte vos gereretis cum orphanis: ducite tamen in matrimonium, quae placuerint vobis ex mulieribus, binarium, & ternarium & quaternarium. Si vero timueritis, ne aequitatem ſeruare poſſitis cum illis, ducite ſaltem vnam, aut ancillas, quas poſſidetis. Hoc erit facilius, vt non declinetis ab aequitate.* Ex hiſce, & forte nec ex ceteris Alcorani locis, in quibus de polygamia mentio iniicitur, nihil eiusmodi colligere licet. Immo totam Muhammedi hiſtoriam conſiderantibus patebit, eum religionem ſuis moribus plane attemperaſſe, quod forte non facturus fuiſſet, ſi imperio a ſe condendo eam vnice inſeruire voluiſſet. Id quod deinceps exemplo luculentiſſimo comprobabimus. Ad polygamiam vero quod attinet, eius a Muhammedo conceſſae non alia videtur fuiſſe cauſa. Certe hominem in libidines profuſiſſimum fuiſſe hunc impoſtorem, ipſi ſcriptores Arabes non diſſimulant. Ipſum ſemper dicere conſueuiſſe, memorant: *Deus poſuit delectationem meam in ſuauibus odoribus & in mulieribus.* Ne filiae quidem ſuae Phatemae eum peperciſſe pudori, narrat ALY EBRAHIM filius HASCEM ex auctoritate ALSADEC GIAAPHER filii MVHAMMED, prout habet in vita ipſius MVHAMMEDI ſcripta ab au-

auctore libri, de signis directionis, ex quo ea prolixius commemorat LVDOVICVS MARRACCIVS. (f) Ne ergo existimationis iacturam faceret, auctoritateque sua excideret, proxima via erat, persuadere hominibus, a Deo ipso impuras cupiditates, lasciuiamque in polygamia exercendam, probari. Atque idem de reliquis Muhammedanae doctrinae capitibus, quae imperii turcici conseruationi adaptata esse censentur, forte existimandum. Vtcunque autem ista se habeant, & quicquid demum Muhammedo constitutum sit, hoc tamen certum, per accidens, vt in scholis loqui solent, aliquid ex iis fluere, quod e re turcici imperii esse videtur, idque cum haud dubio imperatores turcici intellexerunt, in dominandi instrumentum verterunt, quod aliam ob causam sancitum constitutumque fuit a Muhammedo: ipsi autem Muhammedo, si tale quid perspectum fuit, sique imperii vasti & ampli constitutionem curae cordique habuit, duplex in eiusmodi legibus illi potuit constitutus esse finis; quod, si non de omnibus, saltem de quibusdam asserere nullus dubito. Atque ita capienda sunt, tum quae dicta sunt, tum quae porro in medium afferentur.

§. XIII. Nimirum & hoc callide a Muhammedo excogitatum, statuique imperii turcici

(f) *l. c. in prooem. cap. XXVI. p. 204. 206.*

turcici plane accommodatum videtur, quod omnes de religione disceptationes prohibuit. Quod vt manifestum fiat, nonnulla Alcorani loca hac de re afferre iuuat. In *Sura VI. v. 65.* ita ad Muhammedum Deus loquitur: *& cum audieris eos, qui disputant de signis nostris*, (id est, de Alcorano, vt GELALEDDINVS explicat) *procul recede ab eis, donec disputent de alia re. Quod si obliuiscifecerit te satanas* (hoc, quod nunc tibi dico) *saltem vbi recordatus fueris, ne sedeas cum his. Sura XXIX. v. 46.* sibi & suis haec a Deo fingit praecipi: *nolite disputare cum scripturalibus* (iudaeis scilicet & christianis) *exceptis iis, qui nos iniuria affecerint*, (nam cum his, vt explicat GELALEDDINVS, teste LVDOVICO MARRACCIO, (g) non verbis, sed gladio disputandum est) *sed modestis verbis dicite illis: credimus in Alcoranum nostrum, & in pentateuchum & euangelium vestrum: & Deus noster & Deus vester est vnus, & nos illum deuote colimus.* In *Sura* vero *III. v. 59.* haec habentur: *Deus reuelauit tibi veritatem, itaque ne dubites de ea. Si quis vero disputare voluerit tecum de ea, postquam data est tibi scientia illius, dic illi: venite, aduocemus filios nostros & filias vestras, & coniuges nostras & coniuges vestras, & nos ipsos & vos ipsos. Deinde oremus Deum, vt feriat maledictione sua eos ex nobis, qui sunt mendaces & aberrant a veritate.* Non desunt equidem Mu-

(g) *part. IV. prooem. cap. IV.*

Muhammedo eiusque discipulis ratiunculae, quibus hanc sententiam suam palliant, quibusque ad eam amplectendam se inductos fingunt: cuiusmodi sunt, quod in eundem Deum credant, in quem & christiani pariter ac iudaei credunt, quodque eosdem sacros libros recipiant & venerentur, easdemque ab omnibus requirant virtutes, vt adeo superuacaneum sit cum illis de religione disputare: quod Deus vnicuique harum gentium religionem bonam dederit, ex cuius praescripto illi sit viuendum, quod tutius sit, ex diuino oraculo aut signo veritatem aut falsitatem religionis dignoscere, quam rationibus & argumentis inquirere: & quae alia sunt eiusdem commatis argumenta, lubrica ac ludicra, & ingenio Muhammedanorum digna. At haec obtentui sumuntur ad fallendos incautos: aliam sane rationem subesse oportet, quae impulerit impostorem ad eiusmodi quid constituendum. LVDOVICVS MARRACCIVS, Muhammedum lucem reformidasse, autumat, adeoque noluisse, vt per disputationes religionis suae falsitas detegeretur, & in apricum produceretur. *Vera*, inquit, *& vnica ratio, ob quam Mahummedes disputationes de sua lege ac religione, nempe de* Alcorano, *assectis suis interdixit, ea fuit, quia vtpote non omnino coecus, manifeste agnoscebat, nullam in ea esse veritatem, & si recte inspiceretur, ac so-*

solerter discuteretur, posse illius falsitatem & impostturam a quolibet facillime deprehendi. Quare & disputationes saltem cum iudaeis & christianis, non autem cum idololatris, prohibuit, vt idem LVDOVICVS MARRACCIVS (h) auctor est, quia, hos facilius erroris sui satis crassi & euidentis conuinci posse, sperabat. Et haec quidem ita se habuisse, lubens concedo: modo & illud concedatur, ad praecipuam hancce causam aliam accedere potuisse, imperii scilicet conseruationem, ad quam apprime hoc facere videtur, si de religionis capitibus disceptare non liceat. Perinde autem est, siue huc quoque Muhammedus respexerit, siue non respexerit: potuisse insignem imperium turcicum hinc capere vtilitatem, fortassis nonnullis extra controuersiam positum videbitur. Disputandi enim iste, qui multos vexat, pruritus, odia, discordiasque & contentiones grauissimas, omnibus rebus publicis longe periculosissimas, non excitare nequit. Iam autem, vt grauissimum eius reipublicae morbum, in qua distracti in partes sunt ciuium animi, nemo non agnoscit, ita contra rempublicam, in qua non tantum nullae contentiones, sed ne occasiones quidem dissensionum, reperiuntur, aut tolerantur, ad prudentiae leges com-

(h) *l. c.*

compositam institutamque esse, fateri necesse est. At non potuerunt tamen Turcae hac sua diligentia impedire, quo minus variae apud illos quoque orirentur sectae, quod hominum, non legis, vitium forte diceret, qui Muhammedicae doctrinae causam tuendam susciperet. Nisi forte & hoc regerere velis, cum christianis quidem & iudaeis Turcis nefas esse descendere in certamen: at, quo minus ipsi inter se de religionis suae capitibus disputent, non prohiberi. Id quod mihi non videtur verosimile, licet nunc non succurrat, an a Muhammedo hac de re aliquid sancitum sit. Namque cum intestina eiusmodi bella periculosiora adhuc sint, quam quae cum exteris geruntur, quis dubitet, hominem callidissimum, qui haec prohibuit, multo magis illa suis quam seueriſſime interdixisse. Atque huc illud quoque, nisi me omnia fallunt, spectat, quod, teste IO. BARCLAIO, (i) lege cauit, *ne vlla scientiarum humanitate rudes animos mitigent.* Cuius quidem licet rursus variae esse causae possint, haec tamen, quam innui, apprime quoque huc quadrat. In summa enim imperitia, rerumque omnium ignorantia, disputationibus vix locus vllus conceditur.

§. XIV. Denique & aliarum religionum, praesertim christianae atque iudaicae, tolerantia,

(i) *in icon. animor. cap. IX.*

lerantia referri posset inter dogmata, quae imperio turcico plurimum prodesse videntur. Ipse quidem Muhammedus subinde docet, (k) dissentientes, non tantum iudaeos & christianos, sed ipsos etiam idololatras, blandis verbis alliciendos esse ad nouam hancce disciplinam, non autem cogendos. *Nullus*, inquit *Sura II. v. 257. cogatur ad suscipiendam religionem inuitus. Iam distincta apparuit recta institutio a deceptione. Qui ergo idola abnegauerit, & crediderit in Deum, iam tenet ansam firmissimam, quae nunquam frangetur: & Deus est audiens, sciens.* GELALEDDINVS, docente MARRACCIO, obseruat, haec verba dicta fuisse, *pro quibusdam ex duodecim adiutoribus, qui habebant filios & volebant eos invitos cogere ad Muhammedicam sectam suscipiendam.* Alibi autem, *Sura* scilicet *L. v. 39.* Deus ad Muhammedum ita loquitur: *Nos optime nouimus id, quod dicunt infideles Meccani. Tu vero non eris super eos violentus: sed commonefac per Alcoranum eos, qui timent poenam a me comminatam.* Quae GELALEDDINVS ita explicat, vt, eos ad fidem non esse cogendos, doceat. *Sura LXXXVIII. v. 21.* his verbis se a Deo commonefactum dicit: *Tu vero commone eos, ad te enim spectat commonere, neque debes eos violenter* (ad fidem) *cogere. Verum qui tergiuersatus fuerit, & noluerit credere, puniet eum*

H *Deus*

(k) *vid. Marraccii prodromus, part. IV. cap. XXIII. pag. 387.*

Deus poena maxima. MARRACCIVS quidem obseruat, Muhammedum haec similiaque praecepisse suis, cum ipse adhuc viribus opibusque destitutus, nec quidquam pro regnandi libidine explenda se moliri posse, intelligeret; postea autem scena mutata, numeroque assectarum eius aucto, vt iam confideret, reluctantes ad obsequium vi armisque se adducere posse, sententiam eius fuisse mutatam. Quod productis variis ex Alcorano documentis, comprobat. Quae, si accuratius considerentur, id simul nos docent, voluisse impostorem, vt fortiter contra dissentientes quosuis pugnarent sui, nec periculum pro religionis & imperii sui propagatione vllum subire detrectarent, victis tamen iugumque illorum in se recipere paratis parcerent, etsi a suis noluerint discedere sacris. Ex quo recte quidem idem auctor colligit, non religionis studio, sed cupiditate regnandi, imperiique limites proferendi, haec similiaue sanxisse Muhammedum. *Religio*, inquit, *larua erat: nam vbi hostes tributum soluebant, seque illius imperio subiectos fatebantur, nihil praeterea de religione curabat.* Respondent legi Turcarum moderni mores. Christianis enim pariter ac iudaeis, modo quiete agant, & stipendia soluant, sedes in suo imperio concedunt, nec molestiam temere facessunt, nisi interdum intempestiuus quosdam

quosdam incedat zelus, leuissima arrepta occasione, quae innocenter de religione Muhammedana dicuntur, in ignominiam & contumeliam vertendi, postulandique a miseris, vt aut ad sacra haecce accedant, aut capitis poenam subeant. Exempla auctor Theatri Turcici, Italica lingua scripti exhibet, (l) quibus immorari diutius nostrum non est. Tolerantur ergo dissentientes: idque plane ex prudentiae lege, si nonnullos audimus. Namque ciuium ita augetur & conseruatur numerus, qui & pacis & belli tempore in militia & commerciis laudandus maximopere est, vti contra, quo magis hicce decrescit & imminuitur, eo propius a ruina abesse respublica censetur. Id certum, si dissentientes in sacris discedere ex Turcarum ditionibus iuberentur, vltra dimidiam ciuium eos amissuros esse partem. Habentque adeo, quod legibus Muhammedi sui imputent.

§. XV. Possem longe plura ex eius scitis colligere, ab hoc instituto non aliena, sed coercenda tandem & reuocanda intra limites est nostra tractatio, ne in infinitum euagetur. Et sufficere quoque dicta possunt ad id, quod nunc porro, sed paucis, est demonstrandum. Cum christiana itaque religione si Muhammedanam conferamus, & vtriusque in conseruando reipu-

(l) *cap. I. artic. XI.*

blicae ſtatu vſum expendamus, hanc rurſus illa longe deprehendemus inferiorem. Praeterquam enim, quod ea, quae ſupra generatim dicta ſunt, ſolam chriſtianam religionem non tantum virtutes, ſed rationem quoque eas induendi, vitiaque exuendi docere, quod a Muhammedana frustra expectaueris, hic quoque locum inueniant: ea omnia, quae hactenus allata ſunt, aut chriſtianae religioni cum Muhammedana ſunt communia, aut ita comparata, vt reipublicae plus noceant, quam proſint. Sic non abnuo, illam de termino fatali, vnicuique quoad annum, menſem, & diem praefinito, perſuaſionem, nonnullos ad contemnenda pericula adducere: ſed ſi omnia probe expendantur, neſcio, maiorane ex ea ad rempublicam vitamque ciuilem commoda redundent, an incommoda. Eſt e re reipublicae, ſi ciues ſubire pericula non detrectent, ſi neceſſario ſubeunda ſint: ſed ſi iidem coeco impetu in pericula ruant pereantque, qui aliis adhuc reipublicae neceſſitatibus inſeruire potuiſſent, haud leue inde ei infertur damnum. At non ad illud magis, quam ad hoc, ea quam ſignificauimus, perſuaſio, quorum animis inſidet, adducere poteſt. Chriſtianis vero longe tutiores praeſtantioresque praeſto ſunt rationes, quibus ſuis animum addant, ve-

veramque & ratione temperatam fortitudinem, illis inſpirent. Nihil enim prius antiquiusque habent, quam ad diuini Numinis ſe componere praeſcriptum: hoc autem cum poſtulare intelligant, vt imperantium quoque mandatis, at iuſtis & diuinae legi non repugnantibus, obtemperent, ſtationem ſibi demandatam tueri, & ſtrenue, quae ſuarum partium eſſe putant, peragere, non detrectant, nec vlla pericula extimeſcunt. Nec neceſſe eſt, figmentis variis atque fabulis ad hoc eos adducere: nunquam enim voluntati ſupremi imperantis repugnant: cumque certiſſime perſuaſi & ex diuinis literis edocti ſint, aeterna gaudia omnes manere, qui in vera fide ad vitae vsque finem perſeuerauerint, moleſtias omnes militibus deuorandas, ipſamque mortem in minimis ponunt. Ad polygamiam quod attinet, non eſt, quod eius in vita ciuili commoda defenſores eius praedicent, cum experientia doceat, incommoda longe eſſe maiora. Certe per eam in ſtatu domeſtico concordiam ſeruari non poſſe, ipſe agnouit Muhammedus. *Nullo modo*, inquit *Sura V. v. 128. poteritis aequitatem ſeruare inter mulieres, etiam ſi multum cupiatis & ſtudeatis.* Aequitas autem ſi non ſeruatur, num concordiae locus eſſe poteſt? Praeterea falſum quoque eſt, augendo ciuium numero multum conducere po-

lygamiam, immo eundem per hanc imminui, ratio dictitat. Quo frequentior enim est veneris vsus, eo magis debilitatur & eneruatur corpus, & soboli progignendae ineptum redditur. Consentit nobiscum MARRACCIVS, qui, cum obseruasset, neutiquam tantam apud Muhammedanos hominum esse frequentiam, quantam polygamia promittere videbatur, addit; (m) *verissima haec esse existimo: sed naturali etiam ex ratione prouenire id ipsum, non dubito. Nam cum virtus generatiua sit in viro limitata & in multis tenuis & imbecillis, per communicationem cum pluribus faeminis magis extenuatur.* Suffragaturque omnino res ipsa. Nam quis est, qui dubitet, christianum principem, cuius ditiones vix dimidiam turcicarum ditionum partem magnitudine aequent, aeque numerosum in aciem exercitum ducere posse, ac imperatorem turcicum? De disputationibus autem circa religionis capita instituendis, quas Muhammedus prohibuit, ita censeo. Si quis princeps omnibus omnino disputationibus suos interdicat circa religionis capita, a summa eum prope abesse crudelitate, quippe qui brutorum, non hominum, loco ciues suos habeat. Certe ab homine, vt pro vero admittat, in cuius rationes nullo modo inquisiuit, exigi neutiquam potest. Haec autem inquisitio

(m) *part. IV. cap. XXI. p. 263.*

tio cum non rectius fiat, quam si dissentientes rationes inter se conferant, id quod disputare vocant, quis quaeso hoc improbare, aut prohibere aliis sustineat? Nec vlla ratio obstat, quo minus ciuibus hoc concedere imperans possit, nisi forte metuat, ne fraudes ac fallaciae, quas ignorare cives, eius refert, detegantur, vt de Muhammedo supra demonstrauimus. Discordiae autem, & rixae, & dissensiones vt a disputationibus abesse possunt, si intra modestiae limites se contineant, qui in haec certamina descendunt; ita & a christiana religione adeo non probantur, vt prohibeantur potius, vtque ipsis principibus fas sit, legibus atque poenis istum contendendi pruritum coercere. Id quod & subinde factum, vt vel ex Romanorum imperatorum constitutionibus liquet. Conf. *L. Nemo Clericus 4. C. de Episc. & Cler.* & integer. tit. *Codic. Theodos. de his, qui super religionem contendunt.* Sisinnius hoc probe intellexit, dum Theodosio imperatori inculcauit: (n) *disceptationes non solum non reconciliare schismata, sed haereticos praeterea ad contentionem magis accendere. Idcirco concertationes dialecticas vitandas &c.* Quod de iis sane, quae non veritatis inquirendae studio, sed pro causa obtinenda, victoriaque reportanda instituuntur, intelligendum est. De tolerantia

(n) *ap. Sozomenum lib. VII. H. E. cap. XII.*

denique dissentientium non necesse est multa addere, cum nemo nostrum tam rudis sit elementorum christianae religionis, vt nesciat, nihil hac in re christianam religionem concedere Muhammedanae. Quod, sicut & reliqua hactenus allata, de religione christiana in se spectata, non autem prout aut per variarum sectarum placita, aut hominum mores corrupta & depravata est, intelligendum esse, lubentes profitemur. Atque ita id, quod neminem ignorare nostra interest, luculenter, vti existimamus, demonstrauimus.

CAP. IV.

Σύνοψις.

Religio christiana multis modis in variis sectis corrupta est & deprauata, §. I. Vnde in variis sectis & dogmata & mores imperio ciuili aduersi deprehenduntur, §. II. Speciatim Romanenses contraria imperio ciuili docent, dum asserunt, fas esse, principem, quem docti quidam pro tyranno habeant, interficere, §. III. Quando ciuibus insurgere contra imperantem fas sit? §. IV. Sententia haec merito ecclesiae Romanae tribuitur, §. V. Hac doctrina multi inducti, reges principesque interfecerunt, §. VI. VII. Nocet quoque imperio ciuili alia illorum assertio, de fide haereticis

ticis non seruanda, §. VIII. quam multi ex Romanensibus defendunt, §. IX. immo quae itidem ecclesiae Romanae recte tribuitur, §. X. XI. quippe quam ipsa etiam praxi comprobat, §. XII. Repugnat porro imperio ciuili doctrina de summa pontificis in ecclesiasticis potestate, §. XIII. quam strenue sibi vindicant pontifices, reluctante tamen Gallia, vbi & de ecclesiae Gallicanae libertate, §. XIV. Episcopi dum imperio ciuili exempti sunt, statum reipublicae turbant, quod exemplis ex historia Suecica petitis, probatur, §. XV. Multo magis repugnat imperio ciuili potestas, quam in temporalibus pontifex sibi hodienum etiam vindicat, §. XVI. Reliqua Romanensium religionis capita imperio ciuili repugnantia indicantur, §. XVII. Denique ostenditur, quod vitia quoque hominum imperii ciuilis tranquillitatem turbantia, haec eadem religio foueat, §. XVIII.

§. I.

NIhil vnquam tam praeclare excogitatum, aut tam salubriter constitutum fuit, quod non corrumperet atque depravaret hominum improbitas. Quae ergo ad omnium salutem promouendam comparata est, religio christiana, eadem omni tempore est experta fata, vt plurimi ad sui aliorumque perniciem illa abuterentur.

Id vero qui non perpendunt, facile aguntur in transuorsum, dumque rem ipsam a corruptelis atque commentis mortalium discernere nesciunt, quod salutare admodum est, ceu noxium repudiant. Religionem christianam, puram nimirum istam, atque nullis figmentis infucatam, ad status ciuilis conseruationem plurimum conferre, postquam luculenter id demonstrauimus, quis amplius dubitet? At, si eam, prout per varias sectas dispersa, atque velut disseminata, mirumque in modum foedata est, spectemus, aliter forte erit pronunciandum. Quo ipso tamen, in quantum deprauata est, non magis pro christiana, hoc est Christi atque apostolorum, doctrina haberi potest, quam error atque mendacium pro veritate. Vti vero eorum, qui in diuersos coetus religionis causa abierunt, diuersa oppido sunt dogmata, nonnullique ad veritatem accedunt propius, alii longius recedunt: ita etiam de iis doctrinae christianae capitibus, quae speciatim ad reipublicae statum referuntur, existimandum, in iis quosdam veritatem retinuisse, aut non multum ab ea abiisse, alios contra penitus aut amisisse, aut obscurasse.

§. II. Equidem si quae secta inter eas, quae se Christi disciplinam sequi profitentur, reperiatur, quae doctrinam seruatoris eous-

eousque deprauarit, vt per eam prauis hominum cupiditatibus habenae laxarentur, nec ambitioni, aut auaritiae, voluptatique vllum poneretur obstaculum, ea sane penitus euertisse, quod christianae religioni proprium est, & pernicioſa admodum statui ciuili tradere, iure meritoque censeretur. Esse autem quosdam coetus, in quibus, si non aperte, per ambages tamen atque anfractus, talia tradantur, quae verae christianorum disciplinae aut palam adversantur, aut saltem oblique eam infringunt; vel, si hoc non sit, dogmata tamen ita proponantur, vt verus & vnicus christianae religionis finis, imaginis diuinae, & cum ea omnium virtutum, etiam illarum, quae ad vitam ciuilem necessariae sunt, restauratio, impediatur, nemini, nisi rerum omnium, quae in orbe christiano geruntur, plane ignaro, dubium esse potest. Non tamen inficias ire possum, saepius non tam doctrinae, quam hominum, saluberrimis praeceptis non obtemperantium, culpam esse, vt vitia, quae extirpari aut suffocari penitus per christianam religionem debebant, vbique regnent, vbique triumphent, & tantum non virtutum induant speciem, & ita grauissima quoque in vita ciuili secum trahant mala. Sed vti de morum apud christianos corruptione, & redundantibus hinc in rempublicam incommodis, hic

hic dicendi locus non est: ita quoque prolixum nimis foret, de dogmatibus, quae mores corrumpunt, perniciemque reipublicae attrahunt, pluribus hic differere: eaque adeo nobis excutienda restant, quae per se atque directe rerumpublicarum saluti & tranquillitati aduersantur.

§. III. Perlustranti autem mihi omnes, in quas orbis christianus proh dolor! hodie diuiditur, sectas, primo loco sese mihi offerunt Romanenses, potentia non minus, quam audacia, immo forte & morum dogmatumque prauitate, reliquis omnibus superiores. Horum ergo si consideremus de magistratuum ciuiumque officiis placita, noxia vtique, pernicioſaque admodum, & tranquillitatem rerumpublicarum turbare apta, in iis deprehendemus. Iuuabit recensere atque expendere potiora. Assertio doctorum ordinis Iesuitici est, fas esse, principem cetera legitimum, si a quibusdam, praesertim doctis, tyrannus declaretur, occidere. Ita IOANNES MARIANA iesuita Toletanus, in libro de institutione principum, suam hac de re sententiam edisserit, vt hoc diserte affirmet: immo in magna, ab omni memoria, laude fuisse contendat, quicunque tyrannos opprimere aggressi sunt. Si quaeras, a quibus demum eiusmodi princeps, quem nonnulli pro tyranno habent, interfici possit? & populo

pulo vniuerso, & singulis etiam hanc concedit potestatem: (a) *Quicunque princeps communis se boni, h. e. religionis & patriae hostem praebuerit, talisque a republica iudicatus fuerit, auctoritate & publica & priuata e medio tolli potest: it. si nulla sanitatis spes, bellum necessario concitabitur, & princeps publicus hostis declaratus ferro perimetur. Eademque facultas esto cuicunque priuato, qui in conatum rempublicam iuuandi ingredi voluerit.* Vult equidem, si fieri possit, vt consensus populi, aut tacitus, aut expressus, accedat, nec tamen, si non accedat, pulcherrimum eiusmodi facinus intermittendum censet: sufficere, si viros eruditos & graues h. e. Iesuitas, consulat: *nisi publica vox populi adsit, viri eruditi & graues in consilium adhibeantur, quos verosimile est minime perturbato animo de tota re iudicaturos.* Immo, iis etiam inconsultis, caedem maturandam esse, si occasio resque ita postulet: *neque putamus, fore aliquem, qui certus perimendi oblatam eius caedis occasionem negligens, theologorum id arbitrio permittat.* Si porro de modo quaeras, in promptu est responsio MARIANAE: *quid interest, ferro aut veneno perimas, cum concessa sit ferro & fraude agendi facultas:* immo venenum praefert, quod minori hoc ipso periculo parricida exponatur,: *veneno si perimas, fit id minore periculo, maiore spe impunitatis.*

§. IV.

(a) *lib. I. c. VI.*

§. IV. Ergone, inquis, tantum crimen est interficere tyrannum? Habebit profecto MARIANA hic sibi suffragantes multos clarissimos doctissimosque, ex aliis quoque scholis, viros. Certe, ciui quid in tyrannum liceat, in eo non omnes consentire, scio. Mea sic fert opinio, si quis reuera tyrannus sit, qui, migratis omnibus diuinis humanisque legibus, sui commodi rationes praeferat saluti reipublicae, eaque agat, quae ciuium patientiam superent, idque tam aperte, vt nemini vllus dubitandi locus superfit, ei resisti eousque posse, vt abrogetur tandem imperium, facultasque nocendi adimatur. Spectandus quidem tum fuerit, vt hostis, & quamdiu hostilia moliri non desierit, quaecunque ad reipublicae defensionem necessaria fuerint, adversus eum vsurpare, non fuerit nefas. Ita securitati bonorum, immo & malorum, modo ad extremum dementiae gradum non fuerint progressi, satis consulitur, nec tamen ciues plane libidini atque crudelitati impotentium eiusmodi hominum, exponuntur. Quantopere autem Iesuitarum hinc recedat opinio, ex dictis iam quilibet intelligit. Atque licet in eo forte alios sibi consentientes habeant, quod non tam iudicio populi, quam quorundam doctorum, vt vocant, virorum, odio forte aut aliis cupiditatibus indulgentium, summorum

rum principum vitam subiiciant: hoc tamen illis proprium est, quod tyrannum ita definiant, prout id rebus suis expedire putant. Fallitur, qui existimauerit, tyrannum eum ab iis dici, qui neglecta salute populi ad sua commoda cuncta referat, eaque, quae antea diximus, designet; tyrannus est, qui Romanam religionem non satis feruide propagat & propugnat, tyrannus est, qui a Papa excommunicatus est, tyrannus est, qui a viris grauibus & eruditis v. g. Iesuitis, propter peculiares causas pro tali habetur. His omnibus enim tyrannidis notam ab illis inuri, docet GEORGIVS HORNIVS. (b) Reputent ergo secum principes atque rerum domini, quotus quisque illorum per hancce philosophiam vitae suae securus esse queat! Non protestantes securi sunt, quia hoc ipso, quod Romano pontifici non obtemperant, pro tyrannis reputantur: non Romanensium sacris addicti, quia ex trium quatuorue virorum sententia atque decreto, illis aut viuendum, aut moriendum est.

§. V. Obiici forte nobis poterit, quod vitio multis scriptoribus communi, vnius viri sententiam perperam integro ordini, aut vnius ordinis, vniuersae ecclesiae Roma-

(b) *in dissertat. I. de tyrannide, quae est XVIII. inter eius dissertationes historico-politicas p. m. 123.*

manae tribuamus. Quod tamen telum neutiquam nos ferit. Non nunc referam, comprobatum hocce MARIANAE opus fuisse a STEPHANO HOIEDA, visitatore generali in regno seu prouincia Toletana, itemque a magistro prouinciali PETRO DE ONNA, qui hederam etiam libro huic suspendit, insignemque eius vtilitatem commendaturus, *si*, inquit, *ad hanc praescriptam formam actiones & consilia referantur, nae! magnum atque incredibile operae pretium existet.* Scilicet! Non producam nunc alios eiusdem ordinis libros, vt IOHANNIS GVINARDI, qui, teste THVANO, (c) Iacobi Clementis parricidium ad coelum laudibus efferre, atque defendere quam acerrime, non dubitauit, aut alium de *iusta Henrici III. abdicatione*, aut *Apologiam pro Iacobo Castello* gallice atque belgice itidem a Iesuitis editam, & reliqua eiusdem commatis. (d) Alio argumento rem totam conficiam. Etenim puppis atque prora religionis Romanensium, vt omnibus constat, est auctoritas & imperium Romani Pontificis. Quaecunque ergo placita ad hocce imperium stabiliendum tendunt, ea propria atque domestica ecclesiae Romanae censeri debent. Haec autem ipsa, de regum atque principum parricidio,

(c) *lib. CXI. p. 926.* (d) *conf. auctor libri: l' irreuocabilité de l' Edit de Nantes part. I, c. V.*

dio, sententia, huc quam maxime comparata videtur. Ab haereticis, vt vocantur, Romano pontifici maximum periculum. Disputationibus eos reducere ad obsequium, prolixum nimis, atque incertum. Promptior via est, tollantur principes, ceteri facile sequentur. Sic &, si ipsi Romanenses principes non obediant paternis monitis pontificis, puniantur. Aperte non licet: obiiciatur tyrannis: salua res est, tum non vnus, sed mille in eos armantur carnifices. Tam probe itaque cum haec sententia cohaereat cum primo doctrinae Romanensis principio, quis dubitet, eam pro vniuersae huius ecclesiae sententia venditare? licet quidam cautius hic incedant, eamque tegant, aut dissimulent, alii apertius prodant. Certe, postquam MARIANAE liber supremae curiae Parisiensis iudicio flammis traditus est, (e) cautius mercari didicerunt, iure metuentes, ne rerum domini alias tandem rationes, illis forte non gratas, securitati suae consulendi inituri essent. Hinc CLAVDII AQVAVIVAE, totius ordinis praefecti, admonitio satis quidem frigida, ne in posterum talia docerent, hinc COTTONIS tandem atque ENDAEMONIS scripta MARIANAM impugnantia, vt videri volunt, reuera excusantia. At serio istos rem agere, atque ex animo talia

I detesta-

(e) *vid. Grammondus histor. Gal. lib. I. p. 11.*

deteſtari, quis crederet? Quamdiu ſane committere nolunt, vt pontificii imperii moles corruat, tamdiu haec ſimiliaque vix poſſunt ex animo deteſtari.

§. VI. Nec ſunt haec ſaltem otioſorum hominum commenta, de quibus in ſcholis vmbratici doctores diſputent. Experta eſt Anglia, Galliaque, quantum ex hac doctrina periculum principibus regibusque immineat. Vix excuſſerat Britannia ſub Eliſabetha duriſſimum pontificiae ſeruitutis iugum, cum in deſperationem ac furorem coniecti, qui praecipui eccleſiae Romanae propugnatores videri volunt, paſſim ſcholas, aut ſeminaria, vt vocabant, conſtituebant, in quibus iuuentus Anglicana, priſtinae ſuperſtitioni adhuc dedita, ad reſtituendas afflictas in Anglia pontificis res fingeretur. Obſequium erga imperantes, probitatem, fidemque his inculcatam credas? immo vi fraudeue tollere e medio reges, expedire arma, parare venenum, ſtruere inſidias, hae artes fuere, quibus erudiri conueniebat, quos reuocatae redditaeque ſedibus ſuis religionis Romanenſis, gloria manebat. Ipſa nos hoc docet in ſuo edicto Eliſabetha, immortalis memoriae foemina, quam licet arguere mendacii non erubeſcat ANDREAS quidam, vt vocari voluit, PHILOPATOR, in ſua ad edictum hoc reſponſione, euentus tamen luculen-

culenter docuit, verissima dixisse reginam, istumque adeo hominem conticescere iubet. Ipsa Elisabetha quam saepe insidiis, a Romanensibus maximam partem structis, petita fuerit, constat, proditumque memoriae est a GVILIELMO CAMBDENO, GILBERTO BVRNETO, GREGORIO LAETO, aliisque, qui reginae huius vitam resque gestas literarum consignarunt monumentis. (f) IACOBVS vix regni habenas capessiuerat, cum, non minus in regna, quam pericula quoque eadem se successisse, intelligeret: vixque euaserat coniurantium insidias, cum statim ad nouum scelus parati, alias insidias male feritati homines struerent. Deditque ista conspirationum, maximam partem a Romanensibus conflatarum, multitudo auctori alicui argumentum, integrum librum de *conspirationibus*, quibus vexata Britannia est, sermone gallico conscribendi. (g) Inter omnes vero memoratu digna maxime illa est, qua pulvere pyrio regem, proceresque in vnum congregatos, tollere e medio conati sunt. Quo conatu nihil atrocius, nihil scelestius, vlla vnquam aetas vidit. Ad Romanenses autem, praesertim Iesuitas auctores, illud facinus referendum, tum aliunde,

(f) *add. Ezechiel Burridge in historia nuperae mutationis in Anglia, cap. IV. p. 96.* (g) *les conspirations d' Angleterre.*

tum ex peculiari GVILIELMI CAMBDENI libro, patet, cui titulum fecit: *Actio in Henricum Garnetum, societatis Iesuiticae in Anglia superiorem, qui puluere fulminali regem & regni Angliae ordines e medio tollere coniurarunt* Neque est, quod existimes, conquieuisse demum hosce homines, tot scelerum conuictos, nec subsecutis regibus quicquam molestiae facessiuisse: immo ad huncce vsque diem Angliae reges, per sceleſtissima horum consilia, nunquam non in maximo vitae versantur discrimine. Paucis cuncta a Iesuitis patrata complectitur EZECHIEL BVRRIDGE, cuius hac de re verba hic afferre nos non pigebit: (h) *Mora esset, si sigillatim memorarem scelera omnia, quae perditi isti & profligati alastores miro apparatu & thoragio crudelitatis contra rempublicam nostram post Iacobi I. etiam tempora perpetrauerint. Iesuitis praecipue tribuendum est, quod ciues furibundi Carolum Iacobi filium & successorem in regno, infortunio primum, deinde morte mactarunt: illi etenim Oliuerii Cromwelli tyranni regicidae colloquio & consiliis se immiscuerunt. Mirum est etiam, quam numerosa prodizionum serie eos post reditum regiae familiae, nobis infestos experti sumus. Ipsis tanquam primuriis incendiariis horribile illud incendium imputandum est, quod anno sexto post ingressum regiae familiae in vrbe Londini grassabatur. Illorum industria & conatu funestum illud bellum,*

(h) *l. c. p. 100. seqq.*

bellum, cuius in superiori capite mentionem feci, quodque exitus nobis & Europae exitiales habiturum sperabant, non sine insigni perfidia in Batauos erupit. Facinus illud senatui nostro compertum erat, atque ex eo contigit, quod, cum viderent auctoritatem Iesuitarum indies in Anglia gliscere, omnia propemodum vesanis illorum consiliis gubernari, rem fortunamque Batauorum sub Gallorum armis semper in peius inclinare, regem supplici libello comprecati sunt, vt regno Angliae Iesuitis interdiceret. Atque intra eiusdem anni curriculum vt obuiam irent insidiis omnibus, rempublicamque ab imminentibus calamitatibus incolumem retinerent, memoratum superius senatus consultum sanxerunt, cuius relaxatio inter prima consiliorum ad euertendam nostram libertatem a rege inuentorum, merito recensenda est.

§. VII. Secundo loco Galliam producimus, testimonium de Iesuitarum machinationibus ferentem, omnibus vt constet, quam accurate dogmatibus respondeant facta. Iacobi istius Clementis, qui Henricum III. Regem e medio sustulit, facinus adeo non displicuit huius ordinis viris, vt MARIANA istud vocet *monumentum nobile, & insigne ad memoriam:* (i) statimque addat: *occidere tyrannum glorioſum, honestum, pulchrum, magno praemio dignum, pro quo nunquam satis pretii praestari possit.* IOANNES quoque GVINARDVS illud, *vt a Spiritu S. in-*

 sinuatum,

(i) *l. c. cap. VI.*

sinuatum, insigniter commendasse dicitur. (k) SIXTVS vero V. pontifex in oratione A. M D XCVIII. die II. Septembr. habita *diuinis operibus* hanc caedem comparauit. Atque non tantum extulerunt illud magnopere, qui sibi cumprimis regni pontificii conseruandi curam demandatam putant, sed per totum istud tempus, quo rerum summam tenuit Henricus III. turbarum omnium atque tumultuum extiterunt auctores. Id quod & historici fide digni testantur, & liber quoque ille, de *iusta Henrici III. abdicatione*, supra a nobis commemoratus, satis superque comprobat. Henricus vero IV. eiurata licet, cui innutritus erat, doctrina, sacri ordinis gratiam adeo non promereri poterat, vt non semel parricidarum mucronibus obiectus, ne fando tandem Rauaillaci scelere perierit. PETRVM quoque BARRERIVM, Iesuitarum, praesertim P. VARADAE rectoris collegii Claromontani consiliis iam A. M D XCII. ad necem regi inferendam concitatum fuisse, constat. De Ioanne Castello, qui, dum iugulum regis petiit, dentes confodit, res itidem nota est, quod ex Iesuitarum scholis prodierit. Frugi virum scilicet! & praeceptorum de tollendis e medio principibus, Iesuitis forte inuisis, probe memorem fuisse oportet. Fassus est, THVANO teste,

(k) *ap. Hornium l. c p. 133.*

teste, (l) a Iesuitis id se didicisse, nominatim a I. GVERETO, qui ob eam causam tota Gallia proscripti sint. Ridiculum vero est, quod ordinis huius defensores ad POSSEVINVM prouocant, in cuius apparatu oratio Henrico regi adscribitur, qua Iesuitarum causam agit ipse, atque innocentiam illorum demonstrat. Quasi vero non facile admodum sit, affingere regi orationem, qua dicat, quae eum dixisse vellemus. Secus vero rem se habuisse, non tantum ex THVANO constat, sed ex instructione etiam, VILLAREGIO legato Romam missa, patescit, (m) in qua rex testatur: *Iesuitas odiosos fuisse redditos propter cupiditatem & coniurationes aduersus personam suam, eorum instigatione, nullamque esse causam, cur de illo ordine bene sentire debeat.* Et certe in omnem sese vertit partem Henricus, vt ab horum hominum insidiis tutus esset: mox seueritate, mox clementia, vt molliret tandem feroces animos, erga eos vsus. At hisce parum profecit. Succubuit tandem illorum artibus, periitque a Rauaillaco interfectus. Hic vero a supremae auctoritatis iudicibus de causa suscepti parricidii interrogatus, in reorum sellula sedens, non per ambages, aut aenigmata, sed liquido ac diserte respondit: *ideo se, quod fecerit, fecisse, quia rex protestantibus Germaniae principibus opem ferre*

(l) *l. c.* (m) *vid. Hornius l. 6. p. 157.*

paratus, in causa Iuliaco-Cliuensi Romano pontifici rem ingratam esset molitus, proinde dignus, qui periret; se Deum in terris Romanum pontificem agnoscere, contra quem bellum gerere sit ipsi Deo bellum inferre, cum Papa Deus sit, ac Deus Papa. Ita verbis LANSII (n) rem istam exponere lubuit, qui addit: *Quod illum cetera stupidum in Loiolitarum schola, ceu Catilinarum seminario, didicisse, dubitatum est a nemine.* Possem plura addere, sed haec, ad id, quod probandum suscepimus, sufficiunt.

§. VIII. Altera hypothesis Romanensium, rerumpublicarum tranquillitati, statuique ciuili e diametro aduersans, notissima illa est, de fide haereticis non seruanda. Per eam namque & sanctissimum istud vinculum, quo imperantium ciuiumque officia continentur, & quo rerum domini haud raro ad se contra iniquos aliorum insultus defendendos, aut iura sua tuenda, coalescunt, labefactatur, hominumque generi eripitur penitus. Quod anima est homini, hoc fides est ciuilibus negotiis: & vt nec homo vllus, nec respublica, aut gens vlla commode sine pactis aut federibus sibi prospicere potest, ita, fide sublata, praesidium amplissimum rerumpublicarum corruit. Quod enim haereticos saltem eo loco se habere docent, non item ceteros, id vt magnam Europae partem ferit, sic Romanen-

(n) *in consultat. f. 373.*

manensium sacris addictos principes non extra periculum ponit. Praeterquam enim, quod hinc impedimentum federibus, quae haud raro cum dissentientibus percutiunt, facile afferri queat, in pontificis positum est arbitrio, haereseos notam pro lubitu iis omnibus inurere, qui Romanae sedis legibus viuere detrectant. Fateor equidem, non temere hodie reperiri principem inter eos, qui Romanae ecclesiae sacris imbuti sunt, quem tanta occupauerit superstitio, vt cum illis, quos Roma haereticos declarauit, aut inire fedus, aut datam seruare fidem sibi religioni ducat, modo ceteroquin hoc rebus eius expediat. Sed exinde non desinit haec doctrina perniciosa esse, aut admodum noxia rebuspublicis. Etenim, vt veritati doctrinae per mores improbos, eam se sequi, profitentium, nihil decedit, eaque vera manet: ita nec prauitati religionis consulitur, si forte, qui ei addicti sunt, aliis causis adducti, rectius se gerant, quam per istum errorem, si locum illi relinquere voluissent, se potuissent gerere. Accedit vero, quod error hicce tam manifestus sit, vt rationem eiurasse necesse sit, si quis forte per eum caliginem menti suae offundi passus fuerit.

§. IX. Intercedent hic fortasse nonnulli, auremque vellicabunt, ne iterum studio forte partium abreptus, sententiam illis

tribuam, quae iis in mentem non venerit. At primo certum est, fuisse quosdam inter Romanenses, qui hanc sententiam diserte propugnarunt. Celebris inter eos est IACOBVS SIMANCHA, episcopus Pacensis, qui citra ambages: (o) *ad poenam quoque pertinet & haereticorum odium, quod fides illis data seruanda non sit. Si enim tyrannis, piratis, & ceteris praedonibus fides seruanda non est, qui corpus occidunt, longe minus haereticis pertinacibus, qui occidunt animos.* Quae tamen ludicra atque friuola ratio est, immo aperte falsa, cum nemo sanae mentis dubitet, tyrannis etiam atque piratis datam seruandam esse fidem, modo vi non sit extorsa, vti HVGO GROTIVS quoque recte docet. (p) Sed addit tandem: *Cum haereticis nullum commercium, nulla pax catholicis esse debet. Quamobrem fides illis data etiam iuramento firmata, contra publicum bonum, contra salutem animarum, contra iura diuina & humana, nullo modo seruanda est* Non equidem me fugit, quid ad excusandum SIMANCHAM afferant in medium, quos pudet, extitisse inter eos virum doctum, qui tam aperte, quae humanitati rationique aduersantur, assereret. Sed ea tam friuola sunt, vt referre quoque pigeat. At ne solum hunc fuisse credas, qui Romanae ecclesiae mentem incautius

(o) *institut. catholic. tit. XLVI. artic. LII.* (p) *de I. B. & P. lib. III. cap. XIX. §. II.*

cautius prodiderit, cardinalis HOSIVS Poloniae regem docet, (q) licet iuramento sit obligatus Poloniae ordinibus, aeque se defensurum catholicos, & haereticos, tamen nulla ratione teneri ipsum ad praestandum, quod promiserit. *Nunquam*, inquit, *patiaris, vlla te ratione ad ea, quae promisisti, seruanda teneri, quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis.* Suffragatur huic CONRADVS BRVNVS, alias coecus dictus, ex variis ingenii monumentis, maximam partem ad Romani pontificis regnum stabiliendum tendentibus, orbi erudito notus. In libro enim de haereticis hoc praecipue agit, vt ostendat, nefas esse, cum haereticis inire pacem, aut, si inita fuerit, irritam eam esse, nec vlla ratione seruandam. *Tanto magis horrendam & abominandam esse pactionem, quae ita inita est*, contendit, (r) *vt fractae pacis teneatur catholicus contraueniens, quod fractio pacis nulla possit eos offendere, cum quibus nulla communio est, quosque leges banno etiam imperiali subiiciunt, & impune offendendos, offerunt, quos omnia diuina humanaque iura extinctos volunt.* His denique & IACOBVS MENOCHIVS (r) accedit, adeo peruulgata est apud Romanenses haec sententia, vt nec iureconsultos, ceteroquin doctos & praestantes viros,

(q) *ep. CXCVII. add. ep. CCIII. it. CCXX. vt & Rudolphus Hospinianus lib. IV. hist. Iesuit. c. I.* (r) *lib. I. cons. C. n. CLXXXVIII. seqq.*

viros, eius pudeat, qui & porro MARINVM SALOMONIVM, PETRVM PLACAM, immo ipsum AMBROSIVM, atque THOMAM de AQVINO, ceu sententiae huius patronos allegat. Vbi tamen, quod ad AMBROSIVM attinet, maximopere fallitur. Namque in illo, quem laudat, loco, (s) AMBROSIVS nihil aliud agit, quam vt demonstret, hostibus datam seruandam esse fidem, tantum abest, vt asserat, haereticis fidem datam non esse seruandam. Sed plura hic accumulare testimonia supersedeo.

§. X. Non desunt, fateor, ex ipsis Romanensibus, qui diserte contrarium docent. At, quod ROBERTVS SVVEERTIVS, Plebanus Syluaeducensis (t) & HERIBERTVS ROSVVEIDVS Iesuitarum ordini addictus, (u) in peculiaribus de hoc argumento dissertationibus contendunt, receptam hanc esse ecclesiae Romanae doctrinam, haereticis vt seruetur semel data fides, id vt credam, vix a me impetrare possum. Namque (v) mores Romanensium plane ignoret, necesse est, qui nesciat, quam illis solenne sit, aliud quid profiteri verbis, aliud clausum in pectore tenere. Adeoque, quoties de eiusmodi doctrinae capitibus agitur, quae ad

(s) *lib. I. de offic. cap. XXIX.* (t) *in dissertat. de fide haereticis seruanda sect. I. p. 15.* (u) *itidem in dissertat. de fide haereticis seruanda cap. XIX. p. 215.*

ad tenebrarum istud regnum suffulciendum aliquid conferunt, quaeque nonnulli candidiores aperte profitentur, ibi, cum alii dissentiunt, vix aliter hoc est capiendum, quam quod, foeditatem sententiae perspicientes, occultare & dissimulare velint, quae illi incautius eliminarunt. (2) Plerique etiam, qui tueri videntur, fidem haereticis datam esse seruandam, nihilosecius additamentis quibusdam tam callide sententiam suam instruunt, vt eam pro lubitu interpretari, prout rebus suis expediat, possint. Ingenii acumen more suo hac in re demonstrauit, vt nunc alios taceam, celeberrimus inter recentiores Iesuitas LVDOVICVS MAIMBVRGIVS. (x) Gregorium Magnum enim Romanum pontificem laudat, dissentientibus quod permiserit, tuti Romam vt venirent, & regrederentur, statuitque etiam, haereticis inuiolabiliter seruari debere promissa, addit tamen: *modo ipsi conditionibus adiectis non contraueniant.* Hoc cum in concilio Constantiensi non fecerint 10. HVSSVS atque HIERONYMVS PRAGENSIS, merito eos punitos esse, inde concludit. Ita scilicet caligo offundenda erat simplicioribus. Per enim facile est obiicere quid haereseos damnatis, quo adiectis non stetisse conditionibus videantur. Pereundum itaque miseris

(x) *histoire du Pontificat de S. Gregoire le grand lib. I. p. 31.*

miseris est, & Romana tamen ecclesia orbis vniuersi inuidiam, ex tam crudeli dogmate orituram, egregie a se amolitur. (3) Esto autem: serio rem agant, qui docent, datam haereticis seruandam esse fidem. In duas ita partes abeunt Romanensium doctores: nonnulli docent, seruandam esse fidem haereticis, alii diserte hoc abnuunt. Hoc ergo superest, vt disquiratur, horumne, an illorum sententia, pro sententia Romanae ecclesiae, habenda sit.

§. XI. Ego vero ita rationes subduco: quorum sententia subinde a conciliis ecclesiae Romanae comprobata, & in effectum etiam a regibus principibusque ecclesiae Romanae, immo ipsis pontificibus, deducta est, illa pro sententia ecclesiae Romanae omnino recte habetur. Iam vero de illorum, qui, fidem haereticis datam seruandam non esse, docent, sententia, haec omnia facili negotio demonstrabo. Non producam nunc Lateranensium conciliorum sub Gregorio VII. itemque Innocentio III. decreta: sed sufficiat vnicum, concilii scilicet Constantinensis, sessione XVII. conditum, quod ita se habet: *Praesens sancta synodus ex quouis saluo conductu per imperatorem, reges, & alios seculi principes, haereticis, vel de haeresi diffamatis, putantes, eosdem sic a suis erroribus reuocare, quocunque vinculo se adstrixerint, concesso, nullum fidei catholicae vel iurisdictioni ecclesiae*

cleſiaſticae, praeiudicium generari, vel impedimentum praeſtari poſſe, ſeu debere, declarat, quo minus dicto ſaluo conductu, non obſtante, liceat iudici competenti & eccleſiaſtico, de huiuſmodi perſonarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum iuſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores reuocare pertinaciter recuſauerint, etiamſi de ſaluo conductu conſiſi, ad locum venerint iudicii, alias non venturi: nec ſic promittentem, cum alias fecerit, quod in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum. Enimuero huc tandem ſumma huius decreti redit, etiamſi aliquis ſaluo conductu imperatoris aut regis cuiusdam munitus venerit in locum iudicii, eum, non obſtante promiſſo illo, ſi pontifici ita videatur, interfici poſſe. Frangenda ergo fides data: cur? quia pontifex iubet. Cur iubet pontifex? quia haereticus eſt, cui promiſſio facta. Ergo fides haereticis data non ſeruanda. Nihilo ſecius NATALIS ALEXANDER a ſe impetrare nequit, vt credat, eiusmodi quid in hocce concilii Conſtantienſis decreto ſanciri: quod ne fruſtra dixiſſe videatur, ita ratiocinatur: (y) *duo decernit ſacra ſynodus, primum, quod ſecularis poteſtas eccleſiaſticam iure impedire non poſſit, quin ſuo fungatur officio, ac proinde ſi princeps laicus haeretico homini dot ſaluum conductum, id non obeſſe, quin iudex eccleſiaſticus, quae ſui ſunt muneris, legitime exequatur, id eſt, ne*

(y) *H. E. ſec. XV. & XVI. diſſert. VII.*

ne quaestionem de haeresi aliisque criminibus in ipsum habeat, legitimisque testimoniis & documentis conuictum secundum canones iudicet. Quid vero hoc in decreto reprehensioni obnoxium est? nihil sane: immo iuri & rationi prorsus est consentaneum. Potestates enimuero diuersi ordinis, quarum quaelibet in suo ordine suprema est, & ab altera independens, immo vna excellentior altera, sese mutuo prohibere non possunt, ab actibus suis legitime exercendis. Atqui secularis & ecclesiastica potestas sunt diuersi ordinis, quaelibet in ordine suo suprema est, & ab altera independens, immo ecclesiastica est excellentior & ordinis superioris: secularis igitur potestas nullis pactis, conuentionibus, aut promissis spiritualem potest ligare, vel prohibere, ne iudicium ferat, in causa, quae fori ecclesiastici est, sic nec ecclesiastica ligare potest laicum, ne quaestionem habeat & sententiam ferat de ciuili. Non immorabor nunc discutiendis placitis, quae ceu conuenientia domesticis suis principiis, sed erroneis, & rationi euidenter repugnantibus, hic immiscuit ALEXANDER v. g. quod ecclesiastica potestas non dependeat a seculari, quod illa hac excellentior sit, & quae alia sunt eiusdem farinae. Neque plagii nunc conuincam ALEXANDRVM, quod facile foret, quia totam hanc responsionem de verbo ad verbum ex BECANO exscripsit. (z) Saltem id afferam, quod ad rem ipsam pertinet. Ni-

(z) *tom. II. in quaest. miscellan qu. V. n. 2. 3.*

Nimirum fateur, vnam potestatem non debere in actibus suis impediri ab altera Concedam hoc tantisper: sed simul infero, perperam agere ecclesiasticum ordinem, dum secularem in suis actibus impedit. Promittere aliquid, securitatem reo praestare, saluum conductum concedere, sunt actus seculares. Hos actus qui irritos esse iubet, eos sane impedit. Instas: aliud est, promittere aliquid, aliud, promittere haeretico, & sic porro. Ergo hi actus ideo irriti sunt, quia cum haeretico res est, aut ideo, quia pontifex ita iubet. Irriti enim omnino sunt ex decreto concilii. Si ideo, quia cum haeretico res est: habeo, quod volo: haeretico scilicet nullam seruandam esse fidem; sin, quia pontifex iubet, ergo in ciuilibus actibus pendet princeps a pontifice, quod iterum absonum. Licet enim, quis haereticus sit, ab ordine sacro forte definiendum sit, at punire hunc virum, ei praestare securitatem, sunt actus ciuiles. Excipis: seruare potest princeps fidem, modo iudicium potestatis ecclesiasticae non impediat. Primo inuerto: exercere potest ordo ecclesiasticus sua iura, modo non cogat principem datam fallere fidem. Deinde, iocari mihi videtur ALEXANDER, aut ineptire, dum ita rationes subducit. Namque ideo fidem dat princeps haeretico, vt ab omni insultu tum ciuilis,

tum ecclesiastici fori, tutus sit. Ceteroquin insanus esset ille haereticus, qui principi securitatem promittenti, fideret. Quae enim ista esset securitas? At, inquis, non potest limites suos transgredi potestas secularis, & hominem haereticum iudicio ecclesiastico eripere. Bene, ergo nec securitas promittenda erat. Proinde sequitur, principem Romanae ecclesiae sacris addictum, dum homini haeretico securitatem promittit, aut scientem volentemque fallere, dum promittit, quae praestare nequit, aut non iis limitibus eum constringi posse, quibus ALEXANDER eum hic circumscribit. Transigat ergo hac super re cum suis. Ego vero inde infero, dum concilium Constantiense irritos reddit hunc in modum actus principum, reuera fidem fallere iubet. Quid enim aliud est, cum dico: securitatem, quam promisisti, non poteris praestare, ac si assererem: quae promisisti, seruare non debes.

§. XII. Ad facta nunc accedam, vt iis demonstrem, ecclesiae Romanae doctrinam esse, haereticis non esse seruandam fidem. Vbi quidem latissimus sese mihi aperiret dicendi campus, si omnia conquirere, aut conuectare vellem. Namque & Eugenius pontifex, cardinalisque Iulianus mihi commemorandi hic essent, qui Vladislao Hungariae regi auctores extitere, v

decen-

decennales inducias cum Amurathe II. Turcarum imperatore initas, bello eidem illato, violaret, atque ita datam frangeret fidem. (a) Atque de Ioanne quoque Huſſo, ac Hieronymo Pragenſi contra datam ab imperatore Sigismundo fidem in concilio Conſtantienſi capitali affectis ſupplicio, aliisque, prolixe mihi diſputandum eſſet. Sed antiquioribus hisce immorari non lubet. De Huſſo tamen addo, NATALEM ALEXANDRVM (b) omnem quidem movere lapidem, (praeeunte quidem COCHLAEO, cuius arare vitulo ſibi religioni non ducit) vt imperatorem, atque concilii patres, a violatae fidei crimine abſoluat, eumque in finem negare, ſalui, vt vocatur, conductus literas ab imperatore, Huſſo fuiſſe conceſſas, cum tamen ANTONIVS VARILLASIVS, (c) in ſua de haereſibus hiſtoria, & in prima quidem editione, duo ſalui conductus diplomata, vnum ab imperatore, alterum a concilio ei conceſſa doceat, in altera autem, vnum ad preces concilii ab imperatore illi impertitum fuiſſe, fateatur. Apertiſſime autem hominem iſtum clariſſima hiſtoriarum monumenta impugnare, & ſine vlla ratione in dubium vocare, quae

(a) *v. Bonfinius de rebus Hungaricis, lib. IX. cap. III.* (b) *H. E. ſec. XV. & XVI. diſſertat. VII.* (c) *conf. Larroque dans les nouuelles accuſations contre Mr. Varillas p. 124.*

certissima sunt, demonstrare facili negotio possem, si id nunc agerem. Sed missis hisce, ad fidem nostrae assertioni faciendam, prouocamus ad ea saltem, quae nostra aetas, in Gallia geri, non sine stupore vidit. Nannetensi edicto innocentissimorum hominum, qui reformatae ecclesiae sacris addicti erant, securitati satis superque consultum esse, quis non credidisset? Conditum illud ab Henrico IV. non tantum a Ludouico XIII. sed moderno etiam rege Ludouico XIV. confirmatum sanctissime erat. (d) Immo debebat hocce edictum ex conditorum mente sanctum esse, ac perpetuum, & inuiolabile, vt ne opus quidem haberet vlla confirmatione. Ita enim ipse Rex Ludouicus XIII. in declaratione calendis Maii A. M.DC. X. edita, loquitur: (e) *licet edictum hoc sit perpetuum & irrefragabile, vt confirmatione per nouam declarationem non indigeat, se tamen ex sententia sua, principumque sanguinis, parium, & officiariorum coronae, statuere, vt edictum illud in omnibus capitibus & articulis vna cum decretis, & statutis super interpretatione & executione eius factis, inuiolatum seruetur, & contraeuntes ceu publicae quietis perturbatores seuere puniantur.* Palladium hoc aliquod miseris merito videbatur, quod humanis viribus eripi non posset. At potuisse,

(d) *v. Heideggerus in hist. pap. per. VII. §. CCCXXVII.* (e) *ap. Heideggerum l. c.*

uisse, euentus docuit. Primo enim variis machinationibus, insidiis, interpretationibus subdolis, aliisque artibus eo rem deduxere Romanenses, vt cardines & fundamenta eius conuellerentur: tandem, cum opportunum istud tempus, dissentientes perdendi, affulsisse crederent, palam, insuper habitis omnibus promissis, omnibus pactis, omnibus legibus, saeuire in miseros non dubitarunt, nec vnum crudelitatis & perfidiae exemplum ad posteros transmisere. Hoc vero si non est datam haereticis frangere fidem, nescio, quid demum perfidiae nomine hisce hominibus veniat. Quae enim ad excusandam, aut emolliendam, tam proteruam fidei violationem afferuntur, ne digna quidem sunt, quae in censum veniant, aut vt iis diluendis immoremur. Henricum IV. inquiunt, (f) tantum tranquillitatis in regno seruandae causa edictum suum condidisse, eaque mente, vt interea ad ecclesiam reduceret, qui ab ea secessérant, cum tamen Henricus ipse perpetuum & irreuocabile hocce edictum profiteatur, nec vel verbo innuat, hanc suam mentem fuisse. Quae etiam nec esse potuit, cum, licet politicarum quarundam rationum intuitu externis Romanae ecclesiae ritibus se attemperarit, de verita-

(f) *vid. auctor libri: l' irrevocabilité de l' edit de Nantes, part. I. cap. I.*

te tamen eius doctrinae, cui innutritus erat, plane persuasus extiterit. Praeterea, (g) in praefatione inquiunt, dicit rex: *nondum permissum esse a Deo, vt omnes subditi sui vnam formam religionis teneant*, vnde BERNHARDVS quidam in explicatione edicti Nannetensis A. M. DC. LXVI. edita, quod rex ad tempus saltem statuere aliquid hoc edicto voluerit, concludit. Id quod rursus disertis verbis regis, quibus profitetur, se perpetuam legem condere, repugnat. Conditio autem, quae in verbis latere videtur, cessaturum nimirum edictum, si ad eadem sacra omnes Galli aliquando accesserint, cum non ex voluntate hominis cuiusdam, sed Dei sapientissima, arcana tamen, rerum humanarum gubernatione pendeat, non quoque hic attendenda venit, ipsaque adeo dispositio merito pro pura habetur. Sed cuiusmodi cetera sint, hinc intelligitur, vt adeo ea aut referre aut refellere, nihil aliud sit, quam rebus superfluis impendere operam non necessariam.

§. XIII. Quae hactenus discussimus Romanae ecclesiae dogmata, ciuilis societatis tranquillitatem turbare apta, inter praecipua referuntur media, supremam auctoritatem pontificis stabiliendi, & conseruandi: cuiusmodi & longe plura afferre possemus, si limites, quibus institutum nostrum cir-

(g) *idem auctor l. c. cap. II.*

circumscripsimus, transilire fas esset. Nunc autem, quod caput causae est, addendum, & ipsa, quam sibi pontifex vindicat, auctoritas, tum in ecclesiasticis, tum in secularibus, considerandа. Haec summa, hoc centrum Romanensium religionis est: cum hac si salus reipublicae consistere possit, forte ratio adhuc quaedam papismum cum salute rerumpublicarum conciliandi, inueniri posset, aut saltem spes supereſſet, ad saniorem mentem redituros dissentientes: contra, si repugnat ciuilis status conseruationi haec auctoritas pontificis, actum est, spes omnis decollauit. Namque abdicaturos aliquando se hac potestate pontifices, vt rerumpublicarum salus in tuto collocetur, si quis sibi persuadeat, illi incognitam plane indolem humani ingenii, pontificumque Romanorum esse, necesse est. Initium faciemus a potestate in rebus ecclesiasticis. Enimuero constat, huius limites a Romanis pontificibus eousque proferri, vt omnes eos, qui sacris muneribus, & dignitatibus fulgent, alterius, quam suo, imperio subiectos, diserte negent. Proinde & a pontificibus tantum episcopos constituendos contendunt, sicuti reliqui contra sacro ordini addicti episcoporum imperio parent, vt ita per episcopos ad pontificem tandem supremum in omnes sacris rebus operantes imperium redeat.

Hi ergo nec alium, quam pontificem, agnoscunt iudicem, qui & omnia negotia, quocunque modo ad religionem spectantia ad suum forum trahit, vt ita nunquam occasio imperia atque respublicas turbandi, quando id e re eius visum fuerit, desit. Eam ergo animo reipublicae concipias faciem velim, in qua tertia aut quarta pars ciuium alium, quam reliqui, agnoscat dominum, qui iussis etiam suis contra reliquos, immo totam rempublicam illos concitare queat, & qui insuper in quibusdam causis tum in imperantes, tum reliquos ciues omnes imperium aliquod affectet, & imaginem videbis reipublicae, in qua Romanensis dominatur religio. Plurimis autem incommodis & periculis subiectam eam esse, nemo forte negauerit. Concordes enim semper fore inter se, qui diuisum ita imperium tenent, & quorum adeo in diuersum tendunt consilia, vix sperandum est. A discordibus quid aliud, quam contentiones, & intestina bella, aut alia aeque grauia incommoda, expectandum? Mirum vero, reges, qui augendae ceteroquin potestatis suae nec modum, nec finem faciunt, passos esse, dimidia imperii se spoliari parte, nisi & superstitionis vis, & consiliorum, quibus ad tantam potestatem grassati sunt Romani praesules, calliditas nota esset. Quae sane tanta fuit, vt cordati quidam fortissimique

que principes frustra in contrarium nisi sint. Si quis alius, certe HENRICVS IV. imperator Germanorum, aeterna laude dignissimus, intellexit, quanti referret reipublicae, episcopos non constitui a pontifice: maximaque intrepido pectore adiit pericula, vt illud seruitutis iugum a Germanorum ceruicibus depelleret: sed temporum infelicitati, & prauorum hominum insultibus, inuicta eius succubuit virtus. Decretum GREGORII, quo inuestituram episcoporum sibi asseruit, apud BARONIVM legi potest, (h) quocum iungi meretur OTTO FRISINGENSIS. (i) Monet recens quidam scriptor LVDOVICVS ELIAS. DV PINIVS, (k) litem caesarem inter atque pontificem non fuisse de inuestitura per gladium, sed tantum de inuestitura per annulum & baculum. Illam non sine crimine eripere potuisse imperatori pontificem, hanc pontifici non potuisse denegare imperatorem. Esto: ita se haec habuerint. Maior tum fuisset pontificis improbitas, si & in temporalibus imperium in episcopos sibi asserere voluisset. At nec in eo culpa caret, quod in ecclesiasticis idem ausus sit. Firma rataque semper erit haec sententia,

(h) *ad A. M. LXXVIII. n. LXXVI.* (i) *lib. VII. chron. cap. XVII.* (k) *nouuelle bibliotheque des auteurs ecclesiastiques tom. IX. cap. II.*

quam sana ratio omnes homines docet, & cui nec scripturae sacrae, nec purioris ecclesiae decreta refragantur, supremam in sacris potestatem, adeoque & supremum in eos, qui sacris operantur, imperium, ad illum spectare, qui supremus est reipublicae dominus. Incommoda, quae reipublicae subeunda sunt, iniquitatem huius rei augent. Et vero non tantum, quando in temporalibus, sed & quando in ecclesiasticis negotiis alterius, quam supremi imperantis, voluntati morem gerere ciues tenentur, haec, quae antea indicaui, incommoda rempublicam vrgent. Fieri enim nullo modo potest, vt salua sit respublica, & bene se habeat, in qua duo sunt imperantes, quorum neuter ab altero pendet.

§. XIV. Siue autem gentes, Romanensis ecclesiae sacris addictae, huic Romani praesulis iugo se submittant, siue fortiter illud repudient, aeque infelices esse videntur. Etenim, si istud recipiunt, illa, quae diximus, eos premunt incommoda. Sin renitantur, rursus cum pontifice, libertati suae insidianti, illis pugnandum est. Harum tamen felicior videtur conditio, cum libertate nimirum quadam, & minoribus incommodis coniuncta, quam illarum. Quo nomine & Gallia prae reliquis regnis, Romani pontificis imperio subiectis, merito

to se effert, tam strenue dum pro ecclesiarum suarum libertate pugnauit. Licet interdum haec libertas deliquium aliquod passa, & mox imminuta, mox iterum restituta videatur. Etenim, cum in synodo Auarici sub Carolo VII. congregata sanctio ista pragmatica, cuius tam inuisum Romanis praesulibus nomen est, cusa esset, mox tamen Ludouicus XI. insidiis atque artibus Romanorum praesulum eo adductus est, vt sanctioni huic renunciaret. Adeo nihil fecerunt reliqui pontifices, vt hoc quoque regnum sub iugum suum mitterent, & vmbram istam, quae restabat, libertatis eriperent. Si quis tamen dicat, Ludouicum istum, callidum virum, & ad simulandum dissimulandumque natum, perfidiam quoque pro virtute reputantem, rem istam serio non egisse, sed Romano pontifici illusisse, is me sibi non habebit refragantem. Quicquid huius sit, sub Ludouico XII. caput iterum extulit ista ecclesiae Gallicanae libertas, praesertim postquam cum Iulio II. pontifice lites illi intercessere. GVILIELMVS BVDAEVS tum sanctionem hanc pragmaticam laudauit diserte, ipse autem rex Romani pontificis adeo insuper habuit auctoritatem, vt Babylonis quoque nomine Romanam insignire ecclesiam non dubitaret. (l) Sub Francisco I. iterum patuit, quam

(l) *ex Thuano Heideggerus in hist. pap. per. V. §. GL. p. 144.*

quam sua interesse putarent Romani praesules, hanc sanctionem abrogari, at successu caruere, quae hoc in negotio cum rege acta sunt. Immo cum in concilio Tridentino multa, libertati Gallicanae ecclesiae e diametro aduersantia, sancirentur, lacertos mouit Gallia, nec concilii huius decreta sibi obtrudi passa est. (m) Qui hodie rerum summam tenet, Ludouicus XIV. ne vlla in re maioribus suis inferior videretur, in tuendis quoque ecclesiae Gallicanae iuribus, strenuum atque acrem se praebuit. Documento sunt, quae de iure, vt vocant, regaliae inter eum atque Clementem IX. pontificem, huiusque successores ad Innocentium vsque XII. disputata sunt. Quae vt neminem fugiunt, ita ne quemquam fugere possint, accurata sua commentatione, vt nunc alios taceam, effecit GILBERTVS BVRNETVS. (n) Atque eo magis mirandum, in nupera ista concertatione, quae archiepiscopum Cameracensem cum Meldensi praesule, aliisque nonnullis Galliae episcopis commisit, regem huncce, immo ipsos episcopos iurium suorum adeo fuisse imme-

(m) *vid. Pauli Sarpii historia concil. Trident. l VIII. p. m. 1325. it. Petrus de Marca de concord. sacerdot. & imp. lib. II. cap. XVII.* (n) *in opere, quod de bellis intestinis papatus composuit, cuius pars huc spectans ex lingua Anglicana in Germanicam translata, A. 1689. prodiit.*

immemores, vt ad Romani pontificis tribunal statim causam detulerint, quae in gentis huius concilio reuocari prius sub examen debuisset, si vllam libertatis suae, quam tantopere ceteroquin iactitant, habere voluissent rationem. Certe imminutam hoc ipso magnopere, & labefactatam fuisse istam ecclesiae Gallicanae libertatem, prudentiores iudicant, & rationibus non contemnendis IVRIVS, clarissimus ecclesiae reformatae theologus, luculenter ostendit. (o) Ego equidem non dubito, habuisse & regem & episcopos rationes, cur in hoc negotio ita se gererent: plane quoque mihi persuadeo, regem damnum istud, quod hoc modo ecclesia Gallicana passa videtur, alia ratione resarcire posse: interim illud satis patet, lubricam plane rem esse eiusmodi libertatem, quamdiu Romani pontificis iugum non plane excutitur, seruilemque aut dubiam, atque incertam, multisque periculis obnoxiam esse illorum regnorum conditionem, quae per Romanensis ecclesiae sacra Romano pontifici parent.

§. XV. Satis equidem, vt puto, ex dictis patet, non posse non funestos admodum supremae huius, quam in ecclesiasticis

(o) *in traité historique contenant le iugement d'vn protestant sur la theologie mystique, part. IV. artic. XVII. p. 304. seqq.*

cis sibi pontifex vindicat, potestatis esse fructus. Sed addendum tamen hoc vnicum est, quod episcopi, dum regum, aut rerumpublicarum, in quibus degunt, imperio se minime obnoxios putant, imperantibus haud raro minime ferendi euadant, grauissimisque motibus, dissensionibusque intestinis occasionem praebeant. Non procul mihi nunc, vt hoc demonstrem, accersenda sunt exempla. Vel Suecia nostra, cui pulcherrimo federe dulcissima patria coniuncta est, & quacum vnum regem deuotissimo animi cultu veneratur, tot suppeditat, vt nemini vllus hac de re dubitandi supersesse queat locus. Enimvero cum densa adhuc caligo, & dira barbaries orbi christiano incumberet, Suecici regni antistites auctoritatis suae proferre limites, cumulare opes, efferre se supra alios, regibus ipsis dare leges, in eos autem, qui infinitam illam coercere ambitionem ausi sunt, insurgere, a sacro isto, quo fulgebant, munere neutiquam alienum putarunt. Magnus itaque Smeck, qui circa annum M CCC. LXIII. summam rerum in Suecia tenuit, regia exutus est dignitate, non aliam ob causam, quam quod immodicae horum hominum ambitioni ponere limites, in animum induxisset. Scilicet, qui non alium, quam Romanum pontificem, agnoscebant dominum, non poterant non

aegre

aegre ferre, a rege suas coerceri & in ordinem redigi cupiditates. Albertus Mecklenburgicus, quem contra Magnum Smeck euocauerant Sueci, cum eadem tentaret, eadem expertus est fata. Piaculum erat in episcoporum inquirere facinora: &, vt quis regno eiiceretur, sufficiebat, displicere episcopis. Callidior reliquis Margaretha, trium regnorum Septentrionalium regina, prospera vsa est fortuna, quod faventes sibi propitiosque haberet episcopos. Carolus contra Canutsonius, toties aut regno spoliatus, aut eidem redditus est, quoties episcopis hoc placuit. Etenim, cum episcoporum suffragari in omnibus voluntatibus nollet, euocarunt contra illum Christianum I. Daniae regem. Iidem novi regis mox pertaesi, laesamque episcopalem maiestatem rati, quod Vpsaliensem archi-praesulem captiuum in Daniam abduxisset, reuocarunt Carolum, statim iterum expellendum, cum Christianus rationes placandi iratum Vpsaliensis archiepiscopi animum inueniisset. Acerbissimis tunc Suecia agitata est fatis, cum ab administratoribus regeretur, saepiusque grauiter afflicta, scenam omnem callide instruentibus episcopis, prout rebus suis hoc expedire existimabant, saltem vt per ciuium sanguinem, per caedes, & vulnera, patriaeque ruinam suae consulerent auctoritari, potestatisque

ſtatisque ſuae limites aut augerent, aut ſemel per nefas conſtitutos defenderent. Tandem vero propitiis fatis Sueciae novum fulgidiſſimumque illud ſidus, Guſtavus, Caroli filius, obtigit, cui & libertatem, & ſalutem gens fortiſſima debet. Nec tamen prius reddere tranquillitatem feſſis patriae rebus potuit, quam adhibita in praeſidium puriori iſta euangelii doctrina, Lutheri opera reſtituta, Romani pontificis iugum ſuorum ceruicibus depuliſſet, & ita ipſos quoque epiſcopos intra ſui muneris ſe continere docuiſſet limites. (p) Nullam vnquam victoriam, ab hoſtibus externis reportatam, aeque profuiſſe Sueciae, quam iſtam, quae impudentium hominum ambitionem fregit, & regni pontificii fundamenta concuſſit, euentus docuit. Summa enim ex eo tempore pax atque tranquillitas Sueciae obtigit, nec diſſenſionum, aut bellorum ciuilium, vllum fere extitit exemplum. Id quod documento eſt, tot calamitatum, quibuscum conflicta eſt gens nobiliſſima, cauſam vnice ab epiſcopis, & quae horum auctoritati ſuffragatur, Romanen-

(p) *de his omnibus, quae in hac §. dicimus, praeter Io. Magnum hiſt. Goth. lib. XXI. ſeqq. Loccenium hiſt. Suec. l. III. ſeqq. aliosque, legi meretur Abbas de Vertot, dans l' hiſtoire de reuolutions de Suede, quae Pariſiis an. 1695. prodiit, vbi dicta egregie confirmantur.*

manensi religione esse arcessendam. Possem eundo per alia regna idem demonstrare, infinitis incommodis, & malis per episcoporum ambitionem, & auctoritatem, quam ex religionis Romanensis praescripto sibi vindicant, ea exposita fuisse, sed properandum est ad reliqua.

§. XVI. Quam in temporalibus quoque sibi tribuant potestatem Romani praesules, manifestum est. Regum & imperatorum conculcare ceruices pedibus, iudicem se illis obtrudere, prouocationes ab illis ad se factas lubenti audire animo, vocare ad tribunal, ferre in eos sententiam, punire immorigeros, regno exuere, mittere in exilium, & in sortem priuatorum detrudere, infrequens illis haud esse, historiarum voluentibus monumenta patet. Immo Germanicos imperatores reputare inter vasallos, qui a Romano pontifice, feudi instar, imperium Germanicum acciperent, ausi sunt: ne quid nunc de ridicula noui orbis inter Hispanos & Portugallos ab Alexandro VI. facta partitione, referam. Factis suffragantur dogmata, nisi ex his illa potius originem ducere existimes. BELLARMINVS atque PERRONIVS, cardinales, & anonymus quidam libertatum ecclesiae Gallicanae impugnator, in eo toti sunt, (q) vt

(q) *v. Nat. Alexander H. E. sec. XVI. dissert. X. p. m. 488.*

Romano pontifici poteſtatem quandam in temporalia regum ac principum ſupremorum aſſerant, quam ſiue indirectam ſiue directam vocent, parum refert, cum & is liber neutiquam dici poſſit, in quem & indirecte alius imperium habet. Quanquam tota haec diſtinctio ad fucum ſimplicioribus faciendum, comparata ſit. Interim illorum ſententiam & ſcripturae ſacrae, & traditioni, & rationi repugnare, docet NATALIS ALEXANDER (r) qui & in ea refutanda diligentem collocauit operam. Fatetur is, fuiſſe plurimos, qui poteſtatem Romani pontificis eousque prouexerint, tum ex doctoribus ſcholaſticis, tum ex iurisperitis, quibus ipſos pontifices addere debuiſſet: (s) ſed ſubiungit, horum omnium auctoritatem non poſſe euertere ipſam veritatem. *Quot errores*, inquit, *quam periculoſi, ſuos defenſores ac patronos in ſcholaſticorum, vel iuriſperitorum ordine inuenerunt? Quot opiniones prauae, & ab eccleſia iam damnatae, olim nonnullos non obſcuri nominis habuerunt aſſertores?* Recte quidem. Ergo plurimi ſunt, qui inter Romanenſes hanc ſententiam, in principes rerumque dominos maximopere iniuriam, fouent atque tuentur. Immo ſi a Gallis quibusdam diſceſſeris, non errabueris,

(r) *loc. cit.* (s) *vid. Io. la Placette obſeruat. hiſtorico eccleſiaſt. obſerv. XVI. artic. I. pag. 473.*

ris, si ceteros, si non omnes, certe plerosque ecclesiae Romanensis theologos huic errori addictos dixeris. Neque est, vt forte credas, mitiora hoc in capite Romanensium theologorum dogmata hodie esse, quam olim fuerunt, cum constet, eos in aliis quibusdam, postquam errorum, quibus Romani pontificis auctoritati patrocinati sunt, foeditas, omnium oculis a protestantibus exposita est, cautius mercari coepisse. Namque, cum hic ipse, quem laudauimus, NATALIS ALEXANDER, Dominicanorum adscriptus ordini, Galliae vt placeret regi, docuisset, nullum, ad temporalia quod attinet, Romano pontifici in reges principesque summos competere imperium, aliorum, eiusdem ordinis etiam, acerbissimam incurrit censuram. FRANCISCVS namque D' ENGHIEN, Dominicani itidem ordinis homo, libellum illi opposuit, *de auctoritate sedis apostolicae in reges*, in quo hanc ALEXANDRI sententiam acerrime impugnat. In praefatione eum vocat *Dominicanae familiae filium degenerem, pontificiae laesae maiestatis reum*; imputat illi, quod *ab auito cultu degenerans in sanctam apostolicam sedem, eiusque sanctissimum praesulem, calamum strinxerit*, & quae alia sunt eiusdem commatis. (t) Neque vero hic solus ita existimauit de NATALI

(t) *vid. Nat. Alex. loc. c. dissert. VI. artic. VII. p. 482.*

ALEXANDRO, suffragati illi sunt, qui ex muneris sui ratione libellum approbarunt; quos inter IOANNES ANTONIVS D' AVBERMONT, Louanienſis academiae doctor & profeſſor, in ſua approbatione inter alia haec habet: *a maiorum veſtigiis deuio fratri, ac in contraria ſtudia infeliciter abrepto, veritatis facem praeluxiſſe, vt in viam redeat, fraternae pariter ac religioſae diſciplinae character eſt:* & porro: *Nihil prius in ſchola Chriſti, quam eius in terra vicarii, quem ipſe conſtituit ſuper gentes & regna, cauſam agere, & fratri in eam ruenti, affectuque ſeu gentis, ſeu aulae, laboranti, ſuccurrere, ad commiſſi erroris cognitionem reuocare, atque ad apoſtolicae ſedis reuerentiam inuitare.* (u) Alter approbatorum, ELINGA, laudat auctorem, quod indirectam poteſtatem apoſtolicae ſedis, in temporalia regum, demonſtrare ſatagat, ſimulque NATALEM ALEXANDRVM, *non ſufficientis reuerentiae erga ſanctam ſedem, reum agere, arguere, corrigere, ac ad ſuo ordini ac inſtituto congruentem doctrinam reducere.* (x) Ex quibus omnibus id tandem conficio, eam doctrinam, quae non tantum, cum ipſo fundamento, cui religio tota Romanenſium innititur, quam arctiſſime connexa eſt, ſed &, a qua qui diſcedant, laeſae pontificiae maieſtatis rei peraguntur, in ſanctam apoſtolicam ſedem inſurgere, & ab auito cultu degenerare, reuerentiaeque

(u) *v. Nat. Alexand. l. c.* (x) *id. ib.*

que sedi apostolicae debitae leges migrare creduntur, omnino pro ipsius ecclesiae Romanae doctrina esse habendam. Doctrinam vero de potestate pontificis in regum, principumque temporalia talem esse, ex hactenus dictis luculentissime, vti existimo, patet. Noxiam vero eam esse reipublicae, regibusque & principibus minime ferendam, si quis dubitaret, nae! eum expertem rationis omnis palam dicerem.

§. XVII. Possem his & alias adhuc addere rationes, quibus euincerem, perniciosam admodum rebuspublicis esse eam doctrinam, quam profitentur Romanenses. Ecquis enim ignorat, non vnam Romanensibus suppetere rationem, opibus ciues spoliandi, easque ad sacrum transferendi ordinem? Commemorandae hic mihi essent indulgentiarum nundinae, dispensationes circa gradus matrimonii prohibitos, piae causae, missarum solennia, & quicquid fraudum artiumque commenta Roma est, ad congerendas diuitias, quibus vtique reipublicae carendum est. Sic & dum monasteria ignauis hominibus complentur, quorum opera insigni cum commodo reipublicae aliis vsibus longe rectius consecraretur, virorum pariter ac opum inopiam inducit haec ipsa Romanensium superstitio. Consentiunt in eo omnes do-

ctrinae ciuilis magistri, eo ipso externam reipublicae felicitatem absolui, si ciuium, fortunis diuitiisque florentium, multitudine affluat. Et recte quidem mea opinione. At Romanensium vbi dominatur doctrina, vix haec expectari potest. Viri, qui inseruire reipublicae poterant, detruduntur in monasteria, opes non vno fraudis, aut strategematis genere ciuibus extorquentur, vt praeter inopiam, atque solitudinem, nihil tandem supersit. Atque haec ita se habere, ipsa quoque testatur experientia, regnaque olim florentissima, sed per Romani pontificis & episcoporum ambitionem & auaritiam viribus, opibusque exhausta, omnium obuersantur oculis. Sed nolo haec, ceteraque, quae hic afferri possint, edisserere pluribus, cum iam ea, quae attulimus, luculenter euincant, quam parum sociabiles inter se res sint, reipublicae felicitas, & ecclesiae Romanae religio. Et vellem sane maximopere, ne viro docto & pio inter nostrates, hae voces excidissent: *consideret quis Romano catholicos, qui habent duplicem summam potestatem in omnibus suis rebus-publicis, clericorum nempe & principum. Quis vero illos infelicitatis arguere potest?* Ergone felicitas forte dicenda, cum respublica viris, ciues opibus spoliantur, cum reges principesque durissimo seruitutis iugo potestati pontificis, etiam ad temporalia quod

attinet,

attinet, subiiciuntur ? quando aut foeda subeunda seruitus, aut quiduis expectandum a Romano antistite, quando turbis, discordiis, bellisque ciuilibus exposita sunt regna, quotiescunque ad nutum episcopi cuiusdam in omnibus se non componunt, quando principibus, rerumque dominis aut venenis aut gladio sicarii cuiusdam pereundum est, quoties ad libitum sacri ordinis, Romanique praesulis non imperant? Sed soli affundere lucem anniterer, si plura adderem.

§. XVIII. Quae hactenus exposita sunt, ad dogmata praecipue pertinent, quibus Romana ecclesia personat. Nunc repetendum, quod supra euictum dedimus, eam religionem conducere reipublicae, quae mores ciuium imperantiumque ad veram christianoque homine dignam virtutem format, ambitionemque, & auaritiam, & voluptatis cupiditatem, ex animis mortalium eiicit. Est quidem haec religionis christianae virtus. At, prout foedata est, & coinquinata a Romanensibus, vix hoc ab ea expectaueris. Ad externam enim disciplinam, & cultus magnificentiam omnia sunt comparata: ritibus & ceremoniis omnis fere illorum absoluitur religio: pius is demum censetur, qui reuerentiam suam, & liberalitatem sacro ordini approbat: his omnibus ita aliquis defungi

poteſt, vt auaritiae tamen, ambitioni, & voluptati litare non deſinat. Manifeſta haec ſunt, & omnium oculis expoſita, adeoque vberiore commentatione hic opus non eſt.

CAP. V.

Σύνοψις.

Per reformationem B. Lutheri reddita eſt imperantibus auctoritas atque poteſtas, quae illis debebatur, §. I. Non tamen aut Lutherus, aut ceteri reformatores, ad reformationem promouendam, principum captarunt fauorem, §. II. Rationes, quibus probari ſolet, quod religio eccleſiae Lutheranae ſtatui ciuili accommodata ſit, recenſentur, §. III. Laudantur meliores, reliquae reiiciuntur, §. IV. An inter eas recte referatur ſententia, quod maieſtas immediate a Deo ſit? disquiritur, §. V. Argumenta Hectoris Gothofridi Maſii pro hac ſententia refutantur, §. VI. Sententiam de mediata maieſtatis a Deo origine, auctoritati & ſanctitati imperantium nihil derogare, probatur, §. VII. Lutheri duriora quaedam contra principes ſummosque imperantes dicta, an, & quomodo excuſari queant? §. VIII. Opiniones quorundam eccleſiae Lutheranae doctorum non eſſe imputandas ipſi eccleſiae, docetur, ſimulque Philippus Iacobus Hart-

Hartmannus notatur, §. IX. Mores corruptos Lutheranorum, ac vitae ciuili repugnantes, non esse imputandos doctrinae, aut religioni, ostenditur, §. X. Reformatae ecclesiae doctrina in hoc capite defenditur, nihilque in ea, quod contra tranquillitatem aut salutem reipublicae sit, contineri, demonstratur, §. XI. Ecclesia Anglicana contra Petrum Iosephum Aurelianensem defenditur, ostenditurque, Iacobum Angliae regem religionis causa neutiquam fuisse eiectum, §. XII.

§. I.

DEnsissima, quae orbi christiano incubuit, errorum caligo, quam felici successu opera summi viri MARTINI LVTHERI dispulsa fuerit, neminem fugit, & nos etiam, quoties recordamur, laetamur merito, nobisque congratulamur. Inter reliqua autem coelestis doctrinae capita, quae pristino nitori, atque puritati restituit, haud infimum illud est, quod summis imperantibus rerumque dominis, Romani pontificis iugo exemptis, auctoritatem, & naturae legibus, & verae religionis decretis definitam, iterum reddidit. Quod beneficium beatissimi viri summum est, quo merito multos sibi obstrictos tenet populos, & quod recte peculiari commentatione celebrauit B. BEBELIVS *de beneficiis magistratui*

politico B. Lutheri ministerio exhibitis. Ipse, vt nunc alios taceam, probe hoc intellexit GEORGIVS, princeps Anhaltinus, pietate & doctrina inclytus. *Quod enim bellorum & seditionum culpam*, ita mentem eius ediſſerit SECKENDORFFIVS, (a) *euangelicae doctrinae tribuant aduersarii, id pro impudentissima habet calumnia, sed quam etiam Christus & apostoli passi sint*, laudat contra, *quantum post reformationem venerationis accesserit principibus, & magistratibus, omnibusque, qui aliis praesunt, quorum omnium nulla peneratio habita fuerit sub papatu, praelato multis modis clericorum & monachorum statu.*

§. II. Immo, inquis, non poterat non rerum dominis se commendare proteſtantium doctrina, & imperium in ſacri ordinis viros, & dominium in bona eccleſiaſtica, illis aſſerens, vel etiam occaſionem bona, ſacris vſibus deſtinata, diripiendi, vel in alios vſus conuertendi, illis ſuppeditans. Ita vero prauis equidem principum cupiditatibus fauet, ſed auaritiam & luxuriam illorum fouendo, & ſacrum ordinem, quo carere respublicae nequeunt, bonis ad ſuſtentationem eius neceſſariis, ſpoliando, nocet reipublicae quam grauiſſime, tantum abeſt, vt commodum aut vtilitatem afferat. Antiqua cantilena! in qua ad nauſeam

(a) *in hist. Lutheranismi, lib. III. sect. XXX. §. CXVIII. p 502.*

seam vsque repetenda, nunquam defatigantur curiae Romanae assentatores. At considerare debebant, primo quidem, eam, quam protestantes profitentur, doctrinam, principibus ita fauere, vt tamen illorum potestatem iustis limitibus, ad rectae rationis religionisque christianae praescriptum, circumscribat. Ignorare hoc non possunt, nisi simul ignorent, quod theologi protestantium politicique ad vnum omnes de magistratus officio praecipiunt. Deinde primis reformatoribus, aut principibus, qui diuinae veritati statim se submiserunt, hoc constitutum fuisse, vt ecclesiasticis bonis potirentur, opesque suas, atque potentiam augerent, nec comprobatum vllo documento hactenus est, nec comprobari potest. *At Lutherum*, inquit SECKENDORFFIVS noster, (b) *& quos ille primos adiutores in doctrina aut patronos ex principibus habuit, eo animo atque proposito reformationem molitos esse, vt opes quaererent, aut saltem tributis illis ecclesiasticis populum liberarent, id veritati actorum repugnare, confidenter dico, & vel in hac ipsa parte prima euincam, quam friuole hoc iactetur.* Esto vero, fuerint nonnulli ex principibus, qui, hac ratione commoti, iugum Romanae tyrannidis excusserint, quid vero tum? Ergone veritas desinit esse veritas, cum nonnulli eadem ad prauas suas cupidi-

(b) *in praeloqu. hist. Lutheranismi.*

cupiditates abutuntur? ergone Deus pravum hocce hominum consilium in bonum finem aliorumque salutem dirigere non potuit? Aut si quidam hoc se obstrinxerunt crimine, ergone id fecerunt omnes? Non est indulgendum suspicionibus, praesertim, vbi clarissima in contrarium afferri possunt documenta. Quod si vero nonnulli principes, tum aliis, tum hac etiam simul ratione, ad amplectendam doctrinam puriorem commoti sunt, quod per eam conculcatam pontificum pedibus auctoritatem suam in pristinum locum, a lege divina illi assignatum, restitutam viderent, illi quare reprehendendi sint, id vero me non capere, lubens profiteor. Quemadmodum & vice versa doctoribus vitio vertendum non est, si ceteris rationibus, quibus ad veritatis agnitionem adducant rerum dominos, hanc quoque adiungant, quod ita ex miserrima pontificis eluctari seruitute queant, modo hoc caute fiat & circumspecte, ne forte rationibus diuinis praeferantur humanae, & humanum opus esse incipiat, quod debebat esse diuinum. Id enim vero nec stabile erit, nec firmum.

§. III. Sed si ex re ipsa, non ex hominum cupiditatibus, aut prauis consiliis, rem omnem aestimemus, deprehendemus facile, quae puriori doctrinae euangelicae addicti, docent, vti indolem verae religionis

nis christianae redolere, ita & ad ciuilis imperii conseruationem cumprimis esse comparata. Praecipue autem sequentia doctrinae, quam Lutherani profiteantur, capita, ceu huc maxime facientia, commendari solent, (c) quod videlicet asserant, magistratum esse ordinationem diuinam, immo eum esse immediate a Deo, regis maiestatem vel potestatem non esse in populo radicaliter, eumque esse summum Dei in his terris vicarium, nec in temporalibus aut pontifici Romano, aut vlli hominum obnoxium eum esse aut subiectum; porro, competere illi curam externam sacrorum, siue ius episcopale exterius, adeoque & potestatem conuocandi concilia, vocandi ecclesiae ministros, eosque remouendi, disponendique de ritibus & ceremoniis: quod etiam doceant, iurisdictioni magistratus neminem esse exemptum, siue clerici fuerint, siue laici, & subditos nunquam absolui posse iuramento fidelitatis, quemadmodum & nefas sit, resistere magistratui, immo ne tyrannum quidem exercitio, impune interfici posse: quibus denique accedat, quod contra principem aggressorem ne quidem moderamen inculpatae tutelae nonnulli Lutheranorum admittant.

§. IV.

(c) *conf. Masius in interesse principum circa religionem euangel. cap. IV. per integr.*

§. IV. Mihi equidem extra dubium positum est, eam doctrinam, quam nos profitemur, ita fauere ciuili imperio, vt nulla in terrarum orbe magis faueat, aut per rectae rationis praescriptum, diuinarumque legum auctoritatem, magis fauere queat: rationes tamen omnes non aeque placent, neque id mihi probare videntur, quorsum tamen comparatae esse debebant. Est enim hoc eruditorum vitium, vt, dum ad causam quandam ornandam aut defendendam congerunt, quicquid possunt, imbecillesque ac firmas rationes inter se miscent, prodere potius causam, quam asserere videantur. Sufficit, quod ad hanc doctrinae partem attinet, quod Lutherani ea doceant, quae scriptura sacra docet, magistratum esse ordinationem diuinam, illique in rebus licitis atque honestis esse obediendum, eundem quoque alii potestati humanae, quaecunque demum ea sit, non esse obnoxium, adeoque in omnes homines, in republica viuentes, supremam potestatem illi omnino tribuendam esse. Hoc ecclesiae omnes, & libri earum symbolici, & praecipui etiam, immo omnes doctores profitentur, nec etiam vllas alias opiniones fouent, quae vlla ratione huic sententiae aduersentur. Id vero, vt ecclesiae alicuius sententia, asseratur, sufficit.

§. V.

§. V. Ad reliqua autem quod attinet argumenta, ea maximam partem frustra adducuntur. Huiusmodi illud est, quod secundum occupat locum, maiestatem immediate esse a Deo. Etenim haec sententia non est Lutheranorum propria, cum ab aliis etiam defendatur, nec omnibus tamen communis, cum multi inter eos sint, qui dissentiant, falsa etiam insuper est, & ita comparata, vt, qui eam defendunt, auctoritati imperantium nihil addant, sicut nihil vice versa illi detrahunt, qui eam aut negant, aut in dubium vocant. Quod haec sententia non possit pro tali, quam soli Lutherani defendant, venditari, manifestum est, cum plurimi etiam ex reformatae ecclesiae doctoribus eandem tueantur, vt LAMBERTVS DANAEVS, PETRVS MARTYR, BENEDICTVS ARETIVS, aliique, quorum loca & testimonia affert HVBERTVS MOSANVS, (o) sub quo nomine virum quendam doctissimum latitare, constat, quibus nihil opponere potuit MASIVS, (p) nisi quod neget, omnibus ecclesiae reformatae doctoribus se hanc sententiam tribuisse, quo ipso fatetur, hanc sententiam saltem omnibus protestantibus esse communem. Eandem porro nec ab omnibus ecclesiae Lutheranae

(o) *im bericht von der Reformirten lehre von der weltlichen Obrigkeit cap. IV. §. III p. 80.* (p) *im treuen Lutherthum, cap. II. p. 130.*

nae addictis defendi, itidem constat, atque apertissime docent testimonia, quae in contrarium afferri possunt. Sic ex theologis DAVID RVNGIVS, (q) *Magistratus*, inquit, *vocatur creatura humana* (1. Pet. II. 13.) *eo quod hic ordo non immediate, vt ministerium euangelii, aut coniugium, institutus sit a Deo, sed ab hominibus primum introductus, & postea diuina auctoritate confirmatus* Cui & alii suffragantur, quorum testimonia itidem iam in medium attulit, quem supra laudauimus, HVBERTVS MOSANVS. (r) Et sane, si nunc, auctoritatibus procul facessere iussis, in ipsius rei inquirere veritatem velimus, facile deprehendemus, falsam esse eam sententiam de immediata maiestatis origine, immo talem, quam nemo intellectu comprehendere queat. Video autem, duplici ratione illam in scholis politicorum proponi. Nonnulli namque inter maiestatem & maiestatis collationem distinguunt, asseruntque, Deum quidem immediate esse causam maiestatis, sed mediate, interueniente scilicet consensu populi, eam maiestatem huic aut illi conferri. Ita praeter alios docet HERMANNVS CONRINGIVS. (s) Alii contra eousque procedunt, vt, maiestatem etiam immediate a Deo conferri, dicant, quam sententen-

(q) *in ep. ad Rom. disp. XV. §. VI. f. 280.* (r) *l. c. §. IV. p. 83.* (s) *de maiestate ciuili §. XIV.*

sententiam cumprimis operose tuetur IO. FRIDERICVS HORNIVS. (t) Vtraque autem sententia erronea est, & cum rei veritate nullo modo conciliari potest. Enimuero quod ad collationem maiestatis attinet, ipsa, vti puto, experientia docet, quod ea non immediate fiat, cum populus, aut qui eum repraesentant, aut integrae familiae, vt in regnis successiuis, aut vni principi, vt in regnis electiuis, aut collegio cuidam, vt in polyarchiis, summam rerum deferant. Paucis: aut populus summum imperium confert, aut non confert. Si non confert, quid ergo conuentus populi aut regem, aut familiam, aut proceres eligentium sibi volunt? Si autem confert, ergo dici non potest, quod Deus conferat summam potestatem immediate. At, inquiunt, non confert populus in regem maiestatem, sed tantum designat personam, in quam illa diuinitus conferatur. Hoc nimirum est illud ignorantiae κρησφύγετον, vt, cum causam tueri amplius non possunt, verba proferant, quae nihil significant. Deus, inquiunt, confert maiestatem in personam electam: at quomodo? Hoc est, quod explicari nequit. Num forte *electione populo facta eam immediate in reges effundit?* vti HORNIO loqui placuit. Credo, quod maiesta-

M tem

(t) *in polit. architecton. lib. II. cap. I. add. Zieglerus, de iurib. maiest. cap. I. §. XLVI.*

tem per modum olei cuiusdam concipiat, in reges effundendi, nisi forte existimet, oleum, quo vngi solent reges, esse quoddam maiestatis vehiculum. Et certe, qui eum in modum de maiestate philosophantur, iudice PVFENDORFFIO, crassam rerum moralium ignorantiam produnt. (u) Nec felicius tamen rem expediunt, qui concedunt quidem, maiestatem mediate conferri, interim eam tamen immediate a Deo produci. Sane, quod Deus maiestatis autor sit, lubentissime concedo, vt supra, quoque probatum est; at, quo pacto eam immediate producere queat, id me neutiquam capere posse, fateor. Est enim maiestas ex rerum moralium genere, quae nunquam immediate, sed mediate producuntur. Si nulla sit respublica, maiestas ne concipi quidem potest, & est sane nihil: at quam primum respublica constituitur, summo imperio opus est, quod cum ipsa republica, adeoque per homines rempublicam constituentes, originem accipit: qui ergo immediate a Deo produci potest?

§. VI. Nihilosecius Hassnienssem illum theologum haec adducere non potuerunt, vt ab arrepta semel sententia discederet. In qua ne sine praegnanti causa permanere videatur, rationes quasdam pro ea affert, quae tamen tanti non sunt, quanti illi

(u) *de I. N. & G. lib. VII. cap. III. §. III.*

illi quidem esse videntur. *Patet*, inquit, (x) *veritas illa ex omnibus scripturae locis, vbi Deus dicitur constituere reges, fundare imperia &c. omnis potestas a Deo esse &c. vbi si addas: a Deo permittente, non instituente, aperte ludis & vim textui infers.* At quo pacto haec similiaque scripturae effata intelligenda sint, iam ex supra dictis liquet. Deus constituit reges, non tantum approbando respublicas & imperia, sed animos hominum atque consilia singulari quadam ratione mouendo atque flectendo, vt is eligatur, quem huic genti praeesse voluit diuina sapientia. Imperia quoque fundat, quia nulla imperiorum mutatio, nullus eorum ortus aut interitus contingit, cui non peculiari quadam ratione prouida Numinis sese misceat cura, hominumque facta & cogitata ad finem illis salutarem dirigat. Denique, omnem potestatem a Deo esse fatemur: sed vbinam scriptum est, quod immediate a Deo sit? Est hoc inuentum hominum, quid dicant, aut quid verba, quibus vtuntur, significent, nescientium, & sua tamen commenta pro diuinis oraculis aliis obtrudere cupientium. Non autem asserimus, hanc potestatem a Deo saltem permittente esse: immo firmiter persuasi sumus, eam esse a Deo approban-

(x) *intereſſe principum, cap. IV. §. VII. p. 39.*

te & iubente. Hoc ipso enim, dum respublicae ad hominum salutem comparatae sunt, haec vero non possit non a Deo approbari, respublicae autem sine summo imperio esse nequeant, hoc quoque insimul a Deo approbari, atque praecipi, palam est. At, vt producatur hoc imperium, opus est hominum interuentu, & consiliis. Non ergo immediate a Deo maiestas aut producitur, aut confertur. Exigunt vero leges bonae interpretationis, vt sensus, quem res ipsa, atque verba subministrant, pro vero habeatur, pro falso contra, qui scriptori affingitur, & absurda insuper varia secum vehit. Quae de statu coniugali & ecclesiastico ad nauseam vsque repetuntur, ea hic discutere supersedeo. Praeterquam enim, quod forte de his ipsis statibus communis sententia accuratius mereatur examen, cum hi ipsi status ab imperio ciuili diuersi sint, diuersamque habeant indolem, argumentandi leges aperte violat, qui vnius indolem ad reliquorum in omnibus exigere sustinet. Sed pergit noster: *Equidem non negamus, causam hominibus fuisse variam, cur hanc ordinationem diuinam non inuiti amplecterentur: sed quis ferret hanc consequentiam? ab initio sponte homines in societatem ciuilem coaluerunt, atque hinc originem traxit ciuilis potestas. Ergo illa potestas origine sua*

non

non est, nisi humana? Requiro hic in viro sinceritatem. Ergone, qui negat, maiestatem immediate esse a Deo, statim affirmat, eam origine sua non esse, nisi humanam? Affingit hic aduersariis suis sententiam, quae nunquam illis in mentem venit. Verum est, sponte homines in societatem ciuilem coaluisse: at concurrit etiam Deus, & hoc illorum institutum approbauit: ergo & diuina est origo maiestatis, non mere humana. Atque haec est illorum sententia, quos sibi oppugnandos sumpsit. Et ita corruunt, quibus suam sententiam superstruxit: inconcusso contra stant talo, quae ei obiecta fuerunt, in quibus destruendis quod operam oleumque perdat, demonstrare nunc facile possemus, si nobis liceret hic esse prolixioribus.

§. VII. Superest quartum, quod demonstrandum sumpsi; hanc scilicet sententiam, quae mediatam maiestatis originem a Deo agnoscit, auctoritati summorum imperantium nihil derogare, sicut sententia contraria illi nihil addat. Etenim ad summam imperantibus venerationem conciliandam quid amplius requiritur, quam vt ciues omnes agnoscant, summum imperantem a Deo esse constitutum, voluntatique diuinae se repugnare credant, si mandatis eius honestis non obtemperent. Quid

autem huc conferat sententia de immediata maiestatis a Deo origine, non video, quippe quam ne eruditi quidem, multo minus literarum rudes, capere possunt. Non opus est, vt commentis conciliemus imperantibus venerationem, quam nuda & simplex illis conciliat veritas. At hoc ipso tamen, inquiunt, quo populus conferre maiestatem dicitur imperantibus, quibus eam confert, erit superior. Sane esset superior, si ita conferret, vt partem potestatis aut imperii sibi reseruaret. Iam vero populus imperium ita confert, vt omni simul se abdicet potestate. Nihil ergo iuris aut potestatis populo in imperantem supereſt. Immo ne habet quidem populus potestatem istam, quam confert imperanti. Namque rerum moralium haec est indoles, vt qualitas moralis, qua classe imperium censetur, in alio producatur conspiratione illorum, qui illud antea formaliter in se non habebant: vt recte hac de re pronunciat PVFENDORFIVS. (y) Quo ipso & liquet, quid illis respondendum sit, qui clamitant, non posse conferre populum id, quod non habeat. Huc illa quoque pertinent, quae disseruit HVGO GROTIVS, (z) dum ad simile argumentum, *eum, a quo aliquis constituitur, esse superiorem constituto,*

(y) *de I. N. & G. l. VII. cap. III. §. III.* (z) *lib. I. de I. B. & P. cap. III. §. VIII. n. XIII.*

to, respondet, verum hoc esse in ea constitutione, cuius effectus perpetuo pendet a voluntate constituentis : non etiam in ea, quae ab initio est voluntatis, postea vero effectum habet necessitatis. Plane hunc in modum verba facit VALENTINIANVS imperator apud SOZOMENVM, locum memorante eodem GROTIO: militibus enim, qui illum imperatorem fecerant, postulantibus, quod ipsi non probabatur, respondit: *vt me ad imperandum vobis eligeretis, in vestra situm erat potestate, o milites: at postquam me elegistis, quod petitis, in meo est arbitrio, non vestro. Vobis tanquam subditis competit parere, mihi, quae facienda sunt, cogitare.* Iam vero porro demonstrare possem, contrariam sententiam maximis incommodis facile praebere posse occasionem. Recte de ea pronuntiat PVFENDORFIVS: (a) *quae assertio etsi multis specie pietatis blandiatur, in aperto tamen est, per eandem conuelli omnes conuentiones, leges que fundamentales, quae inter reges ac subditos circa administrationem imperii ineuntur.* Quod pluribus demonstrare possem, nisi ad alia me vocaret instituti ratio.

§. VIII. Reuertimur nunc ad id, vnde digressi sumus, Lutheranos scilicet, si ex illorum libris symbolicis, totiusque doctrinae, quam profitentur, habitu & nexu, praestantissimorumque doctorum consensu,

(a) *loc. citat.*

res aestimetur, nihil omnino docere, quod saluti aut tranquillitati reipublicae repugnet. Nec video, quid opponi nobis possit, nisi forte effata quaedam Lutheri, aut aliorum, duriora, nec eam venerationem, quam rerum dominis debemus, spirantia. Extare eiusmodi, non abnuo, collegitque ea diligenter HVBERTVS MOSANVS (b) non ad inuidiam beato viro & eius sectatoribus conflandam, sed ad ferociam adversarii sui compescendam. Sed vero obseruandum, de sententia summi viri, non ex quibusdam loquendi formulis, durioribus interdum, fateor, sed ex illis libris aut locis, vbi ex instituto doctrinam de magistratu ciuili tractat, statuendum esse. COCHLAEVM ideo, quem & sequitur fere VARILLASIVS, merito notat VITVS LVDOVICVS a SECKENDORF, (c) quod ex libello aut epistola Lutheri de potestate seculari, quem vehementiori stylo scriptum esse non negat, acriora, omissis optimis, collegerit, saltem vt inuisum omnibus LVTHERVM redderet. Quo ipso summam illi fieri iniuriam, manifestum est. Conferenda itaque sunt, quae recte & praeclare de magistratu ciuili vir diuinus scripsit, cum iis, quae vehementiori

(b) *im bericht von der Reformirten lehre von der weltlichen Obrigkeit, c. III. §. XII. it. im fernern bericht c. II. per integr.* (c) *hist. Luther. lib. I. sect. LII. §. CXXVII. p. m. 211.*

tiori affectu concitatus effatus est, & facile apparebit, in his, quae peccauit, omnino illi condonanda esse, intuitu ingentium meritorum, quibus omnes imperantes sibi obstrinxit, dum veram de magistratu ciuili doctrinam caligine summa, vt cetera fere doctrinae christianae capita, tantum non obrutam, & penitus deprauatam, eruit & pristino restituit nitori. Et ipse quoque LVTHERVS, vt erat vir ingenuus & cordatus, palam profitetur, hanc doctrinam ita erutam, vt nunc demum intelligant imperantes, quae & quanta sua sit auctoritas atque potestas, quam pedibus hactenus conculcasset impudentissima monachorum cohors. Afferrem ipsa LVTHERI verba, (d) nisi allata iam pridem ab aliis fuissent, praesertim a BEBELIO in dissertatione supra iam a nobis laudata. Quicquid huius denique sit, homo fuit LVTHERVS, nec affectuum aut vitiorum expers. Quibus si aliquando abreptus modestiae limites paulisper transgressus est, cur ad illos hoc pertineret, qui non LVTHERI, aut alterius cuiusdam doctoris decretis, sed diuinarum literarum monumentis superstructa cupiunt, quibus aut pro fidei, aut vitae morumque vtantur regula. Nec est, vt iniustitiae

(d) *conf. tom. IV. Ienens. Germ. p. 431. & tom. VI. f. 8. quae loca quoque affert Masius interpr. princip. cap. IV. §. XXXVII. p. 105.*

forte aut iniquitatis nos aliquis accuſet, quod Romanae eccleſiae doctorum ſupra imputauimus ſcita, cum contra noſtrae eccleſiae ſententiam ex Lutheri, aut aliorum effatis, aeſtimari nolimus. Namque non alias doctorum ſententias eccleſiae Romanae tribuimus, quam quae cum ipſo, cui eccleſia iſta innititur, fundamento, tam arcto colligata ſunt vinculo, vt ſeiungi atque ſeparari nequeant, licet pudor quosdam prohibeat, eas profiteri; id quod in effatis iſtis Lutheri aliter ſe habet. Deinde ex ſcriptis Lutheri conſtat, eum auctoritati principum ceteroquin egregie conſuluiſſe, licet duriora quaedam affectibus indulgenti exciderint, quod tamen de eccleſiae Romanae doctoribus, qui ſententias ſtatui reipublicae periculoſas defendunt, aſſeri nequit. Denique, ſententias iſtas doctorum Romanenſis eccleſiae ipſi maximam partem approbarunt pontifices. Iam vero, cum pontificem pro capite eccleſiae falli neſcio habeant, non aegre ferent, eas ſuae eccleſiae tribui ſententias, quas ille ſuo calculo comprobauit.

§. IX. Sed vt duriora quorundam effata, ita & ſententiae ſingulares ipſi, quam Lutherani profitentur, neutiquam imputandae ſunt religioni. Laudant nonnulli noſtrae eccleſiae dogmata ex hoc etiam capite, quod docendi munere aliosque erudiendi,

endi, sacri ordinis viris reseruato, dirigendi res ecclesiae potestas summis imperantibus transscribatur. Et merito quidem. Namque ad docendum, non ad imperandum, apostoli a Christo seruatore constituti sunt. Non dixit ad eos: *vadite & imperate gentibus*, sed: *vadite & docete omnes gentes & baptizate eas, Matth. XXVIII. 19.* Adeoque &, qui in apostolorum locum successerunt, ecclesiae doctores, non maiorem sibi vindicare potestatem possunt, quam qua apostoli gauisi sunt. Accedit, quod nec indoles religionis christianae aliam, quam docendi, potestatem in verbi diuini ministris requirat: cum eo tota religio christiana spectet, vt praui hominum emendentur mores, & fides in illis excitetur & conseruetur, quod non alia ratione, quam per verbi diuini diligentem tractationem effici potest. Hinc vero & sua sponte consequitur, vt imperii omnis expertes sunt doctores verbi diuini, ita contra soli imperanti summo facultatem ecclesiae res externas dirigendi, eaque omnia, quae huc pertinent, administrandi competere, sacri etiam ordinis viros imperio ciuili aeque, vt reliquos ciues, esse subiectos. Atque licet in eo, quod caput huius causae est, inter se facile consentiant nostrae ecclesiae doctores, nihilosecius dolendum, nonnullos eiusmodi fouere opinio-

nes,

nes, quae non commode cum sententia ecclesiae nostrae propria conciliari possunt. Inter hos & illi sunt, qui ecclesiam vt statum quendam siue societatem ciuilem concipiunt, quae cum non possit non ab ipsa republica distincta esse, imprudenter porro imperium aliquod ecclesiae ministris tribuunt, eosque adeo (quod sua sponte inde sequitur) imperio reipublicae subtrahunt, immo duo distincta imperia in vna republica inducunt, & hanc proinde in partes diuidunt. Omnium recentissime hoc egit PHILIPPVS IACOBVS HARTMANNVS, in suo *de rebus gestis christianorum sub apostolis commentario*, multa quidem eruditione referto, sed huic, quam hic notamus, hypothesi vnice fere superstructo. Ecclesiam enim christianam instar societatis cuiusdam se habere, diserte docet, & fundamenti ponit loco: (e) tum vt ordinem societatis, a christianis sub apostolis initae, ediserat, (f) summum quidem societatis huius imperium, apostolos discipulosue Christi, non sibi, sed legibus, quas a Christo acceperunt, vindicasse. Adeoque vt iudaeorum respublica theocratia dicta fuit, ita christianorum Christocratiam esse dicendam, cuius vnicum caput, rex vnicus, archipresbyter, & archiepiscopus sit ipse Christus. Vt tamen leges vsur-

(e) *cap. II.* (f) *cap. III.*

vsurparentur, opus fuisse *rectoribus, quibus interpretandi, ad obsequium adigendi, & in officio continendi cura incumberet. Quorum vicem*, inquit, *apostoli, discipuliue Christi expleuere, gloria non eadem, apostolis primas ferentibus: reliqua multitudo fidelium, cui nullum leges interpretandi aut custodiendi creditum munus, vt in rebuspublicis fieri sueuit, in parentium numero habita.* Apostolos igitur, non vt clericos, seu ratione officii sacerdotalis, sed vt fundatores & gubernatores ecclesiarum, id est, ratione officii regii, a Christo *maiestatem* accepisse: hacque ratione *apostolorum successores non esse sacerdotes, sed christianos principes.* Praeterea contra summum virum FRIDERICVM SPANHEMIVM probat, *apostolorum in ecclesia eandem fuisse potestatem, quae maiestatis ciuilis; ecclesiam nihil aliud esse, quam ciuitatem christianorum: in ecclesia sub paganis (α) quatenus proprium corpus constituit, vnicum solum fuisse regimen, quod spirituale dici poterit, (β) quatenus vero membrum constituit alterius reipublicae, e. g. Romani imperii, mediate, immediate alii regimini instar clientelae, aut quomodo cunque socii corporis, ecclesiam obnoxiam fuisse, quod regimen temporale dici poterit, sed sine auctoritate, obscure, per catachresin: (γ) quatenus ecclesia proprium corpus constituit, nunquam sec. I. II. III. duo regimina, nedum spirituale & temporale distincta in eadem obtinuisse.* Haec summa est illorum, quae vir doctus hac de re disserit, in quibus tamen non vna ra-

ratione fallitur, & a veritate aberrat. Simul vero, vti a doctrina proteſtantium haec eius ſententia maximopere abhorret, ita Romanenſibus non poteſt non eſſe longe gratiſſima. Sed miſſis ceteris, quae perperam ab eo dicta ſunt, duo tantum notamus, ceu praecipua, quibus ſuperſtructa eſt eius ſententia, fulcra, quorum vnum eſt, quod eccleſia ſocietas quaedam ſit civilis, ſiue ciuitas, aut ſtatus; alterum, quod apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus imperium aliquod, immo maieſtas competat, vt adeo pro principibus chriſtianis ſint habendi. Ad prius quod attinet, iampridem hanc ſententiam profligauit SAMVEL PVFENDORFIVS (g) argumentis ſolidiſſimis, ad quae nihil hactenus, quod momentum trahat, repoſitum. Sane religionis chriſtianae haec eſt indoles, vt ne ſocietatem quidem externam, nedum ſocietatem ciuilem, aut talem, quae imperio quodam ſummo ac independenti gaudeat, quam ſtatum vocamus, requirat. Quid ſi ponamus, in integra quadam prouincia diſperſos quosdam chriſtianos, per ſingulos pagos, aut vrbes vivere, gentilibus aut alterius religionis incolis permixtos, num hos chriſtianos eſſe aliquis negaret, etſi cum aliis chriſtianis in ſocietate externa non ſint coniuncti? Sum-

(g) *de habitu religionis chriſtianae ad vitam ciuilem, §. XXX.*

Summa religionis christianae est, veram fidem, operibus bonis, charitate, patientia reliquisque virtutibus demonstrare. Ad quod, cur externa societas requiratur, non video. Nec est, vt alicui hic imponat nomen ecclesiae. Namque si multi christiani in vno loco degant, fieri profecto aliter non potest, quin ad orandum, docendum, aliosque actus sacros administrandos, interdum conueniant: a qua congregatione primis christianis, in vno loco degentibus, ecclesiae nomen vsurpari coepit. Sed exinde rursus non sequitur, necessario requiri societatem quandam: cum manifestum sit, posse multos in vno loco degere, inter se conuenire, nonnulla mutuo consensu inter se constituere, vt nulla tamen societas externa, praesertim cum imperio coniuncta, inter eos sit. Esto ergo, quod ecclesiae vox desumta sit a conuentibus, qui in ciuitatibus democraticis institui solent, vti & PVFENDORFIVS obseruauit, (h) non tamen statim in christianorum congregationibus πολίτικόν τι cogitandum. Saepius namque contingit, vt voces ad alias res denotandas translatae, alias induant significationes: & ex rebus de vocibus, non ex vocibus de rebus, iudicandum esse, prudentiores iampridem monuerunt. Praeterea, si scripturam sacram consulamus, eccle-

(h) *loc. citat.*

ecclesiae vocem ibi simpliciter congregationem, seu coetum, denotare, deprehendimus, quae significatio & cum natura rei ipsius optime conuenit. Ad patres autem & primitiuae ecclesiae scriptores quod attinet, quorum testimonia producit HARTMANNVS, (i) obseruandum, (1) eos scriptores in metaphoris, allegoriis & translationibus frequentes esse: adeoque cum conuenientiam quandam inter ciuitatem & ecclesiam animo conceperint, mirum non est, quod ciuitatis nomine ecclesiam insigniuerint. Sed ex eo tamen minime inferendum, ac si ecclesiam proprie ciuitatem, aut societatem ciuilem esse, crediderint. Eo securius autem hisce formulis vsi sunt, quod philosophiae plerumque rudes non cogitarent, quae incommoda tandem ex hisce locutionibus oriri possent. Deinde (2) laborarunt plerique horum scriptorum vitio omnibus hominibus innato. Spiritualia scilicet sub schemate rerum ciuilium sibi exhibere, admodum conuenit ambitioni & philautiae hominum, quibus imperium, dominium, potestas, res admodum praeclarae videntur. Adeoque cum boni isti viri mundano non gauderent imperio, in spiritualibus tamen, & ecclesiasticis, vt imperium, ciuitatem, similiaque cogitarent, facile se induci passi sunt. Qua in

(i) *cap. II. p. 56.*

in re cum incautius versarentur, effecerunt, vt episcopi tandem, nihil aliud nisi imperium spirantes, ex pastoribus in principes, imo tyrannos, & antichristos mutati sint. Nostrum ergo erat, ad diuinarum literarum & rectae rationis ductum hosce veterum errores emendare, non autem iis ad sacrum istud imperium, Lutheri nostri opera destructum, postliminio revocandum, abuti. Hoc autem fundamento labefactato, alterum, quod huic superstructum est, sua sponte corruit. Etenim si ecclesia non est status, aut societas quaedam imperio gaudens, apostolis eorumque successoribus nulla maiestas, nullum imperium tribui potest. Potest ordo aliquis esse inter christianos, praesertim quoties sacrorum causa conueniunt, sed ideo nullum alicui concedi debet imperium. Nec indolem christianae religionis illud requirere, imo ne permittere quidem, supra demonstrauimns. Rationes vero, quae auctor pro sua sententia affert, tam lubricae sunt, vt sua sponte corruant. Sic, vt reliquas nunc mittamus, inductione probare vult, (k) apostolos maiestate praeditos fuisse, quoniam omnibus iuribus maiestaticis, ceu partibus summi imperii, fuerint gauisi. Quod vt demonstret, obseruat, philosophum omnem vim

(k) *c. III. p. 63.*

maiestatis tribus facultatibus comprehendere, *legislatoria*, *consultatiua*, & *iudiciaria*. Legislatoriam quidem facultatem putat apostolis denegari non posse, quum *Christi leges interpretando se quasi legumlatores gesserint*. At ignoscat mihi vir clarissimus, aliud est, ferre leges, aliud, interpretari leges: nec statim, qui leges interpretatur, se pro legislatore gerit. Sed pergit: *quum porro, prout vsus rerum exigebat, praeter illas a Christo ad salutem aeternam necessarias, alias ad εὐσχημοσύνην καὶ τάξιν conducentes leges in ciuilem huius vitae salutem noue fixerunt: figuntur tales leges de chrematistica, de educatione, de societatum simplicium & mixtarum, minorum, maiorum, concordia &c. de omnibus his apostolos per regulas, seu praecepta aut leges, decreuisse ac disposuisse, inferius elucebit, quando institutae, quibus ecclesiae sub apostolis sunt conseruatae, recensebimus.* Ita ergo putat, legislatoriam apostolorum potestatem satis a se assertam esse, stabilitamque. At nondum haec ita comparata sunt, vt me in auctoris pertrahere sententiam possint. Etenim scripta apostolorum voluendo, atque reuoluendo, nullum video legis ab iis latae exemplum. Video, eos leges diuinas sedulo inculcasse, & huc omnino pertinent, quae de omnium hominum officiis praecipiunt: sed qui leges ab alio latas inculcat, hominesque, vt iis obtemperent, adhortatur, ille non

potest dici nouas condidisse leges: multo minus facultas legislatoria illi tribui potest. Praeterea video, apostolos haud raro consilia, ad vitam pie feliciterque transigendam, suis suppeditare: sed consilia quis putet esse leges? Ergo rursus in fumum abeunt, quicquid vir doctissimus de apostolorum facultate legislatoria disserit. Sed videamus, an, quae de facultate consultatiua ac iudiciaria pronuntiat, rectius se habeant? *Facilius est*, inquit, *consultatiuam & iudiciariam facultatem apostolis asserere, cum hae sint propter illam.* Bene: sed labefactata facultate legislatoria, hanc quoque collabascere necesse est. *Prostantque* (ita pergit) *illustria in actis & epistolis apostolorum exempla, quibus manifestum fit, de omnibus rebus, ad societates christianorum seu ecclesias spectantibus, ab apostolis consilia fuisse suscepta, iudicioque de consultis facto, ipsos sua custodia & vigilantia vbique curasse, vt legum vis ac robur nullibi detrimentum pateretur.* At meminisse debebat vir clarissimus, consultationes interdum ab iis etiam de aliis suscipi, qui nullo tamen in illos imperio gaudent. Namque & amici interdum pro amicis deliberationes instituunt: quis vero inde concluderet, illos statim imperium in hos obtinere? adeoque & doctores, qui alios erudiunt, consultant interdum, quae optima ratio sit, fidei suae atque disciplinae con-

creditos ad veram eruditionem & felicitatem perducendi: nemo tamen inde intulerit, doctores habere imperium in eos, quos erudiunt. Ad iudiciariam autem facultatem quod attinet, vellem, exemplum aliquod protuliſſet, inde vt conſtaret, apoſtolos exercuiſſe iudicia, & ſententiam ita pronunciaſſe, vt vim imperii apoſtolici inde agnoſcere licuiſſet. Immo, cum ego nullibi eiusmodi exemplum reperiam, vitio quoque nobis non vertet, quod nudo eius aſſerto non adhibeamus fidem. Sed ſatis diu hiſce immorati ſumus. Neque vero tantum a veritate talia abhorrent aſſerta, ſed cum ciuilis quoque imperii ratione non conſentiunt, quod ſaluum eſſe vix poteſt, niſi imperanti pareant omnes, qui in republica viuunt, eiusque poteſtati omnia ſubiiciantur. Multum autem illi detrahunt, qui aliam quandam poteſtatem in rempublicam inducunt, eamque independentem, & ex doctoribus verbi diuini principes & monarchas faciunt, immo maieſtatem illis diſerte tribuunt. At bene eſt, quod quorundam ſaltem haec ſit ſententia, & noſtrae eccleſiae imputari nequeat. Praeclare rem omnem definivit B. LVTHERVS noſter, cuius verba, quae in libro eius de poteſtate ſeculari extant, latino ſermone ita reddit SECKENDORF-

DORFFIVS: (m) *Regimen eorum* (episcoporum & presbyterorum) *non esse imperium & potestatem, sed ministerium & officium: per se illos non esse maiores aut meliores aliis christianis, nec ius habere caeteris leges ferendi absque illorum voluntate, & consensu, sed vti debere verbo Dei ad christianos regendos, & conuincendos haereticos. Christianos fide, non externo gubernari imperio. Fides est ex auditu, auditus per verbum Dei. Rom. X. 17. Qui non credunt, non sunt christiani, nec in regno sunt Christi, sed sub regno seculi & sub potestate externa & gladio regendi &c.*

§. X. Possem & aliis idem comprobare exemplis: simulque etiam demonstrare, quasdam nonnullorum opiniones, licet pro periculosis venditentur, innoxias tamen plane esse, saltem eo sensu, quo ab illis proponuntur, sed a doctrina tandem ad mores nobis deueniendum est. Etenim supra demonstrauimus, eam demum rempublicam recte se habere, felicemque dicendam esse, in qua & ciues & imperantes non tantum ita sentiunt, vt de imperantium ciuiumque officiis, ex rationis religionisque christianae praescripto, sentire decet, sed cumprimis, qui vitam moresque suos ad hance normam componunt. At, quae omni tempore chri-

(l) *hist. Lutheranismi lib. I. sect. LII. §. CXXVII. add. II. p. m. 212.*

ſtianae religionis fuere fata, vt multi ſplendidisſimo hocce nomine ſuperbiant, qui, ſi mores ſpectes & vitam, eo plane indigni ſunt, eadem & noſtram experiri eccleſiam, fateri neceſſe habemus. Auditae hac de re iam ſaepius ſunt cordatorum virorum querelae, quas repetere, cum res manifeſta ſit, non neceſſe eſt. Quadrat in noſtram etiam aetatem, quod gravisſimus vir, PAVLVS ROBERVS, effatus eſt, cum ſuam *de vitae euangelicorum emendatione, ſumme neceſſaria, diſſertationem*, ita ordiretur: (m) *quoties peruerſos hominum noſtrorum mores contueor, euangelio minus digne viuentium (quanta enim inualuerint vitia paſſim in praediis, villis, oppidis, vrbibus, ſcholis, coenobiis, academiis, aliis, per conuiuia, per feſta, per itinera, per nauigia, quis pius ſine anxiis ſuſpiriis & columbinis gemitibus aſpiciat?) quoties, inquam, tantas euangelii maculas cogito, & obtueor, facio autem id ſaepisſime, per diem, per noctem, toties recordor grauisſimae illius querimoniae, qua diuus Iohannes Chryſoſtomus de ſui temporis hominibus ſic ingemiſcit: ex moribus ipſis prius intelligebatur eccleſia Chriſti, quando conuerſatio chriſtianorum, aut omnium, aut multorum, erat ſancta, quae apud impios non erat. Nunc autem aut tales aut peiores facti ſunt chriſtiani, quales ſunt haeretici aut gentiles. Adhuc autem & maior continentia apud illos inuenitur, quam.*

(m) *p. 1.*

quamuis in schismate sint, quam apud christianos. Atque haec cum in aperto posita sint, vt negari a nobis, aut excusari, nulla ratione possint, inconsulti quidam ecclesiae nostrae censores ambabus haec arripiunt manibus, in ipsam doctrinam culpam omnem conferentes, quae in hominum quaerenda erat prauitate. Romanenses praecipue innuo, qui hic triumphum agunt, victoriamque canunt, nunc demum reperisse se, putantes, quo protestantium religionem vno ictu prosternant. *Muhammedi Lutherique doctrinam*, inquit ROBERTVS BELLARMINVS cardinalis, (n) *nihil est mirum, & facile & in multis locum reperisse. Multa enim eaque difficillima fidei nostrae mysteria sustulit, & simul frena libidinis laxauit, & omnibus sceleſtis hominibus aditum patefecit.* Cui & alii suffragantur ex eodem grege, quorum iam ab aliis collecta sunt documenta. Cumprimis autem sanctissimum fidei nostrae caput, de iustificatione hominis peccatoris per solam fidem, bonisque adeo operibus, nullum hominem, iustum beatumque efficientibus, carpunt, & in exemplum proponunt, quippe quod, vt illi quidem existimant, non possit non perditos atque profligatos in hominibus, huic doctrinae addictis, producere mores. BELLARMINI, PISTORII, KELLERI, TANNERI, aliorum-

(n) *in orat. tomo IV. controuers. praefix 4.*

rumque, haec & similia nobis obiicientium exprobrationes ille, quem supra laudaui, doctissimus vir PAVLVS RÖBERVS (o) commemorat. Ita vero isti homines rationes subducunt; si quis audiat, non esse necessaria ad consequendam salutem bona opera, solamque sufficere fidem, quis non inducat in animum, genio indulgere strenue, virtutum studio, ceu difficili & taedii laborisque pleno, procul facessere iusso, cum facillimo negotio persuasione ista, Deum omnibus ob Christi seruatoris mortem propitium esse, criminumque impertire veniam velle, defungi queat. His & alia doctrinae capita addunt, quod statuamus, a renatis legem perfecte impleri non posse, & alia eiusmodi, per quae virtutum refrigescere studium, vitiis contra aperiri fenestram, sibi persuadent. Et sane, si haec ita se haberent, ipse asserem, pernicioſam admodum esse reipublicae, hanc, quam sectamur, religionem, & noxiam, & a rerum dominis minime ferendam. Sed hoc demum isti homines efficiunt, vt maleuolum prodant animum, veritatique infensum. Primo namque, si in ipsam doctrinam perditi mores illorum, qui eam profitentur, conferendi essent, eodem plane aduersarios nostros iugulare possemus gladio. Morum scilicet puritatem,

(o) *quæst. XII. p. 47.*

tem, sanctitatemque in nobis requirere audent, qui ipsi, si Augiae aliquod repurgare stabulum vellent, haberent domi, quod agerent. Quod si tempora, quae B. LVTHERI nostri reformationem saluberrimam praecesserunt, respiciamus, ingentia extant querelarum, de perditis horum temporum moribus, volumina; multaque ad id comprobandum ex VVOLFFII *memorabilibus*, GERHARDI *confessione catholica*, auctoribusque, qui catalogos testium veritatis concinnarunt, 10. quoque HENRICI HOTTINGERI *historia reformationis*, similibusque colligere possem, vt nunc antiquiora scripta NICOLAI CLEMANGIS, CVSANI cardinalis, GERSONIS, librumque: *Onus ecclesiae*, & alia eiusmodi taceam: sed abunde hoc iam praestiterunt alii, quos inter BOTSACCVS in *demonstratione, quod ecclesia Romana non sit sancta*, eminet. FRIDERICI MYCONII descriptionem status ecclesiae ante reformationem, lectu dignissimam, exhibet SECKENDORFFIVS, (p) quae vel sola ad id, quod cupimus, demonstrandum, sufficit. Et licet haec ipsa, quam B. LVTHERVS tam felici successu suscepit, ecclesiae repurgatio, occasionem suppeditauerit Romanensibus, ad suae ecclesiae mores itidem vtcunque emen-

 dandos,

(p) *hist. Lutheranismi lib. I. sect. II. addit. I. p. 4.*

dandos, naeuosque contegendos, nihilo-secius tamen vbique inter Romanenses regnant flagitia, atque impune perpetrantur, vt, christianos ne inter, an gentiles degas, vix dignoscere valeas. Ipsius BELLARMINI cardinalis conciones, aliorumque, qui paulo cordatiores inter eos sunt, abunde hoc testantur scripta: & si testimonia non adessent, ipsa hoc comprobaret experientia. Vt vero morum corruptionem, quae apud nos conspicitur, perperam doctrinae, vti mox patebit, adscribunt, ita nos contra meliori iure corruptionis fontem in doctrina, qua illorum ecclesia personat, quaerimus. Recte, ita iudicauit SECKENDORFFIVS (q) noster: *neque iuuat, quod opponunt, abusus saltem fuisse, & corrigi potuisse: pleraque enim ex errore dogmatico de meritis operum & imprimis cleri oriebantur, & huius commodis & honoribus seruiebant. Vnde nec in tot regionibus ad hunc vsque diem debito modo correcta, multa etiam in peius aucta sunt: quanquam, vti speramus, multi inter scorias istas aurum verae vitaeque in Christum fidei teneant.* Certe, quae plerorumque apud Romanenses, praesertim inter plebeios, animis sententia de indulgentiis sedet, aut me omnia fallunt, aut ita comparata est, vt regiam ad grauissima scelera omnibus muniat viam, disci-

plinam-

(q) l. c.

plinamque christianorum penitus euertat. Vt nihil nunc de Iesuitarum doctrina morali, ipsorum Romanensium iudicio, hominum prauis cupiditatibus egregie abblandiente, dicam. Ad ea vero, quae nobis obiiciunt, nostrae doctrinae capita, quaeque mores prauos facere putant, quod attinet, non opus est, vt in iis, ab eiusmodi accusationibus vindicandis, simus prolixi. Namque, vt libros nostrae ecclesiae symbolicos taceam, infinita extant nostrorum doctorum scripta, quibus demonstrant, fidei, qua sola iustificari dicimur, nomine non nudas vanasque hominum, gratiam Dei sibi, etiamsi vitiis suis immersi maneant, promittentium, cogitationes atque commenta, sed eam in Dei benignitate, positam fiduciam, quae verum acerrimumque criminum, vitiorumque odium secum vehat, quaeque solum Deum habeat autorem, ex qua adeo serium virtutum studium non possit non promanare, designari. Tantum ergo abest, vt virtutum bonorumque operum studium reiiciant, vt vnicum potius hinc fidei documentum petant, eosque, qui secus opinentur, & doceant, a suorum numero procul abesse iubeant. Quae doctrina vt ad morum sanctitatem puritatemque vnice est comparata, ita, qui eam negligunt, improbitati sceleribusque habenas laxant. Interim

non

non abnuimus, quosdam, incaute improvideque veritatem proponendo, falsis quorundam opinionibus occasionem suppeditare, quorum tamen imprudentiam nemo, nisi cui laeua mens fuerit, reliquis omnibus vitio vertet. Sed huic incommodo quo pacto afferri medela possit, iampridem solliciti sunt viri cordati. Cur autem hisce, quae manifesta sunt, immoramur diutius? Nec morentur nos voces aduersariorum: mores tamen vitamque testari de doctrina. Etenim haec si procederet argumentandi ratio, nullo vnquam tempore ecclesia vera gauisa fuisset doctrina. De ipsis Israelitis, quos Moses ex Aegypto eduxit, & legibus suis formauit, legimus, *quod fuerint generatio praua & exasperans, quae non direxerit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius. Et apposuerunt adhuc peccare, in iram excitauerunt excelsum in aquoso. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei, cor eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius. Deut. XXXII. 5. seqq. Psalm. LXXVII. 10. seq.* Ergone Mosis doctrina non recte se habuit, quia populus Ebraeus suos ad eam non composuit mores? Sed taceo reliqua. Iam ergo, si & exempla producantur in medium, quod nonnulli ex iis, qui Lutheri disciplinam sequuntur, neglecto ciuium officio, contra imperantes insurrexe-

rexerint, aut reipublicae turbauerint tranquillitatem, quemadmodum non abnuo, posse talia in medium proferri, (r) quid ad haec respondendum sit, quiuis facile intelligit. Primo namque inquirendum, num forte contra tyrannum, aut defensionis causa, tale quid designauerint. Tunc enim, si non defensionem, saltem excusationem promerentur. Deinde, si nec defendi nec excusari possint, concludendum, eos ex illorum esse numero, qui Christi Lutherique sectatores nominentur quidem, sed, se tales non esse, reipsa, moribusque suis comprobent.

§. XI. Quae de Lutheri sectatoribus diximus, ea prorsus eodem modo intelligenda quoque sunt de reformatae, vt vocatur, eccleſiae alumnis. Hos enim, funestum illud, atque ferale, quod inter protestantes ortum est, disfidium, distinguere nos cogit. Nihil autem docere reformatos, quod aut sanctitati principum, aut tranquillitati reipublicae repugnet, manifestum est, nec vlla hoc indiget demonstratione. Testantur hoc libri illorum symbolici, in quibus diserte profitentur, se & obsequium, & venerationem, quam a sibi subiectis iure exigere imperantes possunt, illis exhibere. Proferrem ipsa verba, nisi hoc

(r) *vid. Hubertus Mosanus, im bericht &c. cap. IV. p. 105. seqq.*

hoc iampridem praestitisset HVBERTVS ille MOSANVS. (s) Hisce suffragantur celeberrimorum apud eos doctorum scripta, quibus hanc, de ciuium erga magistratum officiis, doctrinam ita explicarunt, vt scripturae sacrae scitis, & rectae quoque rationi exacte conueniat. Fuerunt nihilosecius nonnulli, qui, inconsulto contendendi studio abrepti, vt lites augerent, nescio, quos errores illis obiicere ausi sunt, tam infelici quidem successu, vt apud suos etiam eam neutiquam, quam forte sperarunt, inierint gratiam. Ad quorum iniquas criminationes refellendas, diluendasque, generatim hoc obseruasse, operae pretium fuerit. (1.) Illorum placita, qui ab ecclesia reformata discesserunt, neutiquam imputanda esse reformatis. Ergo, si qui in infinita ista, quibus Anglia scatet, sectarum turba, quaedam reperiuntur, quae minus honorifice de magistratu politico aut sentiant, aut loquantur, hoc reformatis non magis fraudi esse potest, quam Lutheranis, si forte VVEIGELIVS aliquis (quanquam de hoc quoque infra dispiciemus) aut alius, qui illorum olim addictus fuit sacris, errorem aliquem in hocce capite foueat. (2.) In placitis quorundam ecclesiae huius doctorum rite explicandis, & intel-

(s) *im bericht &c. cap. I. & im fernern bericht &c. cap. V.*

intelligendis, respiciendum esse & ad reipublicae, in qua vixerint, & ad temporum, quibus vixerint, conditionem. Is nimirum aliquando est rerum status, vt nonnulli, vehementiori quodam affectu, abrepti doceant quaedam, aut scribant, quae, si alibi, aut alio tempore vixissent, forte non docuissent. Sic, cum in Gallia inaudita, & plusquam barbara crudelitate, tempore Caroli IX. Galliae regis in innocentissimos saeuirent Romanenses, quid mirum, extitisse tum non nullos, qui, cladis sibi illatae grauitate commoti, regum principumque potestatem paulo arctioribus circumscriptam voluerint limitibus? Sed, praeterquam quod hae priuatorum sint opiniones, nec cum doctrina, quam ecclesia vniuersa profitetur, vlla ratione conueniant, mitius semper pronuntiandum est de sententia, quam dolor & calamitas alicui elicit. Sic &, qui in republica democratica, aut aristocratica viuit, si reipublicae statui suam sententiam attemperet, aut paulo liberius de vitiis & incommodis aliarum formarum loquatur, rursus nihil, quod reprehendendum sit, committit: saltem ab iis, quibus similia exprobrari possunt, reprehendi nequit. Ad specialia hic non descendimus, de quibus videri potest HVBERTVS MOSANVS. (t) (3) Nec statim opinio-

(t) *im bericht cap. II. §. IV. seqq. & im fernern bericht cap. VI. sect. III. seqq. p. 191, seqq.*

opiniones quaedam periculosae sunt, aut reipublicae noxiae, quae pro talibus venditantur. Exemplum iam supra vidimus, cum de immediata maiestatis a Deo origine verba fecimus. Namque hanc qui negant, nescio, quid periculosi & noxii docere dicuntur, cum tamen & vera sit haec sententia, & auctoritati sanctitatique imperantium apprime conueniens, vti demonstrauimus. Addi huic alterum exemplum potest, de iure resistendi imperantibus. Etenim, si quis imperans in tyrannum degeneret, & ad perdendam rempublicam omnia consilia sua conuertat, eumque in finem leges fundamentales proterue migret, quin illi resistere ciues possint, &, si alia ratione saluti suae consulere nequeant, arma etiam expedire, nemo, nisi quem adulandi libido excoecauit, inficiatus fuerit. Iusit Deus, vt imperantibus obediamus: vt tyrannis obediamus, nuspiam iusit. Adeoque &, qui his obsequium non deberi docent, vt nihil asserunt, quod diuinae voluntati repugnet, ita nec auctoritati, aut sanctitati principum quicquam detrahunt. Neque enim ad legitime imperantem trahi vlla ratione possunt, quae de tyrannis dicuntur. Perperam ergo doctorum quorundam reformatae ecclesiae placita, de iure resistendi tyrannis, tanquam noxia reipublicae, alle-

allegantur. Accedit vero, quod & ex reliquis, praesertim Lutheri sectatoribus, non desint, qui eandem plane hic defendant sententiam. (u) Denique (4) & illud addendum, in vtraque protestantium ecclesia mores corruptos esse, & seculi labe infectos. Sed ex moribus neutiquam statuendum esse de doctrina, itidem supra iam euicimus. Esto ergo, fuerint nonnulli, qui limites obsequii & venerationis migrauerint, (x) fuerunt & apud illos, qui alia sacra colunt, qui idem designarunt: doctrina autem ipsa aut religio inde neutiquam in suspicionem vocari potest, cum & contrarium ex ipsa doctrina constet, & nihil frequentius inter homines sit, quam non obtemperare religionis suae, quam profitentur, decretis.

§. XII. Nostri quidem instituti ratio non permittit, descendere ad exempla, aut prolixum de factis instituere examen, facere tamen non possum, quin celeberrimae rerum conuersionis, quae nostra aetate in Anglia contigit, hic iniiciam mentionem, vt vel vnico exemplo constet, quam inepte in religionem aut ecclesiae cuiusdam doctrinam conferantur, quae tamen

(u) *vid. Mosani bericht, c. III. p. 57. it. ferner bericht, cap. III. §. VI. seqq. p. 62. seqq.*

(x) *vid. Mosani ferner bericht, cap. VII. per integr. p. 259. seqq.*

ex aliis procedunt causis. PETRVS namque IOSEPHVS AVRELIANENSIS, Iesuitici ordinis sacerdos haud incelebris, dum historiam expulsi Iacobi, & in eius locum substituti Guilielmi exponit, in eo totus est, vt demonstret, Angliae populum non alia causa, quam religionis Romanae odio adductum, contra Iacobum insurrexisse, seque commisisse fidei Guilielmi. Iacobum *Regem*, affirmat, (y) *tranquille & feliciter suis imperaturum* (fuisse) *si nullius omnino religionis, aut alterius cuiusuis, praeterquam Romanocatholicae, instituta amplexatus fuisset.* Hoc ego quidem, ab isto auctore asseri, minime miror, cum constet, non aliam ob causam eum scripsisse, quam Iacobo vt placerent, quas fecisset, fabulae. Ipse in operis praefatione profitetur, se ad regium (Iacobi) conclaue semper aditum habuisse, &, quoscunque vellet, sermones cum eo conseruisse. *Quod perinde est, vt recte iudicat* EZECHIEL BVRRIDGE (z) *ac si fateretur, Regem scriptis istis materiam dictitasse, aut perlegisse saltem ea, quae Iesuita de rebus ab eo gestis, tanquam ab eius commentariis excerpta, in vulgus editurus erat.* Quod si autem haec ita se haberent, vti litteris prodidit AVRELIANENSIS, non posset, non

(y) *dans les reuolutions d' Angleterre t. III. p. 395.* (z) *in praef. hist. nuperae rerum mutat. in Anglia.*

non in ſuſpicionem deduci ipſa reformatae eccleſiae doctrina, ac ſi per eam in reges principesque armarentur ciues, non aliam ob cauſam, quam quod Romanae eccleſiae ſacris ſint addicti. At cum frivola iſta hominis accuſatio ſua ſponte corruat, in fumum quoque ſuſpicio iſta abit. Enimuero, licet pericula quoque religionis populum Anglicanum ſollicitum habuerint, vnde &, quod non diffitendum, proceres Anglicani in ſupplici libello ad principem Auriacum, inter reliquas iniurias ſibi illatas, querelas etiam de religione interpoſuerunt: nihiloſecius, cum aliae quoque, longeque grauiores, acceſſerint cauſae, quae ad implorandam Auriaci principis fidem eos impulere, quis, niſi iniquiſſimus rerum exiſtimator, in religionem, mutatae reipublicae Anglicanae, conferet culpam? Manifeſtum vero eſt, Iacobum, percuſſo cum Galliae rege amicitiae fedère, populi Anglicani irritaſſe animos, eo quod haud obſcure intelligerent, non poſſe non in reipublicae ſuae hoc vergere perniciem: tum vero inimicitiae cum Batauis contra omnium vota ac voluntates ſuſceptae, vſurpata etiam contra reipublicae leges diſpenſandi poteſtas, auctoritas iudicibus eccleſiaſticis conceſſa, legum ſanctitas ſub ſpecie libertatis, conſcientiis permittendae, imminuta, immo fracta &

violata; prostrata conculcataque senatorum dignitas, & alia eiusdem commatis, imprudenter ab eo admissa, nec vlla ratione populo ferenda, ita eum a Iacobo abalienarunt, vt tandem saluam rempublicam, nisi mores rex mutaret, esse non posse, crederent. Neque tamen statim regiam dignitatem ei abrogarunt, aut eiecerunt eum, sed, cum precibus se parum proficere intelligerent, nec aliud quid superesset, euocarunt Auriacum principem, non, vt pelleret Iacobum, sed vt animum eius ad mitiora sanioraque consilia flecteret. Iacobus autem, rebus suis diffidens in Galliam cum aufugeret, ostenderetque luculenter, se aut plane non regnaturum, aut ex sui animi sententia, migratis, quibus respublica Anglicana innititur, legibus, regnaturum, excidit, sua ipsius culpa, regni iure, populoque in alium istud transferendi potestatem fecit. Nulla in hac scena religionis fuere partes, nisi quas optimo sustinere iure poterat. Etenim, si religio Anglos adduxisset ad insurgendum, contra regem, cur quaeso ad regnum eum admiserunt, quem sciebant Romanae ecclesiae sacris esse imbutum? Facilius erat, non admittere, quam admissum eiicere. Cur tamdiu fidem suam studiumque ei probarunt quam enixissime, etiam cum optima occasio regno eum spoliandi

se

se iis offerret? Monumethensis Ducis innuo conatus, cui cum iuris species non deesset, religionisque causam obtentui sumeret, tantum abest, vt fauentes sibi haberet proceres Anglicanos, vt illi, qui reformatae doctrinam ecclesiae sequebantur, ipsi etiam episcopi, fidem suam in opprimendo eo, erga regem quam maxime demonstrarint. Nec aliter se gerere hic potuerunt, qui puriorem hanc doctrinam in Anglia sectantur: quippe per quam nefas est, obsequium denegare principi, rite imperanti, cuicunque etiam religioni sit addictus. *Ecclesia etenim Anglicana*, inquit EZECHIEL BVRRIDGE, (a) *quemadmodum academia Oxoniensis publice declarauit in decreto isto, quo maiestatis damnauit scripta plurimorum, dignitati regiae (vt illi arbitrabantur) inique consulentium, puram & sanctam in regiam maiestatem fidem, sibi prae aliis ecclesiis peculiarem atque institutionis vnicam ferme notam ac characterem ostentat. Gloria semetipsam & praedicatione effert, quod fides ista proditionis crimine nunquam onerata fuerit. Atque illud insuper gloriatur, se regibus sine aliquo religionis discrimine aut defectu obsequium praestare.* Sed hanc causam tam egregie perorauit ille, quem laudaui, EZECHIEL BVRRIDGE, vt quicquam addere plane superuacaneum ducam.

(a) *lib. I. cap. I. pag. 4.*

CAP. VI.

Σύνοψις.

Anabaptistas quasdam pernicioſas reipublicae foviſſe opiniones, idque factis comprobaſſe, docetur, §. I. Occaſio huius erroris indicatur, §. II. A Munzerianis & Monaſterienſibus ſedulo reliquos eſſe diſcernendos, §. III. Sententia illorum, chriſtiano non eſſe fas magiſtratum gerere, diſcutitur, &, an reipublicae noxia ſit? diſquiritur, §. IV. De bellis quid ſentiant, & an illorum opinio cum imperio ciuili conſiſtere queat? §. V. An, & quousque, iuramenta chriſtianis illicita eſſe, contendant? & an ex hac ſententia damnum aliquod in rempublicam redundet? §. VI. Quakeri, an doceant, quae reipublicae nocent? §. VII. Impedimenta, quae ex vita ciuili, iuxta quorundam opinionem oriuntur, quo minus cum diſciplina chriſtiana conſiſtere queat, indicantur, & diſſertationi finis imponitur. §. IIX.

§. I.

DE reliquis, in quas orbis chriſtianus diviſus eſt, ſectis, paucis adhuc aliquid addendum eſt, ne praetermiſiſſe aliquid videamur. Cumprimis autem hic ſeſe nobis offerunt Anabaptiſtae, qui vel maxime hoc

hoc nomine male audiunt, quod dogmata, rerumpublicarum saluti ac tranquillitati, aduersa, foueant. Quod quidem eo facilius nonnulli sibi persuadent, cum secum expendunt seditiones atque tumultus, quibus nonnulli hisce sacris addicti, occasionem suppeditarunt. At vero neutiquam nobis committendum est, vt innocentes pariter cum nocentibus damnemus, omnesque vno eodemque habeamus loco. Namque a MVNZERI, atque IOANNIS LEIDENSIS, sectatoribus, quorum ille in Thuringia, hic Monasterii, intestini belli auctor extitit, reliqui omnino discernendi sunt, quippe quorum mores a moribus illorum plane abhorrent, & qui diserte, etiam profitentur, nunquam sibi hosce probatos fuisse ausus. Sane pro Munzerianis istis atque Monasterienſibus aut excusandis, aut defendendis, quid dici possit, non inuenio, adeo aperte suis facinoribus, a prauis cupiditatibus suis se circumagi in omne nefas, prodiderunt. Nec ipsa illorum molimina hic recensere necesse est, quippe quod iam alii quam diligentissime, licet non omnes aeque circumspecte, aut sincere, praestiterunt; vt auctor libri: *Successio Anabaptistica*, Belgica lingua scripti, GEORGIVS CASSANDER (ob modestiam & sinceritatem ipsis Anabaptistis laudatus) de *origine sectae Anabapti-*

baptisticae, IOANNES GASTIVS Brisacensis, *de Anabaptismi exordio, historiis abominandis &c.* NICOLAVS GERBELIVS, Phorzensis, iure-consultus, de *Anabaptistarum ortu & progressu*, LAMBERTVS HORTENSIVS, de *tumultu Anabaptistarum*, IOANNES MODED, de *initiis sectae Anabaptisticae*, &, qui omnes fere superat, IO. HENRICVS OTTIVS, in *annalibus Anabaptisticis, siue historia vniuersali de Anabaptistarum origine, progressu, factionibus:* porro PETRVS GNODALIVS a SIMONE SCHARDIO editus *tom. II. scriptorum rerum Germanicarum*, itemque PETRVS CRINITVS & HVBERTVS THOMAS LEODIVS apud FREHERVM, *tom. III.* Quibus denique addi potest FRIDERICVS SPANHEMIVS in *diatribe historica, de origine, progressu, & sectis Anabaptistarum*, & anonymus, qui lingua Gallica *historiam Anabaptistarum* edidit, quae Parisiis a. MDCXCV. prodiit, vt nunc alios, innumeros fere, taceam.

§. II. Facile autem quiuis perspicit, ex male intellecta doctrina euangelii errores hosce ortos esse, qui illos egerunt in praeceps. Namque & B. LVTHERVS noster docuit, illis, qui doctorem spiritum sanctum in animis circumferrent, nullis opus esse magistratibus. Verba eius ex libro de potestate seculari, in linguam latinam translata, exhibet SECKENDORFIVS:

FIVS: (b) *Si omnes & singuli toto orbe essent veri christiani, siue vere fideles, neque regibus & principibus, nec gladio aut legibus opus esset. Ad quid enim ista? haberent nimirum in corde doctorem spiritum sanctum, a quo instruuntur, ne cuiquam male faciant, omnes ament, iniurias & mortem ipsam patienter ferant. Vbi autem iniqua patienter feruntur, aut non nisi aequa fiunt, ibi nulla est lis aut rixa, nullus iudex, nulla poena, iudicium, aut gladius. Itaque inter vere christianos locus iudicio aut gladio temporali esse non potest, plus enim praestant, quam omnes leges aut doctrinae ab iis exigunt. Hinc Paulus docet I. Tim. I. 9. lex iusto non est posita, sed iniustis &c.* Sic & alibi idem vir diuinus professus est: *Christianum verum omnium rerum dominum, nec cuiquam subiectum esse.* Quae & reliqua eiusdem commatis, vti caute & sobrie intellecta, longe verissima sunt: ita contra, si crude accipiantur, praesertim, si forte animi tyrannide atque crudelitate imperantium exacerbati aut irritati sint, iugumque aegre ferant, facile ad habenas quatiendas ferociores mentes adducere possunt. Veritas interim non desinit esse veritas, licet alii ea abutantur: quemadmodum contra, qui ea ad res nouas moliendas se induci patiuntur, adeo in ea non inueniunt, quo excusare facinora sua

(b) *hist. Luther. lib. I. sect. LII. §. CXXVII. p. 211.*

posſint, vt grauius contra peccare cenſeantur, diuinis effatis ad cupiditates ſuas explendas abutendo.

§. III. At, quicquid huius ſit, ob Munzerianorum & Monaſterienſium aut dogmata, aut facta, reliqui neutiquam ſunt culpandi, quippe qui, ab illis longiſſime ſe abeſſe, diſerte profitentur. Ipſe MENNO SIMONIS nouae inter eos longeque celeberrimae ſectae conditor, contra IOANNEM LEIDENSEM, & Monaſterienſes, ſcripſit librum, ſeque hoc ipſo neutiquam illorum probare turbas profeſſus eſt, vt ex BRANDII *hiſtoria reformationis* (c) refert MELCHIOR LEIDECKERVS, (d) extatque in operibus eius lingua Belgica editis, ſub titulo: *Daſs Ieſus Chriſtus ſey der vvahre verheiſſene Dauid, und König der Könige*, item: *das ſich die Niederländiſche Wiedertäuffer viel geſchickter, und frommer achteten, als die, ſo den Bauernkrieg im heil. Röm. Reich angefangen, und das Königreich zu Münſter auffgerichtet haben*, obſeruante GOTHOFREDO ARNOLDO. (e) Et patet idem ex doctrina, quam in colloquiis confeſſionibusque profeſſi ſunt, ſuarum eſſe partium, aſſerentes, obedire in licitis atque

(c) *part. I. p. 139.* (d) *in notis ad Hornii H. E. p. 342.* (e) *in der Kirchen- und Ketzer-hiſtorie t. I. part. II. lib. XVI, c. XXI. §. V. p. 265.*

atque honestis magistratui, eiusque iussis nulla ratione repugnare. Quam in rem legi possunt colloquium Embdanum, *actione CXIV. p. 335.* & Leovvardiense, *act. CXXXVII. p. 438.* itemque Franckenthalense, *artic. XXIV. n. 6. & 12.* Quae cum ab aliis allata sint, nos quidem iis diutius non immorabimus. Facere tamen non possum, quin dicta vlterius confirmem testimonio scriptoris recentioris. Is est ANGELVS ARENTSOON VON DOORGEEST, qui verbi diuini ministrum apud Anabaptistas agit, & in epistola contra ERIDERICVM SPANHEMIVM, doctissimum virum, edita, dogmata Anabaptistarum modernorum luculenter proposuit. Cum ergo SPANHEMIVS obiecisset Anabaptistis, quod nullos ferre magistratus vellent, populoque praeesse ipsi cuperent, respondet: (f) *Es ist, sehr vverther Mann, ein sehr klarer Bevveis, dass E. L. in Auffsezung dieser dinge keine gute Erkandtniss von vnsern Sachen habt gehabt.* Et paucis interiectis: *Denn vvo vverden doch solche vngeschmackte Dinge in vnsern Bekandtnüssen, oder in der gemeinen Lehre vnserer Gemeinden in dem allergeringsten gespühret? Vnd vvas solte denn einen bescheidenen Mann zu statten kommen, dass man von vns als Rebellen, Auffruhrmachern, vnd Verstöhrern der Länder, vnd Königreiche, die vnter keiner Obrigkeit stehen*

(f) *p. 126.*

hen vvollen, reden solte? vnd die Vngereimtheit hieruon zu sehen, lassen vvir die Partheyen selber Richter seyn. Prouocat hinc ad testimonia ERASMI, atque CASSANDRI, quorum ille innocentissimos Anabaptistarum mores diserte laudet, hic autem a Monasterienſibus atque Battenburgicis, reliquos, in quorum vita moribusque, quod reprehendendum sit, non occurrat, discernendos esse, moneat atque inculcet. Tum vero, postquam multa alia eiusdem generis ad propulsandas hasce criminationes in medium attulit, ex reliquis doctrinae, cui addicti sint, capitibus, omnibus facile constare posse, asserit, ab eiusmodi opinionibus aut placitis, quae aut noxia sint reipublicae, aut iniuria in summos imperantes, procul se abesse. *Was vns betrifft*, ita pergit, *da kan keine Lehre erdacht vverden, die mehr zur Vnterthänigkeit gegen die Obrigkeit verbindet, als die vnsere thut. Welches man aus den Gründen vnserer Lehre von der Gedult, der Demuth, vnd der Liebe gegen alle Menschen, vnd selbst gegen die Feinde in dem Friede solte zeigen können. Denn vvie solte der nicht seiner eigenen Obrigkeit auff das allertieffste vntervvorffen seyn, der im Gevvissen begreiffet, das es ihm ganz nicht zustehet, einem einigen Menschen mit Mitteln der Gevvalt zu vviderstehen.* Et fateor sane, studium aliquod turbandi rempublicam, aut insurgendi contra magistra-

giſtratum, cum reliquis illorum placitis, etiam quae ab aduerſariis eorum illis tribuuntur, neutiquam conciliari poſſe. Sed audiamus porro noſtrum, de magiſtratu talia docentem, quae ciues non poſſunt non ad ſummam venerationem, illi exhibendam, adducere: *Denn*, inquit, *ein ieglicher kan von ſich ſelbs aus vnſern Bekändtniſſ gnugſahm vviſſen, das es nach vnſerer Lehre Gott iſt, der Könige vnd Regenten ab vnd einſetzet. Das, vveil Gott ihnen das Obergericht anvertrauet, vns nicht anders als die Ehre des Gehorſams kan übrig bleiben. Das man Gott vmb Obrigkeiten bitten, vnd vvann man ſie erlanget hat, dafür dancken, vnd vvie dieſelbige auch ſeyn mag, vertragen muſſ, vveil die frommen Prinzen zu einen Seegen, aber die böſen zu einer Straaffe über die Sünden ſeyn, und das man denſelbigen auch ohne Wiederſtand darum muſſ unterthan ſeyn.* Quibus verbis diuinam ſummorum imperantium originem diſerte innuit, ſimulque docet, omnes ciues ad iis obtemperandum lege diuina obſtrictos eſſe, quam migrare ſummum quidem ſit nefas. Confirmat in ſequentibus vlterius ſuam ſententiam ex *Rom. XIII. 2.* & quod in licitis ſaltem, atque honeſtis, obtemperandum ſit imperantibus, commonſtrat. Quae omnia vt rectae rationis, diuinarumque literarum ſcitis accurate reſpondent, ita innoxiam horum hominum doctri-

doctrinam, & modernorum Anabaptistarum a Munzerianis illis ac Monasterienſibus diſcrimen, luculenter euincunt. Accedit vero, quod maximum atque praecipuum eſt, quod vita etiam ſua moribusque hanc doctrinam ſuam comprobant. Conſtat namque, eos tum in Belgio, tum in aliis locis, in quibus fortunarum ſuarum fixerunt ſedes, quiete prorſus agere, proborumque ciuium munus tam accurate explere, vt ipſorum imperantium iudicio in reliquis ſectis, qui in hoc capite illis praeferri queat, nemo fere, pauci ſane, qui cum illis comparari poſſint, reperiantur. Quae allatis doctiſſimorum virorum teſtimoniis comprobare poſſem, ſi opus eſſet, aut inſtituti etiam noſtri hoc permitteret ratio.

§. IV. Referuntur tamen inter Anabaptiſtarum dogmata & alia, quae cum ciuili imperio conſiſtere vix poſſe, multi ſibi perſuadent: de quibus paucis diſpicere, operae pretium fuerit. Ad tria autem haec reuocari capita poſſunt: primo, quod doceant, nefas eſſe chriſtianis, gerere munus magiſtratus, deinde, quod a ſuppliciis capitalibus & bellis abhorreant, & denique, quod iuramenta improbent. De primo quidem & vltimo capite iam ita pronunciauit IOANNES HOORNBEEKIVS: (g) Beni-

(g) *in ſumma controuerſiar. lib. V. p. 362.*

Benignius semper iudicarunt docti de aduersariorum (Anabaptistarum) *erroribus, praesertim illis, qui circa iuramenti vsum & officium magistratus omnes fere ex magna bene distinguendi imperitia orti videntur. Vt de iuramento, & officio magistratus, vnde errant? nisi de neglecta regula, de abusu non tollente vsum, quodque non distinguant abusum, qui in iuramentis solet contingere, & magistratu, a legitimo vtriusque officio ac vsu? abutantur iurandi licentia alii & potestate gerendi magistratus, an ideo non bonus vtriusque vsus esse potest?* Mihi quidem potius ex imperitia interpretandi scripturam, enati eiusmodi errores videntur. Sed quicquid huius sit, an eiusmodi opiniones periculosae sint aut noxiae reipublicae, id quidem est, de quo nunc maxime disquiritur. Audiendi vero ipsi sunt Anabaptistae, mentem suam rite edisserentes, vt de toto hoc negotio eo rectius statui queat. Ad magistratus itaque officium quod attinet, an fungi eo christianus possit, is ipse ANGELVS ARENTSOON VON DOORGEEST hac de re ita verba facit, vt primo demonstret, magnis multisque periculis se exponere, qui eiusmodi munus subeat: *Denn das sonst diese Aempter durch einen hauffen schvvaerer Zufälle überaus gefährlich seyn, vvird niemand, der einigen Verstand von guten Dingen hat, leichtlich verneinen.* Inde concludit, satius esse, si christianus, priuata sort-

sorte sua contentus, ab eiusmodi muneribus se abstineat: cum temerarium sit, seipsum in pericula coniicere. Rursus iustitiae administrationem conuenire magistratui ciuili: at per legem euangelii cuncta ex amore esse administranda. Nec tamen inde magistratus officio vllam adspergi labem: *die gestrenge Gerechtigkeit*, inquit, *ist nicht deßvvegen böse, vngerecht, oder eine Tyranney zu nennen. O nein, das sey ferne: Denn vvie solte sonst Gott, der die bösen straafet, die Welt in Gerechtigkeit richten.* Adeoque porro concludit, magistratum esse ordinationem diuinam, cui omnes merito obtemperent, licet christiani ob pericula, quae hoc munus comitantur, eum adire nolint; immo licet Christus ipse, de suorum quippe salute valde sollicitus, omnes magistratuum functiones illis interdixerit, *Matth. XX. 25. 26. 27. Luc. XXII. 25. 24.* In quo equidem fallitur, cum seruator in dictis locis id saltem velit, apostolis, illorumque successoribus, qua talibus, hoc est, qua doctoribus, nullum imperium, nullam cogendi alios potestatem competere, vt adeo de magistratus officio nullus ibi instituatur sermo. Interim hoc facile illi concedimus, posse ab aliquo officium magistratus pro diuino & sancto haberi, licet insimul credat, sibi non conducere aut expedire, aut fas etiam esse, illud suscipere. Multa enim

enim in se bona sunt & salutaria, quae nobis tamen non statim expediunt. Hinc nec eos, qui hisce officiis funguntur, damnant. Id quod hisce porro verbis exprimit: *Nicht, daß vvir die Christen, die diese Aempter annehmen, verdammen vvollen: das sey fern, sondern vveiln vvir diese Freyheit nicht vvohl begreiffen, noch andern der Gebühr nach versichern können.* Atque ita si haec sententia explicetur, non video, qua ratione vllum ex ea ad rempublicam redundare periculum possit.

§. V. Ad bella quod attinet, manifestum est, Anabaptistas ea pro illicitis reputare. Diserte enim hoc profitentur in confessionibus suis atque colloquiis variis, vt patet ex confess. Menniſtar. *action. XIX.* & colloquio Leovvardiensi, *act. CXXXIII. & CXXXV.* itemque Embdano, *act. CVII. CIX.* & aliis. Addique hisce potest saepius a nobis laudatus VAN DOOREGEEST, in sua ad SPANHEMIVM epistola. (h) Sed male etiam hoc nomine passim audiunt, certatimque refutantur. Vellem autem magnopere, vt, qui hic in arenam cum eiusmodi hominibus descendunt, officia, quae lex naturae ab omnibus hominibus exigit, aut omnibus etiam permittit, paulo accuratius, quam vulgo fieri solet, distinguerent ab iis, quae christianis aut iuncta sunt, aut

(h) *p. 140. seqq.*

permissa. Namque non statim, quae licita sunt hominibus, secundum naturae suae conditionem spectatis, christianis quoque licita sunt. Sed id nunc non ago. Quaeritur potius, an hoc dogma noxium sit reipublicae. Vbi id quidem euidens est, ab iis ipsis, qui eiusmodi quid docent, reipublicae nullum imminere posse periculum. Qui enim, ne erga hostem quidem arma capessere, sibi fas putant, eos reipublicae, in qua degunt, vim illaturos crederes? Praeterea, se hoc ipso potestati, & auctoritati imperantis nihil derogare, sancte testantur. *Vnd ob vvir das alſo nicht anders aus Gottes Wort verſtehen können*, inquiunt in colloquio Embdano *act. CXXXVII. p. 438. vvie es auch nicht iſt; ſo erklären vvir vns doch mit auffrichtigen Herzen, daſs vvir hiermit nicht meynen der vveltlichen Obrigkeit Macht zu vviderſprechen.* Quare nec imperantes ideo damnant, modo cetera recte se habeant: sed sua saltem opinione hoc iis, qui accurate Christi disciplinam sequi velint, non licere autumant. Iam ergo imperans, si ipse hoc pro vero non reputet, hoc in capite facile pati potest, vt alii suo abundent sensu. Accedit, quod multi alii doctissimi viri, vt DESIDERIVS ERASMVS Roterodamus, in *libello de milite christiano*; IO. FERVS, lib. *de pace tenenda*

apud

apud SIXTVM SENENSEM, (i) aliique ex recentioribus, ex antiquis autem ecclesiae doctoribus ORIGENES (k) atque TERTVLLIANVS (l) bella improbando, eandem hic cum Anabaptistis tueantur sententiam. Quos omnes si quis contendat, noxia, aut periculosa reipublicae hoc ipso docuisse, nae eum, quid dicat, quidue asserat, parum habere pensi, existimauerim. Et ipse sane HVGO GROTIVS (m) quod ORIGENIS atque TERTVLLIANI auctoritati opponeret, non inuenit, nisi illud, *quod ament ab aliis seorsim ire, & docere quiddam magnificentius.* At esto, quod in aliis a caeteris seorsim ire ament: in hoc tamen capite eos seorsim ire, aut saltem multos ex veteribus christianis sibi non habuisse consentientes, probatum non est: immo ne verisimile quidem, si, quae de vita moribusque veterum christianorum historiarum monumentis consignata sunt, nobiscum expendamus. De suppliciis capitalibus idem censendum, quod de bellis hactenus diximus. Nimirum & haec a christianis exerceri posse, abnuunt: licet MENNO alicubi facultatem poenis capitalibus impro-

(i) *bibliothec. lib. VI. annot. 152.* (k) *lib. VIII. contra Celsum p. 425. seqq* (l) *lib. de idololatr. cap. XIX & de corona milit. cap. II.* (m) *de I. B. & P. lib. I. cap. II. §. IX. n. 2.*

bos afficiendi, magistratui concesserit. Quicquid vero & huius sit, hanc sententiam securitati & tranquillitati reipublicae non aduersari, fidenter assero. Namque non id sibi volunt, impunitatem quibusuis sceleribus esse concedendam: quod si fieret, cuncta sursum deorsum ferri in republica necesse esset: sed carceribus, laboribusque, aut temporariis, aut aeternis addicendos esse immorigeros contendunt, vt ita forte ad mentem meliorem reducantur, neue cum vita spes etiam aeternae felicitatis, quod plerumque fieri solet, illis adimatur. Plura hanc in rem CLEMENS IVSTINIANVS in peculiari schediasmate, germanica lingua scripto, disseruit, satis quidem speciosa, & non tantum rei huius grauitatem demonstrantia, sed rationem etiam securitati reipublicae absque suppliciis capitalibus consulendi, ostendentia. Dubito equidem, an in summa ista seculi nostri corruptione improbi coërceri satis absque suppliciis capitalibus queant: interim tamen nec necessaria plane ea asseuerauero, quamdiu experimento, propositas rationes non id efficere, quod auctor iste cupit, comprobatum est. Et ita etiam nemo Anabaptistarum sententiam, ceu noxiam, & periculosam, potest reiicere. Accedit vero, quod itidem plurimi veterum christianorum eandem animo suo federe

sen-

sententiam, moribus suis atque exemplis comprobarint. Namque ne interesse quidem suppliciis capitalibus, nedum ea exercere, licitum sibi credebant. Qua de re ATHENAGORAE, (n) LACTANTII, (o) TERTVLLIANI, (p) aliorumque, extant testimonia. Ergo aut hosce docuisse talia necesse est, quae cum imperio ciuili non conueniunt, aut excusandi sunt Anabaptistae.

§. VI. Denique & iuramenta christianorum non probari Anabaptistis, notius est, quam vt prolixius hic demonstrari debeat. Et constat illorum sententia, ex colloquio Franckenthalensi, *artic. XXI. n. 1. 2.* Embdensi, *Artic. CXIX. n. 1.* aliisque scriptis publicis. ANGELVS ARENSTON VAN DOOREGEEST suam hac de re ita explicat sententiam, (q) vt facile pateſcat, eum non prorsus iuramenta damnare. Primo namque negat contra SPANHEMIVM, ab Anabaptistis iusiurandum haberi pro opere carnis: *Gevvislich*, inquit, *dieſes iſt aus vnſern allgemeinen Bekändtniſſen nicht genommen, darinnen man ſolche dinge nicht finden vvird.* Immo eos, qui iureiurando aliquando se obstringunt, neutiquam damnare sustinet: *Daß vvir aber ſolche vnuerſchämte Menſchen ſeyn*

(n) *apol. p. 38.* (o) *lib. V. c. XVIII.* (p) *de ſpectaculis cap. XVI. & alibi.* (q) *l. c. p. 117. ſeqq.*

solten, daß vvir alle solche hie verstehen, nach dem Exempel der Heiligen des alten Testaments, nach einem getreuen Eyd, mit tieffer Ehrerbietung zu Gottes Nahmen, allein in sehr tringenden nothfällen mögen ja müssen thun, als vvenn sie an einem Wercke des Fleisches schuldig, zur Höllen solten verdammen, vver ist, der das iemahls gehöret oder vernommen hat? Nihilosecius tamen, cum omnino inter Numinis inuocationem & iusiurandum discrimen constituendum sit, & illius quidem, non autem huius, exempla in nouo testamento occurrant, temeritatis notam subire, qui, christianis iusiurandum licitum esse, asserere velit. Saltem christiani nomine indignum esse, qui non insiurandum quauis ratione euitet. Praesertim, cum huius vsus plane superuacaneus esse videatur. Eos enim christianorum debere esse mores, vt etiam sine iureiurando illis credatur. Et huc etiam ipsa Christi seruatoris collimare praecepta, quae interpretatione commoda declinare quidem nonnulli annitantur: sed tutius tamen esse, ab omni iureiurando se abstinere. *Weil es aber denn allhier an der einen Seiten ohne Gefahr ist, vnd an der andern Seiten zum vvenigsten nicht ohne aller Gefahr, vver muß nicht bekennen, daß der vveit besser thut, der nach seiner Freyheit, vnd das vor allen in einer so grossen Sache, als die Gesetze vnsers göttlichen Königs sind, das sicherste erwehlet, nach dem*

dem Wort des berühmten Augustini: Falsch schweren, ist gefährlich, nicht schweren, ist sicher. Haec eum in finem adduxi, vt constaret, cautius atque circumspectius hic incedere Anabaptistas, si non omnes, certe doctiores, quam vulgo creditur. Interim hanc sententiam ciuili imperio nullum posse creare periculum, quiuis per se facile intelligit. Quid enim vero opus est iureiurando, cum ciues eiusmodi praediti sunt moribus, vt etiam sine iureiurando tuto illis fides adhiberi queat. Tales vero Anabaptistarum mores esse, vel ipsis aduersariorum, quos experti sunt, testimoniis comprobari posset. Atque hoc ipse etiam vrget VAN DOOREGEEST: *Vnd damit vvir mit dieser Meynung einem Lande oder Königreiche nicht hinderlich seyn, ist leicht zu begreiffen, dieweil die Festigkeit einer Regierung nicht in dem Eyde, sondern in Erfüllung der gebührenden Treu bestehet, um vvelcher vvillen das schwache Mittel des Eydes allein bey einigen gebraucht vvird. Aber daß die Mittel nicht mehr nöthig seyn, vvann man ausser denselben des endes desselben durch andere vvege, die viel sicherer, genugsam kan versichert vverden, vvird niemand können leugnen. Vnd vvas für Versicherung der Treu ist besser, als die Befindung der guten Treu selber?* Anabaptistas autem non temere commisisse, vt magistratus fidem in illis requirere posset, subiectis deinceps exemplis, prolixius

docet. Habent vero & hac in re consentientes secum christianos veteres. Horum enim quae fuerit de iureiurando sententia, vel ex hoc CLEMENTIS ALEXANDRINI (r) testimonio intelligere licet, quod breuitatis causa latino saltem sermone referam: *Sed neque iurat* (christianus) *vt, qui in affirmatione quidem Ita vel Est, in negatione autem Non, vsurpare constituerit. Iurare enim est, iusiurandum vel tanquam iusiurandum mente conceptum proferre affirmatiue. Sufficit ergo, ei vel affirmationi vel negationi addere illud: vere dico, vt fidem eis faciat, qui responsi eius non perspiciunt stabilitatem. Oportet enim eum habere, vt ego quidem existimo, apud externos quidem vitam fide dignam, vt ne postuletur quidem ab eo iusiurandum, apud se ipsum autem, & qui cum eo conuersantur, animi aequitatem, quae est iustitia voluntaria.* Et nihilosecius nemo ex hoc capite veteres christianos accusauerit, ac si doceant, quae cum rerumpublicarum salute ac tranquillitate consistere nequeant.

§ VII. In mentem mihi hic Quackeri veniunt, qui in Anglia non vlla magis re, quam iurisiurandi, quod ab illis exigebatur, detrectatione, maxima sibi attraxere incommoda. Constat namque, tum in aliis quibusdam capitibus, tum in hoc maxime, cum Anabaptistis eos consentire, quod

(r) *lib. VII. stromat. p. 729.*

quod nefas christiano putant, iureiurando vti. Cum ergo illi omne iuramentum detrectarent (verbis GERHARDI CROESII, (s) diligentissimi historiae Quackerianae scriptoris, hoc exponere lubet) quasi illicitum, & illud tantum de odio papae, ac suo erga regem affectu, & interim semper parati essent verbis apertis, minimeque dubiis, vere, coram & in praesentia Dei, affirmare, se eos esse, qui papam eamque ecclesiam, & illorum hominum potestatem & dogmata, & fastus, & astus, aduersus reges, cane peius & angue fugiant, & tales esse, vt rex a nullis hominibus, quam a se, incommodi ac noxae minus metuere, ac plus amoris & obedientiae, ac studii, velut erga suum legitimum regem, desiderare posset, & paratos esse se, si in his fidem fallant, subire illas poenas, quas subeunt ii, qui, vbi conceptis verbis iurauerunt, iuramentum rumpunt, *nihilominus illis iuramentum hoc obiectum, tanquam laqueus inexplicabilis, quo, quos captare volebant, irretitos tenebant. Nam*, ita pergit, *siue iuramentum hoc prorsus defugerent, siue cum exceptione hac, vt suam de eo, aut de re ipsa sententiam expromerent, ac verba mittentes, de fidelitate, sancte promittere vellent, atque id etiam sua manu seu scriptura obsignare non recusarent, illi continuo habiti vel malae, vel dubiae, ac subleſtae*

(s) *hist. Quaker. lib. II. p. 199.*

erga regem fidei, orbatique omni patrocinio ac defensione, quae a rege ad eos potuisset venire. Quo ipso summam Quakeris illatam fuisse iniuriam, nemo facile dubitauerit. Primo namque patet, illis, qui iurisiurandi huius recusationem in malam interpretati sunt partem, non constitutum fuisse, aut emendare hosce homines, aut reipublicae securitati consulere, sed perdere eos, saevitiamque suam explere. Deinde, quid opus erat cogere eos ad iusiurandum, qui iniurati ea omnia longe rectius praestabant, quam ceteri, qui non vno iureiurando se obstrinxerant. Praesertim vero, cum nullius perfidiae, aut facinoris contra rempublicam suscepti, conuinci potuerint. Praeterea certum est, apud doctrinae moralis antistites, neminem cogi posse ad ea facienda, quae iniusta, aut legibus diuinis repugnantia, iudicauerit: etiamsi erronea animo eius sederit sententia. Namque, quamdiu ea nos tenet persuasio, verum aliquod aut falsum esse, non possumus non ita sentire, operamque ludit, qui nos, vt aliter sentiamus, vult adigere. Neque timendum, vt forte hominum improbis conatibus ita feneſtra aperiatur, qui, ad cupiditates suas eo tutius in scenam producendas, fingere possint, persuasum sibi aliquid esse, quod tamen pro vero non reputent. Namque facillimo negotio, quid

serio

serio aliquis persuasum sibi habeat, quidue fingat, discerni potest. Sed Quakeri hoc etiam nomine male audiebant, quod nudare coram magistratu caput, aliisque signis externis reuerentiam illis exhibere noluerint. (t) In quo quidem errarunt grauiter, & cum veteribus Cynicis veniunt comparandi. Namque non minus ad obsequium, quam venerationem, signis quoque externis, pro more cuiusque gentis recepto, erga magistratum demonstrandam, diuinis legibus obligati sumus. Reipublicae quoque natura, & indoles, hoc requirit, magis tamen obsequium, quam venerationis signa externa. Existimo etiam, rempublicam saluam esse posse, si vel maxime venerationis ista signa externa non exhibeantur, modo fidelitate, obsequio, & officiorum promptitudine hoc compensetur, quod de Quakeris historici testantur: licet satius sit obsequio adiungere reuerentiam. In reliquis autem cum itidem cum Anabaptistis consentiant, patet abunde, quo iure tum alii, tum etiam HECTOR GOTHOFREDVS MASIVS, (u) Quakeros inter eos referat, quorum doctrina ciuili imperio sit aduersa.

§. VIII. Et idem auctor (x) Ana-

(t) *v. Croësius, l. c. lib. II. p. 217. 221.*
(u) *intereſſe princip. cap. III. p. 17. 18.* (x) *loc. cit.*

Anabaptistis atque Quakeris adiungit Weigelianos. Sed obseruauit iam HVBERTVS MOSANVS, (y) ex loco VVEIGELII, quem affert MASIVS, nihil eiusmodi comprobari posse. Vidi, & ab aliis idem VVEIGELIO, eiusque discipulis imputari, sed non rectius probari. Namque, cum vir ille asseruit, ita Deo visum, vt per infimae potius sortis homines, quam reges, principesque, doctrinam euangelii propagaret, ne hi forte aliquem ad eam amplectendam cogerent, aut Christum, cum inter mortales versaretur, regum principumque consortio non fuisse delectatum, quod corruptos deprauatosque horum mores intelligeret, statim inde inferunt, prauas eum de magistratu ciuili fouere opiniones. Quo ipso tantum abest, vt eiusmodi hominibus vllam apud rerum dominos inuidiam creent, quippe qui non temere inauditum aliquem puniunt, id quod tamen in votis habent, vt suam potius inuidiam prodant, seque prudentioribus deridendos propinent. Idem & de illis statuendum, qui Socinianos in hanc quoque classem, minus recte de magistratu ciuili sentientium, aut noxias reipublicae fouentium opiniones, referunt. Probare namque illud, quod asserunt, iussi, ad VVOLZOGENIVM prouocant, cuius hoc

(y) *im bericht &c. c. I. p. 5.*

hoc extat effatum: (z) *Magistratus est status christianis prohibitus: non habet locum in regno Christi: qui eum gerit, is sciat, se non esse in numero electorum filiorum Dei.* At cum reliqui Sociniani ab eo in hoc capite dissentiant, imo in ipso Catechismo Racouiensi, (a) fatente MASIO, (b) contrarium doceatur, non video, quo pacto vnius viri sententia vniuerso imputari coetui queat. Sed abrumpendum hic tandem est huius tractationis filum, cum infiniti laboris rem susceperturus essem, si omnia omnium placita, quae statui ciuili aduersa creduntur, reuocare sub examen vellem. Id saltem addo, in iis capitibus, quae ad mores spectant, Anabaptistas, Quakeros & id genus alios, plerumque talia docere, quae ad vitia hominum statui ciuili aduersa, eradicanda, cumprimis comparata sunt: adeoque si cetera recte se haberent, non possent non ex illorum disciplina boni prodire ciues.

§. IX. Considerauimus ergo ea, quae a religione christiana ipsa oriri videntur impedimenta, quo minus cum imperio ciuili semper consentiat. Nunc & ea recensenda nobis essent, quae a vita ciuili ipsaque negotiorum ciuilium administri-

(z) *t. II. opp. f. 268.* (a) *cap. I. X.* (b) *l. c. p. 19.*

miniſtratione, originem trahere videntur. Etenim, vt religio chriſtiana, hominum commentis non deprauata, ſed ſua puritate gaudens, nihil omnino continet, quod ciuili imperio repugnet; ita & ciuile imperium, quod in imperandi & parendi ordine conſiſtit, nihil etiam continet, quod non cum religione chriſtiana conſiſtere queat. Sed nihiloſecius, vti chriſtiana religio hominum additamentis foedata, quemadmodum demonſtrauimus, non ſemper ciuili imperio eſt accommodata: ita etiam fieri poteſt, vt de ciuili imperio eiusmodi nonnulli foueant opiniones, quae cum religione chriſtiana non ſatis conueniant. Multi namque in eam ingrediuntur ſententiam, imperantium proprium eſſe, fallere, peierare, fidem frangere, in conſiliis ſuis vtilitatis, non item iuſtitiae habere rationem, voluptatibus ſuis nec finem, nec modum ponere: aulici aut politici nomine neminem dignum eſſe, qui non ea omnia, quae fouendae ambitioni inſeruiunt, ſtrenue agere didicerit: immo ne inferiores quidem magiſtratus vllos ſuo poſſe munere fungi, ſi aequitatis & iuſtitiae nimium obſeruantes fuerint; paucis: aulicam atque ciuilem prudentiam ad aequitatis & iuſtitiae normam non eſſe exigendam, adeoque nec cum chriſtiana

ſtiana ſatis conuenire diſciplina. Multorum animis hicce inſedit error, dignus, qui prolixius a nobis profligaretur, niſi iam vltra academicae diſſertationis modum labor noſter excreuiſſet. Probandum ceteroquin eſſet primo, omnia ea ciuilis imperii adminicula, quae cum diſciplina chriſtiana pugnant, ad reipublicae adminiſtrationem neutiquam eſſe neceſſaria. Deinde, inquirendum, quaenam pro licitis aut indifferentibus habenda ſint, vt ea tuto in reipublicae adminiſtratione adhiberi queant. Porro ſpeciatim demonſtrandum eſſet, & principem, & aulicum, & magiſtratus inferiores partibus ſuis rite fungi poſſe, etiamſi eos exuant mores, qui cum chriſtiana diſciplina non conſentiunt. Immo luculentis rationibus euincendum, (id quod euinci facile poſſet) ad mores principi, aulico, & magiſtratibus inferioribus, in vita ciuili neceſſarios, vti ſunt conſtantia, prudentia, fortitudo, patientia, inſeruiendi promptitudo, fides, non alia rectius ratione, quam per religionem chriſtianam, homines erudiri. Vnde tandem ſua ſponte conſequeretur, neminem poſſe eſſe bonum principem, aulicum, politicum, niſi qui verus ſit & genuinus diſciplinae chriſtianae alumnus. Sed amplis-

ſimum

simum hunc pulcherrimumque campum, hac quidem vice nobis ingredi non licet, quippe qui iam satis diu hocce saxum voluimus, &, ne nimia prolixitate lectori taedium creemus, hic finem commentationi huic imponimus.

S. D. G.



EXERCI-

EXERCITATIO POLITICA

DE

RATIONE STATVS

CIRCA

FEDERA

HABITA HALAE SAXONVM

DIE X. DECEMB. MDCXCVI.

RESPONDENTE

IO. MAVRITIO DE HESLER

EQVITE THVRINGO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0304

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0305

Σύνοψις.

Consultationum omnium duo sunt capita, honestas vtilitasque, §. I. Namque vtilitatis quoque habendam esse rationem, instinctus omnium animantium, ipsiusque hominis ad sui conseruationem, docet, §. II. Id in societatibus quoque integris, atque ciuitatibus, conspicitur, quarum conseruandi artem qui calluerunt, sapientes olim dicti sunt, §. III. Recentiori aetate ratio status hinc enata, quae vox tamen diuersas habet significationes, §. IV. Errant autem magnopere, qui aliquid vtile esse putant, quod non est honestum, §. V. Id federum exemplo comprobari potest, quorum asseritur necessitas, §. VI. Haec enim ita ineunda, vt & honestatis, & vtilitatis in iis habeatur ratio, §. VII. Hinc vt pateat, quid ratio status in federibus exigat, primo ad honestatem, tum ad vtilitatem est respiciendum, §. VIII. Honestas vt in federibus sibi constet, dispiciendum primum, quibuscum federa inire fas

sit? an cum atheis? item cum illis, qui diuersa a nostris sacra sequuntur? §. IX. Cum diuersae religionis hominibus federa inire, non prorsus nefas esse, porro euincitur, §. X. Speciatim de ethnicis & Muhammedanis disquiritur, §. XI. Federa cum infidelibus non prorsus illicita esse, exemplis ex scriptura sacra, & historia populi Iudaici petitis, demonstratur, §. XII. & ad obiectionem, quae in contrarium adferri potest, respondetur, §. XIII. An & quousque in federibus bellicis, quae dicta sunt, locum obtineant? §. XIV. Cautiones hic obseruandae, §. XV. An cum illis, quorum improbi mores sunt, federa inire liceat? §. XVI. Honestatis porro ratio requirit, vt tantum circa res licitas federa ineantur, §. XVII. Federa rite inita sancte sunt seruanda, §. XVIII. etiamsi iureiurando non firmentur, etsi hoc subinde fieri soleat, §. XIX. Aliquando tamen alterutri parti a federe discedere licet, §. XX. Vt vtilitatis quoque in federibus habeatur ratio, dispiciendum, quo animo, quoue consilio alii ad fedus nobiscum pangendum accedant, §. XXI. item, vt certi reddamur, fedus non temere abruptum iri, §. XXII. Constare etiam debet, quem penes in republica quadam federum pangendorum sit potestas, §. XXIII. Monita quaedam Hugonis Grotii hac de re commendantur, §. XXIV. Quid circa legatos, per quos federa ineuntur, obseruan-

seruandum, §. *XXV. In formula foederis cavendum*, *ne vocum ambiguitate decipiamur*, §. *XXVI. In iis*, *quibuscum federa ineunda sunt*, *spectanda est potentia: cum potentioribus non temere ineunda esse federa*, §. *XXVII. Quod si ineunda sint*, *quaenam hic observandae sint cautiones*, §. *XXVIII. Nec tamen*, *cum miseris minusque potentibus inire federa*, *conducit*, §. *XXIX. nisi peculiaris*, *quae id suadeat*, *ratio adsit*, §. *XXX. Sed in federibus quoque cum iis*, *qui potentia nobis pares sunt*, *caute procedendum*, §. *XXXI. An cum sociis*, *longe distantibus*, *inire federa*, *consultum sit?* §. *XXXII. Sitne satius*, *vicino*, *an remoto*, *sed potentiori*, *foedere iungi?* §. *XXXIII. Federa cum multis inita raro diuturna esse*, §. *XXXIV. Grotii aliorumque sententia*, *foedus christianorum principum omnium contra Turcas suadentium*, *discutitur*, §. *XXXV. De federibus*, *necessitate initis*, *quid censendum*, §. *XXXVI. An federa quaecuis*, *metu inita*, *sint irrita?* §. *XXXVII. Federa inter eiusdem formae respublicas firmiora esse*, *quam quae inter diuersae formae respublicas ineuntur*, §. *XXXVIII. Quid speciatim de federibus bellicis obseruandum?* §. *XXXIX. item de federibus*, *quae commerciorum caussa ineuntur: commercia an rebuspublicis sint vtilia? rationes negantium*, §. *XL. XLI. XLII. ad quas respondetur*, §. *XLIII. XLIV*, *XLV.*

De tempore in federibus ineundis obseruando, §. *XLVI. Firmamenta federum non negligenda*, §. *XLVII. Suadere nonnullos, a federibus, praesertim bellicis, semper abstinendum esse*, §. *XXVIII. Quod tamen non semper consultum*, §. *XLIX. Rituum quoque ac ceremoniarum an in federibus habenda sit ratio?* §. *L. Quae adhuc addi possent, indicatur, & dissertationi finis imponitur*, §. *LI.*

§. I.

CUm nihil recte aut prudenter suscipiatur, de quo non consultetur, prius diligenter, quae sit capiendi consilii ratio, quidue de qualibet re inquirendum, haud perfunctorie in morum doctrina definiri solet. PANAETIVS, Stoicae disciplinae magnus quondam antistes, vt M. TVLLIVS CICERO refert, (a) triplicem consilii capiendi deliberationem esse, autumauit. Nam, honestumne, inquit, factum, an turpe sit, itemque, conducatne ad vitae commoditatem iucunditatemque, nec ne, & quid factu opus, si cum vtili pugnare honestum videatur, deliberamus. Ipse autem TVLLIVS, duo in hac diuisione praetermissa esse, animaduertit, & solerter

(a) *lib. I. de offic. cap. I. & lib. XVI. epist. ad Attic. epist. XI.*

ter admodum, vt solet, obseruat, non solum, vtrum honestum an turpe sit, deliberari posse, sed etiam duobus honestis propositis, vtrum honestius? itemque duobus propositis vtilibus, vtrum vtilius? Quae vtut ita se habeant, non tamen errabit, qui ad duo summa capita, honestatem vtilitatemque deliberationes omnes consultationesque, reuocauerit. Hisce enim rite definitis, comparatio, si quae instituenda, facile procedet.

§. II. Atque vtilitatis quoque habendam esse rationem, instinctus ille naturae, quo tum cuncta animalia, tum praecipue homines ad sui conseruationem, & propulsationem eorum omnium, quae sibi nocent, impelluntur & concitantur, euincit. Stoicos ita docuisse, accepimus, esse quaedam prima naturae, quibus animal, simul atque natum est, sibi conciliatur & commendatur ad se conseruandum, atque ad suum statum tuendum, & ad ea, quae conseruantia sunt eius status, diligenda. Praeclare SENECA: *primum sibi ipsi conciliatur animal. Nullum animal ad vitam prodit sine metu mortis: simul enim conciliatur saluti suae quidque, &, quae iuuant, illa petit, laesura formidat.* (b)

(b) *epist. CXXI.*

§. III. Haec licet & in brutis & singulis hominibus deprehendantur, in ciuitatibus tamen integrisque societatibus conspicua maxime sunt, & omnibus sese offerunt. CORNELIVS TACITVS (c) statum vrbis commemorat, eiusque rationem & causam se expositurum profitetur, simulque innuit, & ciuitatibus inesse impetum, quo ad sui conseruationem ferantur. Quam rationem & causam qui exploratam habent, hoc est, vt ARISTOTELIS (d) verbis rem efferam, qui, quis finis ciuitatis sit, intelligunt, & ea, quae ad finem ferunt, inuenire didicerunt, voce ad priscorum genium accommodata, sapientes dicuntur. Rursus CORNELIVM TACITVM testem laudare possum, mihi plane suffragantem, dum, quae casus offert, in sapientiam vertenda, docet, & huius artis peritos *sapientes* & *temporum callidos* appellitat. (e) Splendido hoc & magnifico nomine, non alii indigitantur, quam qui patriae ciuitatique rite consulere, &, quae illi conducunt, excogitare possunt.

§. IV. Qui recentiori aetate de statu, vt vocant, ratione exposuerunt, in diuersas omnino abeunt sententias, quidam

(c) *lib. I. hist. cap. IX.* (d) *lib. VII. Polit. cap. XII. p. m. 265. edit. Isaaci Casauboni.* (e) *lib. I. annal. cap. XXVIII. & lib. II. cap. XXXII.*

dam etiam vix, vbi pedem figant, inueniunt. Videas nonnullos effrenem quorumuis scelerum licentiam hac voce tegere, criminibusque non temere expiandis hinc quandam honestatis conciliare speciem, labore vano non minus, quam pudendo. Namque, vtut incautioribus forte verba imponant, prudentioribus si quis se hoc modo fucum facturum credat, nae! eum strenue impudentem esse, necesse est. Sed facessant isti. Rem omnem rectius edisserunt summi quidam viri, qui arcanos quosdam secretioresque, honestos tamen, rempublicam conseruandi tuendique modos huc aduocant. Vtilitas ciuitatis vtramque hic facit paginam, est tamen & honestati locus, sed via inusitata, paucisque trita, ad metam contenditur. Vnde quidem saepius contingit, vt, qui consiliorum suorum ita temperant rationes, multa perperam, multa inique illis committere videantur, qui in fontes rerum, actionumque introspicere non didicerunt. Prudentes autem rerum existimatores secus sentiunt. Profecto, qui de status ratione ita commentantur, ita, vt par est, censent, tantum abest, vt iure aliis vapulent. Mihi tamen nemo, opinor, vitio vertet, si amplioribus hanc vocem limitibus circumscribam, & omnia, quae ad reipublicae conseruationem pertinent, ea

complectar. Certe in veterum monumentis facile praesidium inuenio. Reipublicae *rationem* & *vtilitatem* dum FLORVS (f) coniungit, plane mecum consentit. Id quod doctissimis quoque viris IOANNI FREINSHEMIO & NICOLAO BLANCKARDO obseruatum. Recentiorum autem auctoritate si vti vellem, perinde hoc esset, ac rem non dubiam argumentis non necessariis comprobare.

§. V. Sunt, qui, dum vtile ab honesto seiungunt, pulchre sibi philosophari videntur, & secus arbitrantes, vt parum sanos, rident. CARNEADES sapere illos negat, quibus iustitia tanti est, vt, quod sibi vtile non sit, committant. (g) Id quod moribus illorum comprobatur, qui, vt suis prospiciant rebus, diuina humanaque violare iura, & quadrata miscere rotundis, nulli dubitant. Qui quidem homines, quantumuis sibi videantur prudentes, mortalium sunt imprudentissimi. Nec enim inique agendo suis quisquam rite consuluit rebus. Quam quisque sibi sumit licentiam, eam & ab aliis vsurpari, non miretur. Praeclare QVINTILIANVS: (h) *Nunquam prodest malum exemplum. Etsi enim in praesenti occasione quadam delectat, in futurum tamen alitus nocet.* Fallitur ergo, qui id sibi pro-

(f) *lib. I. cap. VIII.* (g) *vid. Lactantius lib. V. diuinar. instit. cap. XVI,* (h) *declam. CCLV.*

prodesse putat, quod aliis nocet. Quin potius, quae ad plures sese profert, haec demum vera censenda est vtilitas. Ita MARCVS AVRELIVS ANTONINVS (i) censuit: *Emolumentum est actio omnis naturae consentanea.*

§. VI. In federibus haec quam luculentissime patent. Obseruatum est hominibus peritissimis, nullam esse tam validam ciuitatem, quae non aliquando aliorum extra se ope indigeat, quaeue non adeo federe cum aliis inito se tueri necesse habeat. Neque profecto suffragari possum sapientissimo viro THOMAE MORO, (k) Vtopiensem suam ciuitatem lepidissimo commento ita instituenti, vt federibus nullus relinquatur locus. *Quorsum enim foedus*, inquit, *quasi non hominem homini satis natura conciliet, quam qui contempserit, hunc verba scilicet putes curaturum.* Atque licebat doctissimo viro rempublicam, & hominum quoque mores ex suo fingere ingenio. Fuisse tamen video, qui serio id agerent, (l) vt federa reiicerent, conatu intempestiuo & ridiculo. Languidiores enim profecto sunt isti amoris naturalis igniculi, quam vt iis homines semper ad succurrendum

(i) *lib. VII. §. XLVII.* (k) *in Vtopia lib. II. p. m. 233. edit. Hanov.* (l) *Thomas Sigefridus apud Warem. de Erenb. med. pro fed. p. m. 207.*

dum miseris, aut alieni auxilii indigis, concitari possint. Arctiori ergo vinculo sunt constringendi. Verbis autem, siue pactis, praesertim iureiurando firmatis, vim quandam maiorem inesse, nemo, nisi humanae indolis plane nescius, diffitebitur. Metus nimirum id impetrat, quod natura impetrare nequit, aut forte multis ne quidem postulare videtur. Scio, nec illo semper vinculo constringi homines posse: nec me latet, eosdem, pacta sanctissima etiam violando, variis se obstringere sceleribus: sed inde confici posse, quod pacta non maiori vi homines constringendi valeant, quam ipsa natura, aut proscribenda ea esse, ne nouis criminibus ansa praebeatur, id vero plane abnuo.

§. VII. Omnium ergo, qui ciuitatis curam gerunt, maximopere interest, vt, quae federa expediant, quo pacto sint ineunda, accurate habeant exploratum. Cumprimis, quod inde ad nos redundare possit commodum, dispiciendum. Quod qui fieri debere negant, quid fedus sit, prorsus mihi ignorare videntur. Nec rectius profecto sapiunt, qui ex sola vtilitate, honesti cura omni sepposita, cuncta metiuntur. Et ita tamen plerosque summorum imperantium arbitrari, ex facinoribus illorum abunde intelligimus. LYSANDRO haud absimiles sunt, *homini*, vt PLVTARCHVS

TARCHVS (m) ait, *versuto & pleraque fraudibus miscenti, iusque in sola ponenti vtilitate, qui veritatem mendacio, nihilo meliorem aiebat, sed vtriusque pretium & dignitatem vsu definiebat, & qui pueros talis, viros sacramentis decipi debere iactabat.* Quin nonnulli palam profitentur, stultum esse, in alienorum periculorum venire societatem, adeoque nemini vitio verti posse, si federis legibus stare abnuat, cum illud minime sibi expedire videt.

§. VIII. Quae cum ita sint, quid status ratio exigat, mea opinione illi demum habent pensi, qui primo, sintne federa honesta, deinde, an conducant nobis, sollicite dispiciunt. Vnde sua sponte in duo capita, ordine pertractanda, nostra disilit dissertatio. De eo quidem, quod honestum est, legibusque diuinis conueniens, multos eosque doctissimus viros praecepisse, video. Scio tamen, haud raro & talia eos admisisse, quae omnino emendari debeant & possint. Nobis tamen saltem constitutum est per summa ire capita, & praecipua, quae in disceptationem trahi possunt, delibare.

§. IX. Liceatne cum quibusuis federa pangere, saepius disputatum, nunquam tamen ita definitum fuit, vt non locus dubitationi superesset. De manifestis Numi-

(m) *in Lacon. apopht.*

Numinis omnisque honesti contemptoribus, quaerere, superuacaneum esse duco. Namque a stultitia aut summa imprudentia prope absunt, qui in federum commercia cum id genus hominibus descendunt. Nec tamen illorum adeo improbo sententiam, qui id nefas esse autumant, modo non quaedam poenae hic fingatur infictio. At quo minus cum iis, qui aliis, quam nos, imbuti sunt sacris, federa pangere queamus, non video, quid obstet. Habent federa cum quibusuis pactis hoc commune, vt ad ea ineunda is idoneus sit, qui consentiendi facultate gaudet. Impediri quidem haec consentiendi facultas multiplici ratione potest, & cumprimis etiam auctoritate superioris, si is, qui paciscitur, sub alterius imperio sit constitutus. Sed in summis imperantibus, quorum est federa inire, haec minime habere locum, quiuis facile intelligit. Fateor, possunt illi quandoque tam atroci scelere sese obstringere, vt, quae homo ab homine ceteroquin iure exigit, illis denegare non sit nefas. Nec nego, ingens crimen esse, si quis de Numine secus, quam par est, sentiat, aut istud non ita colat, vt ex rationis, & reuelationis, ad quam ratio ducit, praescripto, coli debet. Sed tamen eiusmodi hoc esse crimen, quod hominem ex humani generis societate

prorsus eiiciat, indignumque reddat, qui vllum officium ab aliis recipiat, id quonam demum argumento probari possit, nondum intelligo.

§. X. Nec finis federum, vt secus sentiam, permittit. Hic enim vtut multiplex esse possit, ad duo tamen summa capita cuncta reuocare licebit, quorum ad pacem alterum, alterum ad bellum pertinebit. Quae enim hoc saltem a nobis exigunt federa, quod iam ceteroquin ex legis naturalis praescripto facere tenemur, barbaris saltem gentibus, iurisque omnis & honesti contemptoribus populis fuere frequentata. Adeoque apud eos, quibus clarior veritatis lux affulsit, quique ad omnem humanitatem traducti sunt, neutiquam in censum veniunt. De Vtopiensibus suis THOMAS MORVS: (n) *Illi censent neminem pro inimico habendum, a quo nihil iniuriae profectum est.* Belli itaque causa iunguntur federe, qui aut commune periculum propulsant, aut alterum, vt resarciat, quae dedit damna, cogunt. Vtrumque eiusmodi est, vt religionis diuersitas neminem ab hoc officio, adeoque nec a federe tali, arcere possit. Oppressis succurrere, iniustis obuiam ire inuasoribus, suppetias ferre sua recuperaturis, officia sunt, quibusuis a sapientissimo rerum opifice

(n) *in Vtopia p. m. 237.*

fice & legum naturalium conditore iniuncta. Quae autem pace florente ineuntur federa, ad commercia potissimum spectant, quae, si inter vnius eiusdemque religionis homines coli saltem deberent, nimis arctis profecto circumscriberentur limitibus. Nec vlla hactenus a quoquam comprobatum est ratione, nefas esse, illorum, qui de religionis capitibus aliter, ac nos, sentiunt, commoda promouere, aut eorum, ad nostra commoda promouenda, opera vti.

§. XI. Qui secus sentiunt, hoc potissimum commouentur argumento, quod ipsa ratio modum quendam colendi Numen praescribat, eum quidem neutiquam hodie ad aeternam felicitatem consequendam sufficientem, verum tamen & a nemine mortalium negligendum. Namque inde consequi putant, quod, cum, qui non ex rationis praescripto Deum colunt, naturae leges palam migrent, indigni sint, quibuscum pangantur federa. Ethnicos hinc & Muhammedanos magnorum arguere criminum, & a federum omnium excludere societate solent. Et illi sane, dum plures vno coluerunt Deos, citra controversiam rationis neglexerunt dictata, quippe quae, & Deum esse, & eum esse vnum, clarissime omnes docet. Eodem loco omnes, qui diserte de summa Numinis detra-

detrahunt maiestate, eumque summa, quae cogitari potest, veneratione prosequendum esse, abnuunt, aut nonnulla rationis de Numinis cultu effata in dubium vocant, habeo. De Muhammedanis autem forte dubitari posset. Accepimus enim, impostorem turpissimum ex Christianorum Iudaeorumque scitis eam consarcinasse doctrinam, qua suos sectatores imbui voluit. Et licet nec a gentilium commentis quandoque sibi temperasse videatur, vnum tamen agnoscit Deum, eumque & scire, omnia & omnia efficere posse, mundum etiam condidisse, diserte fatetur. Quae vero de moribus Muhammedani tradunt, eiusmodi esse, vt quorundam Romanensis ecclesiae theologorum decretis multum praestent, diserte testatur de MONI. (o) Quae si ita se habeant, saltem ex hoc profecto capite, quae cum Turcis ineuntur foedera, damnari nequeunt. Istud vero nunc mea adeo non refert. Neque enim eiectum satis est, nefas esse, foedera pangere cum iis, qui rationis de Numinis cultu leges non obseruant. Certe, quod nonnulli tradunt, eos, qui in religionis naturalis capitibus a veritate dissentiunt, puniendos, adeoque pro inimicis reputandos esse, in eo suae saltem causae mihi

(o) *histoire critique de la creance & des coutumes de nations du Leuant, cap. XV.*

inſeruire videntur. Scio, non ſemel hoc obtentui ſumptum eſſe, vt honeſtiori facie prodiret dominandi cupido. Perperam eos agere, non abnuo, qui rationi, ſaniora docenti, non obtemperant, nec tamen impune iſtud ferent, ipſo Numine hanc prauitatem vltricibus vindicaturo poenis: homini autem inde ius aliquod in alterum enaſci, neutiquam largior.

§. XII. Sapienter vero illud proditum eſt a peritiſſimis doctrinae huius, in qua verſamur, interpretibus, magnorum illuſtriumque virorum exempla, in diuinis commemorata literis, cum & multum bonae frugis ceteroquin ſecum vehant, tum & hoc efficere, vt, ſi calculum approbationemque Numinis tulerint, naturae lege id, quod perpetrarunt, neutiquam nefas eſſe, intelligamus. Res omnis ergo plane conficietur, ſi, ſanctiſſimos viros cum hominibus a vera religione diſſentientibus, non inuito Numine, fedéra percuſſiſſe, fuerit comprobatum. Abrahamum quidem huc non aduocabo, non, quod in fedére inter eum & Abimelechum inito quicquam deſiderem, ſed quod, Abimelechum ſeculi veneno affiatum, falſisque de Numine opinionibus imbutum fuiſſe, minime conſtet. De Labane res certior eſt, cum ipſe idola ſua a Rachele ablata venerit repetitum, & nihiloſecius ferire cum eo fedus, idque iureiurando firmare

non

non dubitauerit Iacobus, vir, si quis alius, diuinae legis obseruantissimus. (p) DAVIDIS quoque & SALOMONIS extant exempla, solentque subinde, vt idem euincatur, proferri, nec inepte profecto, vt mea fert opinio. (q) Namque Tyriorum regem Hiramum gentilium secutum esse superstitionem, tum aliunde constat, tum etiam ex eo intelligitur, quod DIVS, historicus antiquissimus, solique IOSEPHO memoratus, refert, eum *Iouis Olympii templum cum vrbe Tyriensi coniunxisse, illudque aureis donariis ornauisse.* (r) Quid vero ambagibus opus? Namque, dum ipse Deus, ne cum populis Cananaeae terrae incolis, aliisque, in federa coirent, Israele prognatis interdixit, cum aliis gentibus eadem ferire, haudquaquam illis nefas fuisse, inuicto argumentandi genere inde conficitur. (s) Quod vtique & Iudas Maccabaeus, & Hircanus Alexandri filius exploratum habuere. Vterque enim cum Romanis iniit fedus, & hic insuper Iulio Caesari, in Syria & AEgypto bellum gerenti, egregiam operam nauauit. (t) Sunt, fateor, qui eos hoc nomine minime laudandos putant, sed rationes, quibus suam

(p) *Genes. XXXI.* (q) *II. Sam. V. 11. & I. Reg. V. 12.* (r) *lib. VIII. antiquitat. Iudaic. cap. II.* (s) *Deuter. VII. 2.* (t) *vid. Iosephus lib. XII. antiquit. cap. XVII. & lib. XIV. cap. XIV.*

propugnauere sententiam, nondum a me, vt illi subscriberem, impetrare potuerunt.

§. XIII. Hic vero in mentem venit, quod aliis etiam obseruatum traditumque est, Iudaeos omnia cum aliis gentibus commercia, quanto potuerunt studio, olim fugisse, atque se pollui, existimasse, quoties cum iis essent. Non prouocabo ad TACITVM, aut PHILOSTRATVM, celeberrimum istum APOLLONII THYANAEI propugnatorem, licet vterque id asserat exerte. Non enim me fugit, hisce scriptoribus res Iudaeorum adeo parum perspectas fuisse, vt, de illis verba facientes, nil nisi meras fabulas atque commenta nobis narrent. Extant vero ipsorum Iudaeorum hac de re, scita, viro harum literarum peritissimo, IOANNI SELDENO (u) laudata. Nec dubitare nos sinit ipsum diuini viri Petri effatum: *vos scitis, vt nefas sit, homini iudaeo haerere aut congredi alienigenae.* (x) Quae omnia nostram, quam adstruximus, sententiam valde infirmare videntur. Sed re tamen accuratius expensa, tantum abest, vt collabascat, vt firmo omnino consistat talo. Non Dei hoc erat praeceptum, sed doctorum, quorum magna semper apud Iudaeos fuit auctoritas, decretum, nec omni obtinuit tempore. In ipsis Ebraei iuris

(u) *lib. II. de I. N. & G. iuxta disciplinam Ebraeorum cap. V. p. 176.* (x) *Actor. X. 28.*

iuris pandectis, post Hasmonaeorum demum aetatem tale quid a magistris sanctum esse, haud obscure innuitur. Nec tantus erat decreti huius rigor, vt omnibus cum aliis gentibus commerciis iudaeis interdiceret. Vtique aliquando permissum iis erat, aliis se miscere gentibus, & nonnulla humanitatis officia illis praestare. Quo minus autem & federa huc referamus, nihil obstat, saltem a federibus maiorum suorum & sapientum praeceptionibus eos arceri, a nemine hactenus euictum est.

§. XIV. Cum autem federa non sint vniius generis, nonnulli ita in hoc campo versati sunt, vt, quaedam cum hominibus a nostris sacris alienis rite iniri, nonnulla autem non sine crimine cum iis percuti, contenderent. (y) Iuuabit ergo per singula ire, vt veritas eo magis eluceſcat. De iis, quae commerciorum causa ineuntur, neminem temere dissentire, arbitror. Quae autem belli causa feriuntur, aut ad imminens periculum propulsandum, aut arma aliis inferenda spectant. Quo minus ad periculum, quod nobis imminet, propulsandum opera principis infidelis vti queamus, non video, quid obstet. Vt enim error hinc nullum incrementum aut stabili-

(y) *vid. Zieglerus de iurib. maiest. lib. I. cap. XXXVIII. §. VIII. IX.*

mentum accipit: ita verae quoque religioni nullo modo nocetur. Quod si vero eius, qui nobiscum fedus pepigit, causa agatur, isque ex federis lege contra vim sibi illatam auxilium poscat, itidem nullo iure hoc illi denegari poterit. Nihil iniquius esse arbitror, quam ea officia erga alios praestare nolle, quae tamen ab iis exigimus. Praeterea nec sic quidem, quod inde damnum sentiat religio, video. Certe naturae lege sancitum est, vt quibusuis iniuste oppressis succurramus. Quidni ergo liceret se federe ad hoc obstringere, ad quod etiam naturae rationisque decreta obligant. Nec aliter sentio, si vis principi eadem nobiscum sacra colenti sit inferenda: de infideli enim res iterum fere dubio caret. Certe, vt nefas est, vires subministrare principi iniusta arma circumferenti, quantumuis iisdem nobiscum imbutus sit sacris: ita contra nullus dubito, quin principi a nostris sacris disfidenti, at iustum bellum alteri inferenti, succurrere liceat: multo magis eorum opera in bello iusto, quod nobis gerendum est, vti possumus. Quemadmodum enim religio nemini dat facultatem alterum impune laedendi: ita, quaecunque demum sit, profecto impedire nequit, quo minus lex illa naturae, quae, vt iniuste laesis faueamus, iusque, vt iniuriae illatae reparationem, con-

consequantur, succurramus, praecipit, suam vim semper exerat. Nec est, vt metuamus, quod a nonnullis obiici video, ne profanae opes magnum sumant incrementum. Namque hinc non statim ipsa periclitatur religio. Praeterea, si intra iustitiae limites subsistamus, raro admodum magnum virium incrementum nobis metuendum est. Bella iuste & religiose gesta, vix opes adferunt, aut potentiam augent. Rem omnem ita conficio: infidelis ille princeps aut iure istas opes, istam potentiam sibi parare potest, aut scelere vtitur. Hoc si faciat, fedus cum illo inire, aut initum seruare, maximum piaculum erit. Sin illud, quid factu opus? num religio crimine tuenda & iusta quis rerum suarum possessione priuandus est, huic vt consulatur? Nemo, puto, id asseret. Non priuandus, inquis, est, tamen nec adiuuandus. Mea vero opinione, qui eum non adiuuat, vbi possit, certa quoque ratione priuat.

§. XV. Manifesta quidem & extra omnem dubitationem haec posita, neutiquam vero vltra limites, quos ratio hic statuere iubet, proferenda sunt. Nimirum plane nefas esse arbitror, eiusmodi federa pangere, si religio magno periculo exponatur. Vtique ita est, vera coelitusque mortalibus impertita religio, vt humanis

nis viribus non propagatur, ita & praepotenti sapientissimoque Numini nunquam ratio eam conseruandi deest. Nihilosecius cum prouida Numinis cura, quandoque via sueta incedat, interdum, vero ita se gerat, vt ordinem, quem sibi praescripsit, migret, vereor profecto, ne in Deum ipsum sit iniurius, si quis ea exigere velit, quae vt facile efficere potest, ita, se illa semper eo modo effecturum, nullibi aut asseruit, aut pollicitus est. Praeterea parum religionem curare videtur, qui eam eousque negligit, vt, quo demum de Numine sensu homines imbuantur, insuper habeat. Nec aliter opinari illos, res docet, qui federa perniciem veritati allatura ineunt: quae contra tanto quis diligentius fugit, quanto maius pietati pretium statuit. Quae si quis diligentius secum expendat, facile diiudicabit, quae BARTHOLOMAEVS GRAMONDVS hac de re disserit. (z)

§. XVI. Quid de illis statuendum sit, vt nunc ad alia digrediamur, qui de Numine quidem recte sentiunt, aliis tamen vitiis laborant, aliquando disceptatum fuisse, memini. Cabilonem hominem Lacedaemonium, accepimus, cum pangendi federis causa ad Persarum regem missus esset, aulicosque alea ludentes

(z) *lib. III. hist. p. m. 208.*

tes vidisset, statim discessisse, rogatumque respondisse: *se ignominiosum existimasse id reipublicae fore, si foedus cum aleatoribus percussisset.* Quod quidem facinus Laconicam austeritatem spirat, non tamen temere omnibus imitandum puto. Si quis enim cum iis demum ferire federa vellet, qui omnium vitiorum sint immunes, vereor, vt vllum temere inuenturus sit principem, quocum rite iungi possit. Nèc tamen crimina aliorum probamus, dum eorum opera vtimur; aut in pactiones, federumque cum iis descendimus commercia. Secus tamen de illis arbitror, qui iis sunt moribus, vt, eos datam, si libuerit, semper migraturos fidem, certo argumento inde colligere queamus. Imprudentiae tamen potius, quam criminis, si quis cum iis fedus percusserit, reus erit. Refert VVAREMVNDVS DE ERENBERG, dubitasse nonnullos, an cum Romanis pontificibus sint ineunda federa. (a) Quod si de eo, quod ius fasque est, capiatur, plane inepte disputari censeo. Fuerunt profecto inter istos praesules Alexandri, hoc est, homines adeo omnis honesti, omniumque legum contemptores, vt nihil tam turpe sit, quod sibi non licere putaueriut. Fuerunt tamen & alii, quos, si cum principibus, quibuscum federa inire nemo forte religioni

(a) *in meditam. pro federibus p. m. 215.*

sibi duxerit, contendas, illis virtute & probitate praestitisse, censeri possent. Mea autem sic fert opinio, se suamque rempublicam magno exponere periculo, qui hosce antistites in foederis societatem admittit. Sedet illis opinio, saltem hoc praese ferunt, foedera quaeuis, etiam iureiurando firmata, se irrita reddere posse. Hinc INNOCENTII X. in pacem Germanicam fulmen: *neminem ad obseruantiam articulorum horum, quamuis eos iuramento vallauerit, teneri.* (b) Ergo, quoties id rebus suis expedire putabunt, toties pro ea, qua se pollere, lepide comminiscuntur, auctoritate, & se & alios iurisiurandi foederisque vinculo liberabunt, sociis omnium ludibrio expositis.

§. XVII. Alterum, quod, vt foedera honesta sint, requiritur, quodue cum quibusuis pactionibus illis est commune, hoc est, vt nonnisi de iis, quae in nostra posita sunt potestate, ineantur. Nihil aeque ineptum est & cum ratione pugnat, ac ea promittere, quae non in nostris posita sunt viribus. Nihil vero summis imperantibus frequentius solenniusque, quam iis foedera inire legibus, quibus nullo modo stare possunt. Sed turpius adhuc est, si crimen scelusque principes societ. Ita se

(b) *in declarat. nullitatis articulorum nuperae pacis Germaniae.*

se res habet in omnibus pactis, a quibus non eousque recedunt federa, vt non in hoc saltem capite conueniant. PAPINIANI celebratur effatum, multisque in ore est, quo pronuntiat, ne quidem credendum esse, nos ea facere posse, quae contra bonos mores fiunt, aut pietatem, existimationem, verecundiamque nostram laedunt. Nimirum, lege vt vinculo constringimur, ita vt hoc ipso omnis potestas nobis adimatur, quicquam committendi, quod cum lege pugnat. Bene ergo Romanis legibus sancitum est: *inhonestarum rerum nullam esse societatem.* Ceterum principes rerumque domini, cum non aliis, quam diuinis, legibus pareant, liquido constat, quicquid hisce vetitum est, inter federis conditiones referri non posse. Sin relatum forte fuerit, minus turpe fuerit, a federe resilire, quam impie promissa maiori impietate explere. Habebit & hic locum illud AGESILAI: *bene, si iustum est: sin minus, dixi tantum, non & promisi.*

§. XVIII. Quae autem rite inita, sunt federa, ea summa quoque sanctitate & religione sunt seruanda. Id genus hominum hominibus vniuersis aduersum esse, atque omni populo male facere, male seruando fidem, alicubi PLAVTVS pronuntiat. Vtique ea est humani generis conditio, vt sine pactis federibusque tranquille & com-

& commode nemo vitam transigere possit. Si ergo ad fidem datam sancte seruandam nemo obstringeretur, toties & fortunae, nostrae & vita in magnum coniicerentur periculum, quoties alteri libitum esset revocare promissa. Prudenter POLYBIVS, nullam societatem, ne latronum quidem, saluam esse posse, nisi fides seruetur, autumat. (c) *Nam & qui priuatim*, inquit, *ad scelerum & latrociniorum societatem coierunt, hoc potissimum modo perire solent, cum fidem inter se non seruant, & vt summatim dicam, pacta mutua violant.* Nihil ergo & magnae isti, quae omnes homines arctissima colligatione sibi inuicem deuincit, societati magis aduersari potest. Nec audiendi profecto sunt, qui aut imprudentiae eos arguunt, qui aliorum dictis adhibent fidem, aut, multorum fortunas magnis exponi periculis, putant, aut denique ideo facessere procul omnem obstringendi vim in pactis foederibusque iubent, vt generosus cuiusque magis eluceſcat animus, virtusque non coacta illustrior reddatur. Enimuero, si omnes homines iis essent moribus, vt inde colligere possemus, datam eos minime seruaturos fidem, forte ab imprudentiae crimine, qui illis crederent, non adeo possent liberari. Nunc autem plane cum

POLY-

(c) *lib. IX. histor. cap. XXIX. p. m. 269.*

POLYBIO facio, ita arbitrante: *credere prorsus nemini, amittere est facultatem rerum gerendarum.* (d) Plane vero ineptum est, fortunarum, quam nonnulli faciunt, iacturam, quamque suae quisque imputare leuitati debebat, sanctissimae naturae legi tribuere. Denique, vt generosam quis prodat indolem, semper praesto est occasio, nec pactorum ideo, aut federum, in dubium vocanda est sanctitas.

§. XIX. Atque hac sanctitate federa gaudent, etiamsi iureiurando non firmentur. FRIDERICI BARBAROSSAE imperatoris vocem GVNTHERVS refert, qua, *verbo regis ius & reuerentiam, quouis iuramine maiorem, ineſſe*, pronuntiauit. (e) Certe fidem fallere adeo turpe est, vt nemo maiorem in se deriuare ignominiam possit, quam si perfidiae crimine se polluat. Principum vero tanto conspectiora, adeoque & turpiora, sunt crimina, quanto ipsi aliis dignitate praestant. Experientia tamen vsusque nos docuit, lubricam adeo plerorumque principum esse fidem, vt, nisi arctiori vinculo ad eam seruandam fuerint adstricti, nemo illis fidere possit. Hinc ergo plerisque gentibus in more positum fuisse videmus, iure iurando federa firmare. Recte enim censuerunt Romani, dum CICERONE teste

(d) *lib. VIII. hist. cap. II. p. m. 463.* (e) *Ligur. cap. III.*

teſte, *nullum vinculum ad adſtringendam fidem, iureiurando arctius eſſe voluerunt.* Addit: *id indicant leges in XII. tabulis, indicant ſacratae, indicant federa, quibus etiam cum hoſte deuincitur fides.* (f) Quibus docet, iusiurandum non tantum priuatae ſortis hominibus, ſed principibus quoque rerumque dominis, ad finiendas lites, & promiſſa confirmanda, vſurpata fuiſſe. (g)

§. XX. Haec dum aſſero, non tamen illud affirmo, nunquam oriri poſſe eiusmodi rerum faciem, vt diſcedere alterutri parti a federe liceat. Namque, ſi vnus federis migrauerit leges, omnium conſenſione alter quoque iis ſolutus erit. Nihil iniquius cogitari poſſet, quam ſi homines innocentes pactionibus ſtare tenerentur, quas improbi ſeruare detrectant. Mutuus inſuper conſenſus, mutua fides fedus conſtituunt: ergo alterutro diſſentiente, fidemque frangente, ipſum quoque in fumum abit fedus. Vnde & non immerito federis rupti illi argui ſolent, qui primi leges eius conditionesque violarunt. Addunt nonnulli, & tum federis lege aliquem ſolui, cum reipublicae, cui iunctus eſt, ſtatus mutatur. Quemadmodum vice verſa, ipſa respublica, quae mutationem ſubit, federis vinculo liberetur. Quod qui-

(f) *lib. III. de offic. cap. XXX.* (g) *add. Ioannes Bodinus de republica lib. V. cap. VI.*

quidem non temere admiserim. Quam enim istud a veritate abhorreat, illi, puto, intellexere, qui, vt cautius procederent, *realia* federa a *personalibus*, vt vocant, secernenda esse, duxerunt. HVGO GROTIVS diligenter istud inculcat, (h) &, qui eius vestigia premit, IOANNES TESMARVS, paucis ea capita, quae discrimen horum federum luculenter, vt putat, indicant, complexus est. (i) Si enim perpetuum aeternumque, quod initur, fedus esse iubeatur, & ad totius ciuitatis vtilitatem spectet, si successorum quoque atque heredum in eo iniiciatur mentio, tum haud dubio argumentandi genere inde confici putat, fedus istud esse *reale*. Quae vtique ita comparata sunt, vt a nemine facile in dubium vocari possint, simul tamen plane superuacanea ea esse arbitror. Qui fedus init princeps, semper reipublicae vices, dum istud pangit, sustinet. Si non sustineat, contractus, aut quiduis potius, quam fedus, erit. Ergo omne fedus totam rempublicam obstringit, & quamcunque etiam sortem subeat ciuitas, federe tenebitur, simulque & ille, qui cum ea fedus iniit, obligabitur. Quod autem federa, quae certo ciuitatis statui innituntur, eodem mutato exspirant, id neutiquam

(h) *de I. B. & P. lib. II. cap. XVI. §. 17.* (i) *in comment. ad Grotii loc. cit.*

quam arguit, mutato ciuitatis ſtatu fedeра diſſolui, ſed inde arceſſendum, quod ciuitatis forma praecipuam federi praebuerit legem, quae adeo ſi mutetur, fedus quoque ipſum exſpirare, neceſſe eſt. Piget autem, ceteros modos, quibus federa diſſoluuntur, ediſſerere, cum ciuilis doctrinae nemo temere adeo rudis ſit, qui iſtos ignoret.

§. XXI. De eo, quod ius fasque in federibus eſt, haec delibaſſe ſufficiat. Nunc id, quod caput cauſae eſt, exequamur. Quam enim ſummi imperantes ingredi viam debeant, ne, quod multis contigit, federa percuſſiſſe eos poeniteat, rite eſt exponendum. Puppis vero atque prora prudentiae eo abſoluitur, vt, quo animo, quoue conſilio, ad fedus nobiſcum pangendum quis accedat, habeamus exploratum. Qui ſuis vnice ita inſeruiunt commodis, vt, quae aliorum ſint fata, parum curent, non poſſunt non, ſi federe nobis iungantur, multa magnaque nobis attrahere pericula. Quod ſi vero edocti inſuper ſimus, eorum magnopere intereſſe, vt nullo plane ſimus loco, longe maiori circumſpectione opus eſt. Tanta plerorumque hominum eſt dominandi libido, quae nulla lege refrenari aut coerceri poſſit. Hinc nihil ſolennius, quam alios, federum religione deceptos, opprimere,

Anto-

Antonium Tarentino Brundisinoque federe tefellit Augustus. Nec Lepidum atque Pompeium alia magis res, quam federibus velata improbitas, praecipites dedit. (k) Demetrium nouimus Ionathae obtulisse fedus, non, quod bene illi cuperet, aut vnquam in animum induxisset, datam seruare fidem, sed quod Alexandrum metuens animaduerterit, rebus suis expedire, si Iudaeos tantisper sibi fauentes haberet. Plane ergo ex status sui ratione, Ionathas improbi hominis reiecit fedus, partesque Alexandri amplexus est. (l) Romani quidem suam fidem & in federibus seruandis constantiam vbique praedicabant. *Populi Romani,* inquit IVLIVS CAESAR, *haec est consuetudo, vt socios & amicos non modo sui nihil perdere, sed gratia, dignitate, honore auctos esse velit.* (m) Iidem neutiquam sibi ducebant religioni, federa primum offerre potentioribus, horum opera debellare infirmos, & tum demum illos, externo praesidio nudatos, aggredi & in suam redigere potestatem. (n) Illustre quoque exemplum Meherdates praebet, a Rhadamisto eiectus. (o) Quae enim a Claudio

(k) *vid. Tacitus, lib. I. annal. cap. IV.* (l) *I. Maccab. X.* (m) *lib. I. de bello Gallico, cap. XLIII.* (n) *vid. Zeuecotius, in Sueton. Iul. Caesarem p. m. 70.* (o) *vid. Tacitus, annal. lib. XII, cap. V. & VI.*

imperatore mittebantur auxilia ex federis lege, non eo spectabant, quod tamen prae se ferebat imperator, vt regno restitueretur Meherdates, sed vt bellum protraheretur, nouisque in oriente motibus fomes subministraretur. Ad domesticam enim securitatem apprime hoc facere Romani intelligebant, si barbarae gentes mutuis bellis seipsos contererent & lacerarent.

§. XXII. Cumprimis autem summorum imperantium refert, vt certi reddantur, fedus, quod ineunt, non temere abruptum aut dissolutum iri. Quod vt obtineant, non tantum, vt hactenus comprobatum est, quo animo consilioue ad fedus alter accedat, explorandum, sed opera quoque nauanda sedulo, ne in ipsa federis ratione aliquid, quod obtentui sumere possit perfidia, aut etiam reipsa fedus irritum reddat, inueniatur. Hinc, gaudeatne iste, quocum paciscimur, federum pangendorum facultate, sollicite est inquirendum. Atque esse hanc potestatem tantum penes summos imperantes, nemo dubitauerit. *Reges ciuitatesque inter se federibus amicitiam pacisci*, MENIPPVS pronuntiat apud LIVIVM. (p) Sed vero, cum non raro, quinam summi imperii dignitate fulgeant, dubitetur, non potest non, quis federum feriendorem gaudeat potestate,

(p) *lib. XXXIV. cap. LVI.*

ſtate, obſcurum eſſe. Regum nomine titulo-que multi vſi ſunt, quibus tamen non alia, quam ſuadendi, fuit auctoritas. Tyranni iniuſtique rerumpublicarum invaſores ſummorum imperantium iura non minus ſibi vindicant, quam honeſtatis omnis iurisque cultores principes. Qui de regia ſede deiecti, ſummumque exuere imperium iuſſi ſunt, ſaepius animum prius vitamque dimittere parati ſunt, quam vt iure ſummo ac poteſtate ciuitatem adminiſtrandi ſe deſtitui profiteantur. Nec profecto iudicatu ſemper facile eſt, gaudeantne adhuc ſummo imperio, an iſtud amiſerint? Id quod tamen latere prudenter federa initurum minime debet, ne ſpe praeter opinionem fruſtratus, omniumque expoſitus ludibrio, & famae & rerum iacturam faciat.

§. XXIII. Saepius etiam contingit, vt ex ipſo reipublicae ſtatu dubium obſcurumque ſit, quem penes federum pangendorum ſit poteſtas. Is enim, ſi a norma, ad quam omnes ciuitates compoſitas eſſe decebat, abeat, nihil frequentius, quam vt plures eandem ſibi vindicent auctoritatem. Id quod in ſingulis ſummi imperii partibus ita euenire poteſt. Potuiſſet ipſa Germania exemplum huius rei minime contemnendum praebere, niſi ſanctionibus multum ſaluberrimis cautum eſſet,

ne vlla hinc oriri possit contentio. Etenim, qui a CAROLO V. ad FERDINANDVM III. vsque augustissimum christiani orbis fastigium tenuerunt, sine Electorum consensu nunquam se federa imperium obligatura percussuros, polliciti prius sunt, quam imperatorio diademate redimerentur. Latius inde sparsa est haec potestas, & cum ceteris principibus ordinibusque communicata, vt ipsis insciis pangi fedus nullum possit, quod quidem ad totam Germaniae ciuitatem pertineat, nisi imminens periculum aliud iubeat.

§. XXIV. Quanto ergo facilius ad hosce scopulos naufragium fieri potest, tanto maiori euitandi sunt industria. Quae HVGO GROTIVS hunc in finem tradit, plane egregia sunt, & omne punctum ferunt. (q) Namque primo monet, ne decipiamur ambiguo nominis sono, aut rerum externarum specie. Vtique non poterat vir cetera non rudis magis se traducere, quam cum ex eo, quod imperatores Romani olim principes dicti sunt, conficere voluit, penes eos solos rerum summam non fuisse. Sic & fallitur, qui, cum comitia celebrari videt, reges non gaudere summo imperio, statim inde colligit: aut qui per successionem, vel electionem ad potestatem imperantium aliquid accedere, aut de ea detra-

(q) *de I. B. & P. lib. I. cap. III. §. X.*

detrahi, putat. Modum quoque habendi a re ipsa probe discernendum esse, idem GROTIVS prudenter praecipit. Fallitur, qui regi summum imperium eius regni, quod tamen iure, vt loqui amant, proprietatis non possidet, abiudicat. Promissa denique eodem GROTIO iudice, & si quae alia sunt summae potestatis vincula, ad libidinem summorum imperantium coercendam excogitata, vtut potestatem eorum arctioribus includant limitibus, non tamen semper eam infringunt aut imminuunt ita, vt pro summa amplius reputari nequeat.

§. XXV. Ceterum solent federa vtplurimum iniri per legatos. Hi vero, cum ex praescripto eorum, a quibus missi sunt, cuncta agant, idque omne, quod cum eo non conuenit, irritum esse censeatur, is demum status sui obseruabit rationem, qui, quid polliceri demum legati, & quousque paciſci nobiscum rite possint, cognitum, perspectumque habuerit. Nubes enim, & inania prensant, qui iis forte legatorum promissis fidem adhibent, quae polliceri neutiquam penes eos stetit. Quod si vero plane federis pangendi potestate fuerit destitutus, perperam quidem agit, qui eam prae se fert, imprudentiae tamen notam, effugere nequit, qui fidem prius adhibet, quam, qua alter ad paciscendum auctoritate accedat, inquirat. Ergo & non est,

quod aegre ferat, si Spurii Posthumii vocem audire cogatur : (r) *neque ego inficias eo, tam sponsiones, quam federa sancta esse, apud eos homines, apud quos iuxta diuinas religiones fides humana colitur, sed iniussu populi nego quicquam sanciri posse, quod populum teneat.* Non itaque abs re fuerit, litteras, quibus ad fidem aliis faciendam muniri legati solent, summa excutere solertia. Qui arcana dominationum euoluunt, inter alia & hoc haud infrequens esse docent, vt legatis, non instructis iis mandatis, quibus eos instructos esse oportebat, causa protrahatur, dolorumque interim & fraudum paretur scena. Quae quidem artes, vt multis perniciem attraxere, ita non raro ipsis auctoribus fuere funestae. AIMOINVS memorat, Hadrianum pontificem Tassilonis Bauariae Ducis legatos a sacris arcere dirisque deuouere voluisse, quod ad negotia tractanda publica auctoritate non muniti accessissent. (s) A summa quippe contumelia parum abesse arbitrabatur, si hac ratione sibi illuderetur. Nec enim decet, sanctissima amicitiae vincula in fraudum turpissima instrumenta vertere. Non minus vero, quem demum auctorem litterae eiusmodi prae se ferant, expendendum. Nec enim, regis qui titulo saltem

(r) *apud Liuium lib. IX. cap. V.* (s) *lib. IV. cap. V.*

tem gaudet, nomen iis vllam conciliabit auctoritatem, nisi aliunde constet, senatus, vel eorum, qui summam rerum tenent, suffragia accessisse. Nostrae ita rite consulitur securitati: sociis omnis elabendi, perfidiamque honestatis specie tegendi, occasio eripitur. Francos, annales memorant, cum Eduardo IV. Angliae rege ita percussisse fedus, vt Angliae proceres suo illud consensu firmarint. Hinc & frustra Eduardus, regno exutus, ex federis lege auxilia popolcit, Gallis id obtentui sumentibus, non cum rege, sed regno Angliae se fedus percussisse. Iurene istud factum, intelliget, qui ea, quae supra tradita sunt, secum voluerit: ratio, qua sibi prospexerunt Galli, non displicet. Ingeniosa vero est decipiendi alios libido, sibique admodum fauet. Nec alium, vt mea fert opinio, in finem federis peregrina lingua conscripti legibus nonnulli stare recusarunt, quam vt nunquam cauillandi, & quasuis pactiones eludendi deesset argumentum. Quae dum perpendo, parum abest, quin illorum subscribam sententiae, qui, nunquam tantam ad federa prudentiam adferri posse, contendunt, quae non callidis profanorum hominum artibus succumbat.

§. XXVI. Et patet vbique fraudibus feneſtra. Nonnunquam enim sub ambiguo

biguo verborum significatu perfidia latet. Quo ipso parum quidem proficiunt, nec Numini magis, quam viris honestis, se probant. Illud enim corda, non verba, explorat: his nunquam artes eiusmodi plane execrabiles placent. Cautioribus tamen non negligenda sunt verba, cum omnino e re nostra sit, vt omni cauillandi occasione destituantur, qui federe nobiscum sunt iungendi. Nulla vero non aetas impuros tulit homines, quibus in omni pactionum genere fraudes eiusmodi placuere. Ecquis ignorat istum Lacedaemoniorum regem, friuola cauillatione *diei* vocem ita detorquentem, vt, noctem se ea simul designasse, abnueret? aut Periclem *ferri* vocabulum, quo gladius innui solet, summa perfidia ad fibulas extendentem? Rhadamistum CORNELIVS TACITVS memorat, quasi memorem promissi iureiurando firmati, non ferrum, non venenum in sororem & patruum exprompsisse, sed proiectos in humum & veste multa grauique opertos necasse. (t) Plataeenses, THVCYDIDES autumat, a Thebanis petiisse, ne suos, qui ruri essent, laederent, se quoque captiuos reddituros, Thebanis autem, accepta promissi lege annuentibus, hoc se promisisse, illos negasse, quod, pace nondum facta, redditurí captiuos essent, indeque

(t) *lib. XII. annal. cap. XIII.*

deque eos ad vnum omnes interfeciſſe. (u) Seuerisſimae diſciplinae homines Lacedaemonii ab hac perfidia adeo ſibi temperare non potuerunt, vt ſimili plane vſi fuerint fallendi genere, ne Plataeam vrbem reſtituere Athenienſibus cogerentur. Verba enim federis ita concipi curabant, vt vrbes *bello captae* vtrinque redderentur, ſic enim Plataeam non reddendam exiſtimabant, quippe quae ſponte ſua ad eos conceſſiſſet. Nec multum hinc abeunt, qui cum vicino principe fedus mutui imperii *conſeruandi* cauſa percuſſerunt, eo autem eiecto, & ex federis lege auxilia poſcente, ad conſeruandum, non recuperandum imperium, ſe teneri reſponderunt, lepido iſto commento ſe omnes officii ſui rite expleuiſſe partes, rati. Ego vero, in hoſce omnes ſapientisſimum TVLLII effatum (x) apprime quadrare, arbitror: *totius iniuſtitiae nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, tum maxime fallunt, id tamen agunt, vt viri boni eſſe videantur.*

§. XXVII. Redeo ad ipſos principes rerumque dominos. Nec enim tantum, quo ingenio, quibusue ſint moribus, perpendendum, ſed cumprimis etiam, qua ſint potentia, conſiderandum. Tralatitium

(u) *de bello Peloponeſ. lib. II. p. m. 85. edit. Francofurt. quae a. 1589. prodiit.* (x) *lib. I. de officiis cap. XIII.*

titium & fere quotidianum politicorum monitum est, haud quaquam cum potentioribus esse ineunda federa. Lepidissimo etiam commento hoc docet Venusinus vates. (y) Equum enim, cum cervo certantem, hominis imploraſſe opes, ait, frenumque recepiſſe, eo quidem euentu, vt nec *equitem dorso*, *nec frenum depulerit ore*. Suffragantur gentium annales & historiarum documenta. Siculis in mutua bella exardescentibus, cum pars altera Athenienses ad fedus secum ineundum inuitaret, recte Hermocrates, hanc viam ad perniciem ducere, iudicauit. Fore enim dixit, vt THVCYDIDES refert, vt, altera parte deuicta, victoribus defatigatis iugum imponerent Athenienses, & ita ad vnam omnes redigerent sortem. (z) *Res quidem*, inquit, *nomine societatis legitimae, sed natura hostilis, quippe cum ad emolumentum suum intenti sint.* Accedit, quod semper, qui cum potentioribus federa pangunt, deterioris conditionis esse censeantur. *Potentior amicus*, iudice SENECA, *nos non in amicitia, sed in apparatu habet.* (a) Praecipue autem, si fedus perpetuum sit, & minus potentes ex lege eius ea aut facere aut pati teneantur, quae potentioribus ansam eos opprimendi facile supeditant, nihil solennius est, quam vt

(y) *lib. I. ep. X.* (z) *lib. IV. p. m. 238. & 239.*
(a) *de vitae breuitate cap. VII.*

vt ex sociis fiant serui. Latini apud LIVIVM conqueruntur, sub vmbra federis Romani se pati seruitutem. (b) Nimirum hae sunt imperantium artes, haec arcana, seruituti specioſa praetexere nomina. *Specioſa verbis*, inquit TACITVS, *re inania & ſubdola, quantoque maiore libertatis imagine tegebantur, tanto eruptura ad infenſius ſeruitium.* (c) Quare ISOCRATIS vocem audiant, prudenter federa inituri: *cupidis libertatis federa cum mandato fugienda: parum enim differant a ſervitute.* (d)

§. XXVIII. At saepius tamen contingit, vt minus potentes non posſint, non potentiorum implorare auxilia, federeque inaequali cum illis percuſſo imminens auertere periculum. Vbi quidem ſummo ſtudio in id illis annitendum eſt, ne tale quid in ſe recipiant, quocum ſummum conſiſtere nequeat imperium. Non enim omne fedus, inaequali lege initum, ſeruitutem per ſe ſecum vehit, ſummumque tollit imperium. Etenim ſi onere, quod ſecum coniunctum habet, ſimul & ſemel defungi liceat, ſi militibus, vt exemplo hoc confirmem, ſoluenda ſint ſtipendia, ſi ſumptus belli reſtituendi, ſi moenia aut propugnacula diruenda, tale quid praeſtandum eſt, quod haud dubium argumen-

(b) *lib. VIII. cap. IV.* (c) *lib. I. annal. cap. vltimo.* (d) *in Archid. p. 82.*

gumentum praebet, inferiori eum in federe esse loco, at summo eum destitui imperio, nemo prudens inde collegerit. Quae autem ita ineuntur, vt perpetuum sit, quod alteri est subeundum, onus, ea rursus non vnius eiusdemque sunt generis. Quaedam enim diserte, quo minus partes, vt vocantur, summi imperii exercere queamus, impediunt, & cum summa potestate consistere nequeunt. Tale Carthaginiensium Romanorumque in fine belli Punici secundi fuit, in quo cautum fuit, ne illis fas esset, iniussu populi Romani bellum facere. Armenia a Romanis reges accipiens, alterum exemplum praebet. Quod si autem, qui inaequali federe tenetur, ex arbitrio suo summi imperii dispensare partes potest, licet quandoque ob federis rationem actus ipse impediatur, ille summae suae potestatis nullam iacturam facit. Huc illa pertinent, si non liceat certis locis arces extruere, aut naues vltra definitum numerum habere, & quae id genus alia sunt. Eodem plane loco, qui maiestatem alterius comiter colere tenentur, habeo. Sed periculo tamen haec federa non carent, viamque ad seruitutem muniunt. Ergo status sui rationi consilia sua is demum prudenter attemperat, qui inaequalia federa summo, quo potest, studio fugit. Si euitare nequeat, talia ineat, qui

quae onus, quo semel defungi liceat, secum trahunt. Quod si nec istud fortuna permittat, id saltem curet, ne leges, quae summum imperium plane euertant, adiiciantur.

§. XXIX. Non tamen ita in oppositam nobis est currendum partem, vt existimemus, federa cum miseris, omnique potentia destitutis, nobis expedire. Intellexit id ARISTOTELES, dum diserte praecipit, ne cum illis, qui potentes non sunt, federa pangamus. (e) Enimuero cum iis federa inire qui plane nullis aut exiguis viribus instructi sunt, non modo periculosum esset, sed insulsum, nisi forte honestatis ratio lexque naturae illis subvenire iuberet, idque commode a nobis fieri posset. Certe, qui sui commodi causa cum iis, qui viribus destituti sunt, fedus pangit, nihil aliud agit, quam vt quaerat, cum quo cadat. Quam vero conducat, amicos sociosque potentia florentes habere, Corcyrenses docent in oratione ad Athenienses ad THVCYCIDEM: *quum classem, secundum vestram possideamus maximam, considerate, quaenam rarior occasio vestrae prosperitatis, quaeue hostibus tristior esse possit, quam haec, eam potentiam, quam vos magnae pecuniae ac gratiae loco aestimassetis, vltro vobis adesse, atque*

(e) *in additam. ad lib. II. rhetor. ad Alexandrum p. m. 373.*

que offerri citra pericula, citraque sumptus. (f) Potentia vero tum ex opibus & nummis, tum ex viribus, militumque virtute est aestimanda. Qui, pecuniam rerum gerendarum nervum esse, autumant, haut adeo inepte mihi sentire videntur, saltem rectius Florentino Politico sapiunt, existimante, sine pecunia bella confici posse. Si enim vel maxime non vtamur mercenario milite, domesticus tamen alendus itidem est, quod sine immensis sumptibus, praesertim si in exteris regionibus castra sint collocanda, fieri nequit. Quare non male rebus suis consulit, qui opibus florentes fedære sibi iungit, ne sumptus ad res gerendas necessarii deficiant. Neque tamen ex nummis solum aliorum potentiam metiri decet. Virtus haud raro paupertate magistra efflorescit, & ad pericula propulsanda non tam diuitem, quam fortem, iuuabit habere socium. ARISTOTELIS quidem scitum est: *omnia venalia nummis*, (g) cui & CICERO suffragatur: *nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit*: (h) interdum tamen rebus nostris magis expediet, copias exiguas quidem, sed fortitudine praestantes, quam ingentem exercitum, sed

(f) *lib. I. de bello Peloponef. p. m. 19.* (g) *lib. II. rhetor. cap. XVI. p. m. 344.* (h) *orat. II. in Verr. cap. II.*

sed mollem & effoeminatum, aut ingentem auri argentiue vim subministrari.

§. XXX. Quamuis itaque merito summi imperantes de aliena fortuna deliberent, cum Q. CVRTIO (i) iudice, hoc ipso suam in consilio habeant, & ex Hadriani imperatoris effato imprudenter agant, qui in *caducum inclinant parietem*, (k) nonnunquam tamen non tantum, vt iam monui, honestatis ratio, sed nostrarum quoque rerum conditio maximopere id suadent. Quid? si enim is fedus tecum inire cupiat, cuius ruina, vt TACITVS ait, te quoque tractura sit? (l) Hic vero clarissimi ceteroquin viri IVSTI LIPSII (m) consilium neutiquam laudare possum. *Tum enim*, inquit, *aut iunge te aut iuua, sed quid si occulte? Vetus illa callliditas, societatem alterius palam induere, ad alterum per occulta & fida magis inclinare.* Quod ipsum profecto a perfidia parum abesse censeo. Rectius forte, qui in eo rerum articulo est constitutus, neutri se iunxerit, si periculosum fuerit, infirmioris partes palam tueri, vt huic tamen, si quidem causa iusta sit, occulta quadam ratione succurrat, viresque subministret.

§. XXXI.

(i) *lib. V. cap. V.* (k) *ap. Ælium Spartianum in vita Hadriani, cap. XXIII. p. m. 205.*
(l) *de mor. Germ. cap. XXXVI.* (m) *lib. IV. politic. cap. IX.*

§. XXXI. Ceterum nec illi salutaria semper suadere mihi videntur, qui federe iungendos, viribus & potentia pares esse cupiunt. Licet enim mutuus, qui inter eos intercedit, metus, ad federis perpetuitatem multum conferre videatur, cum & auctore THVCYDIDE (n) *societatem nihil aliud fidelem faciat, quam mutuus metus*; saepius tamen & nocet, & si aemulatio accedat, haec autem vix vnquam aberit, intempestiue abrupto federe, omnis, quem ex eo sperabas, peribit fructus. Nec est, quod quis metuat, hac ratione neminem repertum iri, quocum rite iniri fedus possit, si nec potentiores, nec infirmi minusque potentes, nec viribus pares, in eius societatem sint admittendi. Namque non sine quodam temperamento, quae hactenus asserui, capienda sunt. Si quis enim potentior quidem sit, sed eius tamen vires non ita excedant nostras, vt nobis magnopere inde sit metuendum, hic vt finis, quem in federe nobis praescripsimus, compotes reddamur, aptissimus erit. Sic & minus potentes dum a federibus facessere iubeo, eos intelligo, qui adeo nullis instructi sunt viribus, vt nostra vnice indigeant ope, ipsi autem nobis prodesse nullo modo possint. Namque potest aliquis viribus pollere, vt tamen nobis potentia cedat. Quo-

(n) *lib. IV. p. m. 149.*

Quocum si quis fedus pangat, prudentiae limites neutiquam migrabit. Vt enim non omnino nihil ab eo iure nobis pollicemur, ita metus, ne perfidia, qua potentior laeditur, sibi male cedat, ipsum in officio continebit. Pares vero viribus potentiaque itidem quandoque rite in federa mutua coibunt, si communis sit, quae vtrumque premit, necessitas, aut certo nobis constet, aemulationi nullum futurum locum.

§. XXXII. Praeclare vero & illud ab ARISTOTELE (o) dictum, perperam illos agere, qui federa ineunt cum *sociis longe distantibus*. Quale enim subsidium, qualis defensio ab iis expectanda, qui, interuallo loci aut alia difficultate excluſi, nobis subuenire nequeunt? Lacedaemonios fedus Plataeensium spreuisse accepimus, quod nimis disiti essent. Sunt &, qui tradunt, Melios Lacedaemoniorum amplecti partes maluisse, quam Athenienſium, quod illis propiores essent, quanquam aliam causam adferat THVCYDIDES. (p) Vtrique prudenter. Satius enim est, ab omni se abstinere federe, quam illis iungi, a quibus nihil expectare licet. Omnium tamen περιστάσεων diligenter hic exploranda conditio. Namque, si duo principes fe-

T dus

(o) *l. c.* (p) *lib. III. p. m. 194. & lib. V. p. m. 328.*

dus nobis offerant, quorum vicinior alter, alter remotior, primo quidem inquirendum, annon & hic illud IVVENALIS: *inter finitimos vetus atque antiqua simultas, immortale odium, & nunquam sanabile vulnus*, locum inueniat. Certe nihil frequentius esse, docet ALBERICVS GENTILIS. (q) Deinde, si quis remotior fortasis sit, non tamen statim impeditur, quo minus nobis suppetias ferre, vel alia ratione efficere possit, ne initi nos poeniteat federis. Atque istud, si ad singula descendatur, haud difficulter intelligitur, parumque adeo necessariam illorum operam esse, arbitror, qui, quis vicinus, quis remotus sit, sollicite definiunt. (r)

§. XXXIII. Disputat BOTERVS, satiusne sit, vicino, an remoto, sed potentiori, federe iungi, tandemque concludit, remotum, sed potentiorem, vicino esse praeferendum. (s) Quod quidem effatum eius, nisi certis circumscribatur limitibus, dubio non caret. Namque, non semper potentiorem minus potenti esse anteponendum, vti nec remotum vicino, res ipsa docet. Quare, si potentia remoti principis nobis non sit formidanda, sique e re nostra sit, potentiam vicini imminui, deque eius fide & animo erga nos dubitandi nobis

(q) *de iure belli, lib. I. cap. XVI.* (r) *vid. Warem. de Erenberg. l. c. p. m. 220.* (s) *de ratione status, discurs. XXIV.*

nobis praesto sit ratio, tum quidem libenter huic sententiae subscribo. Est tamen quandoque ea rerum conditio, vt secus sit pronuntiandum. Decantatum istud sapientum effatum, quod nostram rem agi docet, quoties periclitatur vicinus, vt cautius hic nos geramus, monet. Contra, cum vicinus quoque nostra clade non possit non tangi, ipsique metuendum sit, ne nobis oppressis opprimatur & ipse, tum, nisi peculiaris ratio, vt secus se gerat, suadeat, ipsa necessitas, & propriae salutis studium arctiori vinculo eum nobiscum colligabit, datamque seruare docebit fidem.

§. XXXIV. Hisce ergo rite expeditis, cetera exequamur. Operae vero pretium fuerit, sintne multi in federis societatem recipiendi, disquirere. Qui eiusmodi federa laudet, aut probet, vix quenquam reperias. In tanta enim ingeniorum & finium, quos quisque sibi proponit, varietate, fieri secus profecto non potest, quam vt nonnulli, cum spe sua se excidisse vident, perfide fedus abrumpant, aut saltem rationes federis conturbent. PHILIPPVS MELANCHTHON, elegantiorum litterarum praecipuus in Germania magister, federa vt plurimum ideo irrita fuisse, docet, quod magna inter pacisscentes dissimilitudo, morumque & consiliorum intercesserit

diuersitas. (t) Hinc & nonnullis principum, contra quos multi federe se iunxerunt, ipsa federatorum multitudo saluti fuit. Perinde, ac Romanis olim contra Tribunitiam ambitionem ipsa Tribunorum multitudo salutare remedium praebuit. Vno enim in partes senatus pertracto, qui ceteris intercederet, vis omnis consiliorum, quae agitabant, irrita reddebatur. Nimirum non potest, quae federe sancitur, societas consistere, nisi ad vnum finem cuncta colliment. Iam vero quilibet, quae est mortalium prauitas, sibi consultum cupit, quidue toti societati conducat, parum habet pensi. Ergo, vt cupitis potiantur, nihil sibi faciendum reliqui putant, federum neglecta sanctitate. Contingere istud saepius videas, si duo saltem federe inter se colligentur: vnde, si plures in istud coaluerint, eo minus profecto durabit. ANDREAS MAVROCENVS: (u) *in federe certum rebus nostris praesidium collocare non ausim; cum ea sit societatum ratio, vt variis rerum euentibus interturbari ac praepediri queant; atque alii saepius sociorum fines, animos & vires in diuersa trahant, ac, dum quisque suis rebus consulit, commune bonum negligatur; subsidia neque paria, neque eodem tempore, vti constitutum est, submittantur; inde suspiciones, animorum alienationes, ex his disidia, ex disidiis denique*

(t) *in prooem. chron.* (u) *histor. Ven. lib. V.*

nique leges federum violatae ac desertae. Exemplis haec firmare superuacaneum duco, cum nemo adeo rerum humanarum rudis sit, cui non, quae hoc comprobent, suppetant. FORSTNERVS quoque ex GVICCIARDINO, AEMILIO, IOVIO, aliisque haud pauca adfert. (x)

§. XXXV. Hic in mentem venit, quod vir summus, HVGO GROTIVS (y) christiani orbis principibus suadet, ineundum inter eos fedus esse, quo tandem iuratus omnium hostis, Muhammedanae superstitionis defensor, iunctis opprimatur viribus. Idem & alii iam pridem habuerunt in votis, scriptisque suadere conati sunt, quorum aliquot REVSNERVS in *Anti-Turcico*, collegit. Nonnulli addiderunt consilia, monstrarunt viam, descripserunt itinera, quae ratio sit conficiendi pecuniam, bellumque feliciter Turcis inferendi, edocuerunt. Nec quenquam fugiunt MARINI, SANVTI, TORSELLI, BVSBEQVII, aliorumque hunc in finem editae commentationes. Quod vero ex eiusmodi federe, si vel maxime pangeretur, nullum sperare fructum liceat, ex iis, quae dissertata a nobis hactenus sunt, abunde, vt puto, intelligitur. Qui enim existimauerit, rem christiani orbis vlli principum ita curae,

(x) *not. in Tacit. p. m. 40. seqq.* (y) *lib. II. de I. B. & P. cap. XV.*

futuram, vt non suum illi antepositurus sit commodum, is rerum humanarum apprime ignarus est. Exempla, superiorumque temporum memoria, idem comprobant. Ipsi Romani pontifices, expeditionum, quae in Palaestinam suscipiebantur, praecipui auctores, non ducebant sibi religioni, exercitus eo commigraturos palam cohibere, quoties id suis expedire rebus putabant. De Gregorio IX. praeter Vrspergensem abbatem id diserte testatur CVSPINIANVS. (z) Taceo scelera & inexpiabilia crimina, quibus tegendis & occultandis haec mouebantur bella, principesque ad sancta federa inuitabantur. Auctor quidem, qui *consilium de recuperatione terrae sanctae ad Eduardum Angliae regem* edidit, haec bella ob christianorum principum discordiam minime ex voto successisse, autumat. (a) Incubuit iam olim orbi christiano istud malum, quod hodienum eundem vexat. Coibunt scilicet in perenne fedus, qui inuidia, aemulatione, superbia, regnandi cupiditate, aliisque multum atrocioribus vitiis ita agitantur, vt satius esse ducant, vel extendi Turcici imperii fines & dilatari, quam vt suis contenti opibus esse velint, tantum abest, vt ad communem hostem coercendum aut inituri fedus, aut initum sancte & religiose sint

(z) *in vita Friderici II.* (a) *cap. III.*

sint obseruaturi. Legi hac de re meretur IOANNIS HEINRICI BOECLERI *annotatio historica de passagiis.* (b)

§. XXXVI. Nunc locus postulat, vt federum necessitate initorum, iniiciamus mentionem. Imprudentiae enim notam, vix effugit, qui serio sibi persuaserit, fedus necessitate initum seruatum sancte, iri, nisi eadem necessitas, quae pangere istud iussit, seruare quoque doceat. AMMIANVS MARCELLINVS sibi obseruatum autumat, in extremis casibus icta federa, postquam conceptis iurauere verbis partes, illico repetito bello, soluta esse. (c) Vix enim animum suum quis inducet, vt ea rata habeat, quae damnum sibi allatura vidit. Iam vero si honestatis speciem induat haec ipsa imperandi aut commoda sua promouendi libido, quod quidem in federibus necessitate initis facile contingit, nullo cohiberi freno potest, quin cuncta vincula rumpat. Hi Graecorum mores erant, qui adflicti variisque cladibus debilitati ad federa descendebant, tamdiu duratura donec noua spes subsidii impetrandi, illis affulgeret. Nicias in oratione ad Athenienses hunc in modum hac de re disserit: (d) *opinamini fortasse, apud illos*

(b) *in appendice dissertationum academicarum.* (c) *lib. XXV.* (d) *apud Thucydidem lib. VI. p. m. 343.*

federa, quae nobiscum inierunt, aliquid firmitatis habitura. Illa vero quiescentibus quidem nobis erunt federa duntaxat nomine: sicubi autem exercitus noster plus cladis accipiat, sine mora manus hostilis ingruet nobis: primum, quia nobiscum pacti sunt, non voluntate, sed iniquitate fortunae & necessitate, ac maiore, quam nos, turpitudine: deinde, quod per haec federa complures contentiones habuimus. Atque Emanuelem Comnenum imperatorem diserte negasse, accepimus, se ea curare pacta, quae necessitate promissa essent. Nonnullos itaque Herennii Pontii fere probare sententiam, videas, Samnitibus suis suadentis, vt Romanorum exercitum ad Caudinas furcas inter duos saltus clausum, aut delerent penitus, aut incolumem dimitterent. Nimirum & in federibus, inquiunt, media via periculo non caret. Tollendi potius sunt, aut pro inimicis reputandi, quam tali nobis iungendi federe, quod eos nec amicos nobis reddit. Atque horum, si iniqua non esset, sententia mihi quoque facile se probaret. Nunc vero nefas esse arbitror, eos statim ad internecionem vsque caedere, quos firmo & durabili nobis iungere federe nequimus, eo quod in deteriorem detrusi sint fortem. Mihi ergo alterum semper tutius visum, vt liberali conditione fedus ineatur, sociisque nulla relinquatur occasio conque-

rendi,

rendi, se necesitate ad hoc adductos fuisse: saltem ita temperetur fedus, vt eos quodam beneficio nobis obstrinxisse videamur. Apud ingenuos arctisimum vinculum, eos in officio continendi, est beneficiorum memoria.

§. XXXVII. Neutiquam tamen illorum subscribo placitis, qui, federa omnia metu inita irrita esse, sanciunt. Quod si ita se haberet, frustra solenni pacis fedre bella finirentur, cum raro admodum ab armis discedatur, quamdiu pares vtrinque sunt vires. Si autem impares sunt, certe inferiorem non potest non metus cuncta perdendi, vt ad pacis conditiones descendat, adigere. Quam licet dissimulare iubeant prudentiae ciuilis magistri, illudque HOMERI: *& mihi sunt teretes hastae, clypeique rotundi*, vsurpare: (e) nunquam tamen adeo tegi potest, vt non se vtcunque prodat. Interim hominum omnium refert, vt pacis federa sancte seruentur. Non sollicitabo nunc philosophorum decreta, nec, quae de metu, reddatne pactiones irritas, disputant, attingam. Id tamen, quod rem omnem conficit, non delibare paucis nequeo. Certe, qui, pacta, quae non deliberato consilio ineuntur, & in quibus consensus deest, omni obligandi destitui virtute, asserunt, nihil

(e) *vid. Lipsius lib. V. politicor. cap. XIX.*

quod reprehensione dignum sit, autumant. Pactio enim nulla sine consensione esse potest. Fateor quoque, consentire illum non posse, cuius intellectus aut morbo eiusmodi laborat, vt res vera notione discernere nequeat; aut voluntas etiam cohibetur, suaque, qua gaudet, priuatur libertate. Nec abnuo, metu mentem saepius ita conturbari, vt nec, quid res sit, intelligamus, nec, velle eam, nobis integrum sit. Sunt tamen & certi in metu gradus. Qui cum impetu coniunctus est, mentemque ita agitat, vt eam de sede sua deiiciat, is certe, vt obstat, quo minus consentiamus, ita pactum omne reddit irritum. At postquam sedatis motibus vehementioribus ad statum tranquilliorem mens nostra rediit, tum, qui supereſt, metus, ex mali imminentis consideratione ortus, nec vim intellectus turbat, nec voluntatem omni libertate priuat. Si quis ergo videat, ingenti periculo se obiectum iri, si bellum continuet, hincque eum incedat metus, is neutiquam, vt arma ponat, cogitur, sed libere secum decernit, velitne fortunam suam periclitari, bellique aleae eandem committere, an pactione, sibi parum vtili, imminens malum, via quidem tutiori, a se amoliri. Solent ideo eiusmodi actiones ad *mixtas* quidem a moralis philosophiae doctoribus referri, ita tamen,

tamen, vt ad ſpontaneas propius, quam inuitas, accedere dicantur. Sed cetera, quae ad cauſam hanc perorandam faciunt, luculenter a SAMVELE PVFENDORFFIO ediſſeruntur. (f)

§. XXXVIII. Nondum ſatis caute federa inituris proſpeximus. Forma etiam eius reipublicae, quacum fedus pangitur, conſideranda eſt. *Sanctiſſima*, cenſente IOANNE BODINO, (g) *eſt ſocietas ac fides, quam regi rex, vir viro, populus populo, dat, viciſſimque accipit.* Namque, vt diuerſis formis ciuitates gaudent, ita & non vnum eundemque ſibi conſtitutum habent finem. Quae autem non in vnum finem nobiſcum conſpirant, ab illis, non eſt, vt conſtantiam fidemque in federe ſeruando expectemus. Sic, in quibus penes populum aut optimates ſumma rerum eſt, ciuitates, eae ad opes diuitiasque vt plurimum adſpirant. Huc conſilia omnia & cogitationes dirigunt. Succeſſu ergo proſperrimo hic fieri mercaturam, conſtitui emporia, colligi theſauros, videas. A bello autem plane abhorrent. Nec vlla res mercaturae magis eſt inimica. Otio enim & quiete gaudet: vt bellum contra omnia mouet, ſuisque ciet ſedibus, & ab hominibus inſuper nummorum parcis raro admodum felici-

(f) *lib. III. de I. N. & G. cap. VI. §. 10, ſeqq.* (g) *lib. V. de republ. cap. VI.*

feliciter geritur. Qui ergo commerciorum causa eiusmodi ciuitatem federe sibi iunxerit, recte & prudenter fecerit. Falletur contra turpiter, qui ad belli societatem eam pellexerit. Namque bellum, nisi ad imminens periculum propulsandum, nunquam serio geret: aut si ad fines suos proferendos aliquod susceperit, documento illud est, qui rerum summam administrant, parum, quid e re ciuitatis sit, habere exploratum, aut certe illis non inuitis vltimam perniciem ciuitati accelerari. Soleo saepius Athenienſium fata mihi reuocare in memoriam, qui, cum neglecto fine, ad quem istorum respublica vnice instituta erat, ad Graeciae imperium occupandum animum adiiciebant, prope aberant a ruina. Socii autem causa quasdam subire difficultates, id genus ciuitates non recusant, at quamdiu id sibi conducere putant. Quod si vero intellexerint, nullum amplius inde ad se redundare commodum, aut commerciis obstacula poni, valere federa quaeuis sine mora iubebunt, & cum hostibus atrocissimis, proditis etiam, aut perfide desertis sociis, in gratiam redibunt. Secus contra se res habet, vbi vnus rerum potitur. Nisi enim forte voluptates animum eius fregerint, arma praeliaque spirabit, & ad bellicam societatem facilius inflammabitur, constantiusque, quod

quod motum semel est, prosequetur bellum. Gloriae enim auidiores, quam pecuniae, principes esse solent, turpiusque putant, lucrum praeferre laudi, damna autem, quae subditi magis, quam imperantes, sentiunt, non adeo curant. Atque hoc est, quod THVCYDIDES, (h) scriptor longe prudentissimus, solerter docuit, dum, Mantinaeos Argiuis libentius, quam Lacedaemoniis, se associasse, autumat, eo quod, populare Argiuorum regimen cum suae ciuitatis consentire forma, intelligerent. *Libenter*, inquit, *ad Argiuos se contulerunt, ciuitatem magnam considerantes, & cum Lacedaemoniis vsque certantem & statum popularem, quemadmodum ipsi, habentem.*

§. XXXIX. Si vero nos ad bellici federis societatem inuitemur, id primum inquirendum, sintne arma alteri inferenda, an vero vis illata vi repellenda. Vbique vero bellica federa summo declinanda sunt studio. Suae enim salutis valde prodigus est, qui temere ad bella ruit. Prudentum scitum est, non temere ob quamvis causam, etiam iustam, bellum esse suscipiendum. *Bellum metuendum esse, equidem non abnuo*, inquit POLYBIVS. (i) Auctorem habeo PLVTARCHVM, postquam feciales decreuissent, iuste bellum suscipi posse, tum

(h) *lib. V. p. m. 297.* (i) *lib. IV. cap. XXXI. p. m. 270.*

tum demum a senatu consultatum fuisse, an hoc ex vsu esset? (k) Prudenter. Incerti enim sunt bellorum euentus. *Omne bellum facile sumi, ceterum aegerrime desinere, nec in eiusdem potestate initium & finem esse*, SALLVSTIVS iudicat. (l) LIVIVS autem, *nusquam minus, quam in bello, euentus respondere*, diserte pronuntiat. (m) Cui suffragatur SENECA: (n) *Licet omne tecum Graeciae robur trahas, licet arma longe miles ac late explicet, fortuna belli semper ancipiti in loco est.* Non vis aut ingentes exercitus, non pecunia opesque praestabunt, vt victoriae securus esse queas. Nunquam Darium vicisset Alexander, si, qui potentia praestat, superior etiam semper ex acie discederet. Quoties parua manus ingentes fudit profligauitque copias? Xerxem exercitu tam numeroso Graeciam inuadentem, vt velut diluuio quodam eam inundare videretur, de victoria dubitasse, quis crederet? Quanto vero eius certior fuit, tanto turpior fuit fuga, qua sibi consuluit. Concludo igitur, eos, qui non vrgente summa necessitate arma capiunt, aut federibus ad bellum gerendum vltro se obstringunt, ab imprudentiae crimine vix absolui posse. Non enim pensi habent illud, quod alicubi

EVRI-

(k) *in vita Numae p. m. 336.* (l) *in bello Iugurth. cap. LXXXIII.* (m) *lib. XXX. cap. XXX.* (n) *Theb. v. 38.*

EVRIPIDES dixit, quod, quoties de bello deliberatur, nemo tamen cogitet, sibi imminere mortem. Hinc &, quod sequitur, recte illis opposueris: *quod si in comitiis funera ante oculos forent, furiata bello non periisse Graecia.*

§. XL. Quae commerciorum causa ineuntur federa, vt vtilitatem interdum reipublicae adferunt, ita, quin eidem quandoque noxia sint, nullo modo dubitari potest. Ergo & hic, quod agat, ciuilis prudentia habet. Vt autem prima saltem delibemus capita, an omnino reipublicae eiusmodi federa expediant, disceptari posset. Id quod tamen tum demum definire pronum erit, si, an commercia ipsa reipublicae expediant, patuerit. Ea, si non inutilia, saltem superuacua esse, inde nonnullos colligere video, quod natura hominis paucis sit contenta, modo intra rationis fines nostras coërceamus cupiditates. *Paucis minimisque*, inquit BOETHIVS, (o) *natura contenta est, cuius satietatem si superfluis vrgere velis, aut iniucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium.* Hinc & nonnulli veterum primos mortalium, quos in aureo vixisse seculo fingunt, vel hoc nomine felices praedicant, quod citra nauigationem, citra commercia vitam felicissime transegerint.

(o) *lib. II. consol. philos. pr. V. p. m. 32. edit. Theod. Sizmanni.*

rint. SENECA: (p) *Statum generis humani non alium quisquam susexerit magis, nec, si cui permittat Deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probauerit, quam quod apud illos fuisse memoratur &c.* Addunt, quod quaelibet terra ea ferat, quae ad vitam transigendam sunt necessaria, vnde, commerciis mortales superfedere posse, rursus colligunt.

§. XLI. Accedere aiunt, quibus commercia displicent, quod diuitias gignant, diuitiae luxuriam, luxuria autem quaeuis mala, & ipsam denique reipublicae ruinam secum vehat. De Romanis FLORVS: (q) *Syria victa nos primum corrupit mox Asiatica Pergameni regis hereditas: illae opes atque diuitiae afflixere seculi mores, mersamque vitiis suis quasi sentina rempublicam pessundedere.* Consentit SALLVSTIVS, qui in Syllam omnem culpam coniicit, quod exercitum, quem in Asiam duxerat, luxuriose nimisque liberaliter habuisset. (r) Praedixerat hoc olim CATO, Asiam reipublicae Romanae pestem ominatus. Ita ergo victor orbis populus luxuriae tandem succubuit, documentumque nobis praebuit, non alia illis gentibus expectanda esse fata, quae cum a virtute Romanorum procul absint, luxuria tamen eos, si non vin-

(p) *epist. XC. p. m. 756.* (q) *lib. III. c. XXII.*
(r) *in Catil. cap. VI. X. XI.*

vincunt, certe aequant. Quae autem bella cum exteris gentibus gesta in Romanam rempublicam inuexere mala, ea alibi commercia inuehere solent. Vndecunque enim diuitiae proueniant, luxuriam nunquam fere non comitem habent. De Capua LIVIVS: (s) *prona semper ciuitas in luxuriam, non ingeniorum modo vitio, sed affluenti copia voluptatum & illecebris omnis amoenitatis maritimae.* Vnde & hodie, praesertim vbi commercia florent, vix reperire licet, *qui sale panis latrantem lenire stomachum,* quod Romanis olim in more positum fuit, cupiat, nisi quem minus propitia fortuna ad duriorem viuendi rationem damnauerit. Quin, quod de Romanis a remotissimis gentibus, quae gulam demulcerent, petentibus, PETRONIVS dixit, apprime in nostri seculi homines quadrat: (t) *ales Phasiacis petita Colchis atque Afrae volucres placent palato, quod non sunt faciles &c.*

§. XLII. Nec dissimulant, dum exteris per commercia frequens in nostram ciuitatem aditus patet, peregrinos & saepius parum honestos simul inuehi mores, plerisque mortalium ad eos imitandos tanto pronioribus, quanto magis ipsa nouitas placet, & quanto propensiores ad deteriora sectanda ipsa, quae omnium pectoribus insidet, praui cupido nos reddit.

(s) *lib. XXIII. cap. X.* (t) *p. m. 15.*

Quin ipsa, si hos audias, in periculo versatur religio. Namque, nisi quibusuis commerciorum causa ad nostram rempublicam aduolantibus libertas concedatur, suo more suoue ingenio sacris operandi, felicem commerciorum successum vix sperare licebit. Hanc vero libertatem pernicioſam admodum ciuitatibus esse, inteſtinisque bellis & discordiis excitandis fouendisque aptam, omnes fere clamitant. Ipse ARISTOTELES nonnulla, quae huc pertineant, differit, dum de seditionum periculo ex peregrinorum in ciuitatem receptione promanaturo, praecipit. (u)

§. XLIII. Haec vtut non sine quadam veritatis specie contra commercia disserantur, nondum tamen plane huic sententiae suffragari possum. Fateor, natura paucis contenta est: at quamlibet terram omnia, quae ad vitam degendam necessaria sunt, proferre, id quidem non audeo asserere. Interim non abnuo, multas, forte & plerasque ea, quae homini intra naturae fines viuenti sufficere possunt, proferre. Quod de AEgypto alicubi LVCANVS, quod terra sit suis contenta donis, non indiga mercis, de aliis regionibus alii affirmarunt, id nunc non commemorabo. Saltem de Germania hoc silere nefas

(u) *lib. V. politic. cap. III. p. m. 233.*

nefas est, ipsius IVLII CAESARIS testimonio, (x) eam nullis indigere commerciis. Haec autem ita se habere, tum extra dubium positum fuerit, cum, quid naturae hominis eiusque conseruationi sufficiat, fuerit definitum. Frugibus sponte natis pelli fames, sitis extingui aqua, ferarum pellibus vtcunque propulsari frigus potest: & nulla temere adeo sterilis est regio, quae non ea, quae hisce vsibus inseruiant, proferat. At vero, cum plerisque ipsa vita dura videatur, nisi & commode viuere possint, certe longe plura ad vitae sustentationem requiri, palam est. Nec peccare mihi contra naturam videntur, qui etiam commoditates vitae sectantur, cum natura hic adeo non nouerca sit, vt liberali potius manu cuncta mortalibus indulgeat. Id quod inde quoque constat, quod multae res, saltem ad commodius vitam degendam, modo omnis luxuria absit, a sapientissimo conditore productae videantur, quarum ceteroquin aut nullus aut exiguus futurus esset vsus. Praeterea in societatibus maxime maioribus, vtique non inuito Numine institutis, non potest non haec vitae esse ratio, vt in vsum humanum res multae consumantur, quibus, qui ferarum ritu degunt, non indigent. Hasce ergo si quis forte eam ob causam non

(x) *de bello Gallico, lib. IV. cap. II.*

probaret, is ad ferinam fere sortem homines detruderet. Vt ergo multae res ad commodius viuendum recte adhibentur, ita & commercia, per quae comparantur, damnari profecto nequeunt. Accedit, quod commercia saepius iis rebus, sine quibus nullo modo viui potest, comparandis inseruiant. Namque & fertilissimae, quandoque prouinciae, siue belli calamitas agricolis infesta ingruat, siue ob coeli temperiem aliasue causas ager cultoris sui spem frustretur, tanta rerum ad vitam necessariarum penuria laborant, vt incolis, vnde viuant, vix suppetat. Hinc, si non per commercia iis subueniretur, omnibus misere pereundum esset.

§. XLIV. Quae de luxuria, vitiorum omnium matre, dicuntur, a vero quidem non abhorrent: nondum tamen rem omnem plane euincunt. At vitiis hominum, rebus innocentissimis abutentium, haec suam originem debet. Opibus, quae per commercia parantur, debebant sublevari pauperes, aut poterant eaedem ad magna pericula auertenda, aut damna resarcienda, conseruari, quem quidem divitiarum vsum in Vtopiensi republica fuisse, THOMAS MORVS comminiscitur. (y) Civilibus etiam legibus, modo morbus non omnem respuat medicinam, luxui omni facile

(y) *lib. II. p. m. 246.*

facile obuiam iri potest. Praesertim, si sanciatur, ne res eiusmodi inuehantur, quarum plane non alius vsus est, quam vt voluptatem hominum aut excitent, aut promoueant. Video a grauissimis viris damnata esse ea mercium genera, quibus non aliter, quam ad ostentationem, vti licet, & de quibus non immerito dixeris, quod SOLINVS de serico pronuntiauit: *hoc illud est sericum, in vsum publicum damno seueritatis admissum, & quo ostendere potius corpora, quam vestire, primo foeminis, nunc etiam viris, persuasit luxuriae libido.* (z) Sed vereor, ne, si quis intra hos rationis limites commercia coërcere velit, is multis in PLATONIS versari republica, eamque suis formare legibus videatur.

§. XLV. Denique ad mores exterorum quod attinet, ii neutiquam semper adeo praui sunt, vt nostri inde corrumpi queant. Improbis quoque nunquam deest occasio vitia induendi, etiamsi omnibus commerciis respublica careat. Nec deest ratio commercia ita temperandi, vt nulla morum inde metuenda sit corruptela. Namque & a summis imperantibus sanciri potest, ne ciues in commercia descendant cum iis gentibus, quarum deprauata viuendi ratio eos velut veneno quodam inficere potest. Quod autem de

V 3 reli-

(z) *cap. LXIII.*

religionum diuersitate dicitur, nullum plane momentum trahit. Nec probari potest, eam vltimam perniciem rebuspublicis attrahere. Refragantur exempla florentissimarum ciuitatum, in quibus non vna, diuersa de Numine sentientium, secta conspicitur. Non id nunc ago, vt definiam, an fas sit, diuersa sentientes ferre aut tueri: id saltem assero, illos falli, qui, non posse salvam & incolumem esse eam rempublicam, in qua variis religionibus imbuti degunt, asserunt. Quae enim hinc orta videntur disfidia, ipsi potius hominum, religionem cupiditatibus suis tegendis obtentui sumentium, prauitati imputanda esse, arbitror. Status tamen, quo ciuitas gaudet, hic omnino quoque habenda est ratio, & considerandum, eam quandoque reipublicae esse indolem, vt illi valde expediat, maleferiatis hominibus ea omnia eripi, quae suis machinationibus obtendere possint.

§. XLVI. Concludo ergo, omnino aliquando e re nostra esse, commerciorum causa federa inire. Quo pacto autem prudenter eiusmodi federa inituri sese gerere debeant, vt, quod status sui ratio exigit, habeant pensi, id accuratius exponendum nobis esset: sed cum instituti ratio vela contrahere iubeat, nonnulla etiam

etiam ex hactenus dictis colligi facile possint, ad alia nobis digrediendum est. Et de tempore quidem, in federibus observando, non praetermittendum est monitum ARISTOTELIS: (a) *socii vero pro ea temporum conditione sunt faciendi, cum aliqui suis viribus infirmi sunt, aut bellum aliquod videatur impendere, aut eo cum aliquibus ineunda societas, quod bello quosdam a se defecturos putent.* Id addendum erat, e re nostra esse, eo tempore federa inire, quo non tam necessitate quadam ad hoc compelli, quam sponte nostra id in animum induxisse videamur. Tum enim lege longe aequissima fedus percutere licebit. Contra si alter sentiat, necessitate quadam ad fedus ineundum nos compelli, iis conditionibus, quae nobis non possunt non molestae perquam esse & parum vtiles, illud inibit. Fortasis etiam plane detrectabit fedus, minusque honorificum censebit, in federis societatem allici, cum alius praesto nobis non est, cuius auxilium imploremus. Intelligebant illud Corcyrenses. Namque Athenienſium contra Corynthios auxilia implorantes veniam petiere, quod iam bello impliciti illorum societatem quaererent, quam antea non prauitate, sed errore neglexissent: *vtique venia digni*, in-

(a) *in rhetor. ad Alexandrum, cap. IIII. p. m. 350.*

quiunt, *si, quod antea non praeuitate, sed opinionis errore potius, inepte non fecimus, id nunc contrario audeamus.* (b) Accedit, quod tanto promptior quisque sit ad succurrendum aliis, quanto minori cum periculo atque labore id coniunctum esse videtur. Non minori autem cautione opus, ne federe, vltra, quam nobis expedit, duraturo, temere nos constringi patiamur. Saltem federa perpetua summo studio fugienda esse, prudenter nonnulli monent. Id quod tamen de illis neutiquam capio, quae a populis pluribus, vt speciem quandam vnius ciuitatis constituant, percutiuntur. Tale Achaeorum fuit, quorum σύστημα praeter alios POLYBIVS (c) memorat. Non autem temere in eiusmodi federa descendendum esse, res ipsa docet. Vt enim non vna semper rerum humanarum est facies, ita euenire facile potest, vt nunc quidem expediat nobis, illis federe iungi, mox autem nihil magis noceat. Taceo, quod ludicra fere sint id genus federa, cum experientia magistra constet, pleraque in omne aeuum inita federa paucorum annorum vix impleuisse spatium, totamque consiliorum, quae his innitebatur, molem in fumum abiisse.

§. XLVII.

(b) *ap. Thucydidem; lib. I. p. m. 19.* (c) *lib. II. cap. XLI, XLII. p. 117. & alibi.*

§. XLVII. Nec negligenda sunt principi, caute fedus inituro, firmamenta federum, pignora, obsidesque. POLYBIVS, (d) postquam grauiter monuit, magna dignos esse reprehensione, qui temere aliorum fidei se permittunt, illos vero non esse culpandos, qui mature, prout possunt, sibi cauent, subiungit: *at vbi pignora fidei idonea acceperis, si, quod ratio suadeat, feceris, culpa omni cares.* Hinc, quaenam fidei pignora sint, addit: *Sunt autem fidei vincula, quibus idonee caueri potest, ius iurandum, liberi, vxores, & maximum omnium ante acta vita.* De primo quidem & vltimo, ferente ita occasione, iam dictum est. De obsidibus ita censeo, ad federa firmanda eos plurimum facere. Nec enim quicquam obstat, quo minus federa percussuri hic eandem viam ingrediantur, quam prudentissimi principes, ad continendos in fide & obsequio populos sibi subiectos, vestigiis suis signarunt. Alexandrum innuo atque Hannibalem, quorum ille, ne quid a tergo, quod destinata impediret, moueretur, praestantissimos iuuenum ex omnibus prouinciis legi iussit, obsides simul habiturus & milites; hic autem, vt res suas Carthaginiensiumque stabiliret, ex Hispaniae vrbibus delectos iuuenes Carthaginem,

(d) *lib. VIII. histor. cap. II. p. m. 463.*

nem, non tam vrbis praesidium, quod obtentui sumebatur, quam fidei Hispanorum pignora, misit. Fluxa & lubrica plerorumque hominum fides est, adeoque nullam temere rationem vinculis quibusdam eam adstringendi, praetermittere decet. Quod illis vtique perspectum est, qui honorem aut amicitiae speciem obsidibus, quos aut postulant, aut impetrarunt, obtendere solent, more quidem haud infrequenti, eo minus tamen forte culpando, quo difficilius nonnulli adducuntur, vt pignoribus eiusmodi datam firmando fidem, quam parum sine iis sibi fidendum sit, palam profiteri videantur.

§. XLVIII. Tanta ergo circumspectione cum in federibus pangendis opus sit, haud difficulter forte in eam quis induci opinionem posset, illos demum recte sapere, qui rerum suarum ita satagunt, vt nullo vnquam cum aliis federe iungantur. Nec me sibi valde refragantem habebunt, qui ita sentiunt, modo concedant, eam posse quandoque oriri rerum nostrarum faciem, vt nobis sine federe salvis esse non liceat. Temere in federa ruere illorum est, qui, quid sibi conducat, parum habent exploratum. NICOLAO MACHIAVELLO ergo non assentio, asserenti, (e) vicinis belligerantibus semper alteru-

(e) *in principe, cap. XXI.*

alterutri esse accedendum. Hanc enim vnicam ad existimationem, qua res principis stentque cadantque, comparandam, viam esse. A qua sententia & alios prope abesse video. (f) Euentum autem bellorum cum LIVIO stultorum magistrum vocant, vnde, quid de illis, qui eum expectandum censent, sentiendum sit, patere putant. Aristhenus quoque, Achaeorum praetor, apud eundem LIVIVM huic sententiae fauere videtur, hunc in modum verba faciens: (g) *quod Cleomedon modo tanquam mediam & tutissimam vobis viam consilii, vt quiescerctis, abstineretisque armis, ostendebat, ea non media, sed nulla via est. Etenim praeterquam, quod aut accipienda aut aspernanda vobis Romana societas est, quid aliud, quam nusquam gratia stabili, velut qui euentum expectauerimus, vt fortunae applicaremus nostra consilia, praeda victoris erimus?*

§. XLIX. At enim vero non semper haec habere locum, sed aliquando euenire posse, vt, si alterutrius partes amplectamur, minus profecto sapienter rebus nostris consulamus, fidenter asserо. Quid enim? si a neutro belligerantium eo, quod minus sint potentes, mihi quicquam sit metuendum? aut si mea nihil referat, vtra pars vincat? vel si certa sit expectatio, fore, vt

(f) *apud Warem. de Erenberg. l. c. p. m. 267.*
(g) *lib. XXXII. cap. XXI.*

vt seſe mutuo atterant? Nonne tum conſultius eſt, neutri parti accedere, & ſine periculo aliena ſpectare certamina? Taceo, quod principibus minus potentibus, inter ſe certantibus, illi, qui neutri accedit, occaſio ſuppeditetur, vtrumque, at attritum & debilitatum, ſub iugum mittendi. Quas quidem artes minime probo, Romanis tamen aliisque frequentatas fuiſſe, ſcio. Sed concedam, eos, qui inter ſe confligunt, potentiores eſſe, paribusque concurrere viribus, ponam etiam, neutram partem ſibi victoriam promittere poſſe, & tum conſultius erit, neutram iuuare partem. Saltem illud inde referes commodum, quod neutrius inimicitia tibi ſit ineunda, quam, ſi alterutrum iuueris, non potes euitare. Contra, ſi tuo auxilio alteruter victoriam reportauerit, adeoque virium ſuarum & potentiae acceperit incrementa, tuam in maxima pericula coniicies rempublicam. Non ſemper enim accepti beneficii memoria tam valida eſt, vt eum cohibeat, quo minus te opprimat, quoties ſua hoc referre exiſtimauerit. Quod vero MACHIAVELLVS autumat, te ſemper praedam victoris futurum, quotiescunque potentior victoriam retulerit, niſi federe illi te iunxeris: id quidem ita

ſe

se habere, abnuo. Equidem pauci imperantium suis cupiditatibus ponere limites didicerunt, quin, tum demum se victoria recte vti, putant, si eadem vt instrumento nouae vtantur. Qui vero, omnium eosdem mores esse, existimauerit, eum quidem in multos iniurium esse, nullus fere dubito. Quod si autem socii tui hostis superior in bello euadat, omnium opinione satius erit, victorem potentem minus fidum habere amicum, quam professum hostem. Accedit, quod aliquando valde ambiguum sit, cuius ex belligerantibus amplecti partes expediat. Quin igitur, tum saltem inter eos se medium gerere, conducat, dubio fere caret. Denique, si inaequalibus belligerantes sint viribus, res aeque difficulter procedet. Num enim potentiori te adiunges? at viribus valentem reddere, potentiorem communi politicorum decreto repugnat. Minus potenti se iungere, idem est, ac eius ruina sua sponte se inuoluere. Ergo illud, quod nobis euincendum erat, inde consequitur, aliquando nobis expedire, neutri belligerantium iungi.

§. L. Denique nec rituum, quibus fides in federibus testatior reddi solet, negligens sit, qui rationi status rite litare

litare decreuit. Horum enim quo quis est obseruantior, eo facilius aliis persuadet, se fidem sancte colere. Vt vero omnes ita de nobis existiment, nostra magnopere refert. Romani tanta cura atque sollicitudine fecialia iura, ab Aequicolis, vt nonnulli putant, (h) accepta, instituerunt & obseruarunt, vt nefas ducerent, vllum bellum, nisi ex fecialium praescripto, suscipere. Quod quidem institutum sanctitatis & religionis opinionem apud alias gentes illis conciliauit, minimeque culpandum esset, nisi fecialium decreta causis palam iniustis obtendissent, & ad belli iustitiam sufficere putassent, si *solenni ritu* gereretur. Ceterum ritus moresque gentium circa federa doctissimi viri iampridem enarrarunt. Scholiastes ARISTOPHANIS omnes vnico velut fasce complectitur, (i) dum solennes, quibus firmare federa solent, iureiurandorum formulas, & sacrificia, & dextrae coniunctionem memorat. Hodie plerisque gentibus, praesertim christianis, itidem certae iureiurandorum formulae vsurpantur, a gentilium superstitio-

(h) *vid. Alexander ab Alexandro Gen. tom. II. lib. V. & Albericus Gentilis de armis Romanis lib. I. cap. III.* (i) *ad Acharnenses, act. II. sc. II.*

stitione merito repurgatae. Quanquam, an, qui per Diuos Diuasque iurant, huius criminis immunes sint, asserere nolim. Sacrificia cultior orbis pars hodie itidem ignorat: quorum olim, praesertim apud Romanos, frequens in federibus vsus erat. (k) Interim in locis Deo dicatis federa percutere passim moris est, ne nihil adeo, quod sanctitatem federum augustiorem reddat, praetermittatur. Dextrae denique coniunctio vt hodie adhuc subinde recepta est, ita apud Persas, aliasque gentes olim maxime fuit frequentata. (l) Sed haec delibasse sufficiat.

§. LI. Potuissem nunc iis, quae hactenus exposita sunt, lucem affundere, simulque pondus & momentum aliquod nostrae dissertationi addere, si magni istius principis, federatorum, pro patriae libertate strenue arma mouentium, partes deserentis, & cum Galliae rege in federum commercia descendentis, transitum, ad ciuilis prudentiae exigere leges libuisset. Sed vero, ne temere id mihi sumpsis-

(k) *vid. Heinsius in notis ad Silium Italicum, p. 10. 11.* (l) *vid. Curtius, lib. VIII. cap. XII. add. H. Grotius de I. B. & P. lib. II. & cap. XIII. §. XXII.*

ſumpſiſſe videar, quod hominum peritiſſimorum etiam vires ſuperat, in arcanorum ſcilicet aulicorum profundos receſſus penetrandi, hic pedem figo, certus, prudentem rerum exiſtimatorem, ſi rite noſtras regulas ad hoc aut ſimilia federa accommodauerit, facile, quam quisque ſtatus ſui obſeruet rationem, intellecturum.

S. D. G.



EXER-

EXERCITATIO POLITICO-MORALIS
DE
EO QVOD DECET
CIRCA
SOLENNIA PRINCIPVM
HABITA HALAE SAXONVM
DIE XV. IVN. MDCCI.
RESPONDENTE
HENRICO IOANNE GOTTFRIEDO PFLVGER,
VMMENDORFF-MAGDEBVRGICO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0384

Σύνοψις.

Introitus, §. *I. Decori origo*, §. *II. limites*, §. *III. natura & indoles*, §. *IV. Ritibus & imperii symbolis non posse carere rempublicam*, §. *V. Veneratio subditorum erga principes quodnam habeat fundamentum?* §. *VI. Falsa interdum nititur populi persuasione*, §. *VII. Num recte?* §. *VIII. Plerumque nititur externis istis imperii & potestatis symbolis*, §. *IX. Quibus etiam sanctissimi Ebraeorum reges vsi sunt*, §. *X. Eodem pertinent solennia principum*, §. *XI. Circa quae vt observetur decorum, ad gentium ritus & consuetudines respiciendum est, quae variae sunt*, §. *XII. Sed ratio quoque illis constare debet, vt v. g. diuina imperantium constitutio populo reuocetur in memoriam, quorsum pertinet vnctio, ab Ebraeis primum adhibita*, §. *XIII. ab his ad christianos translata*, §. *XIV. ideoque a serenissimo ac potentissimo Rege Borussiae recte adhibita*, §. *XV. licet modus vngendi sit varius*, §. *XVI. Cur Reginae vngi soleant?* §. *XVII. Quaenam reliquis ritibus subsint rationes*, §. *XVIII.*

De boue assato in coronationibus imperatorum & regum exhiberi solito, §. *XIX. Ritus huius origo & interpretatio politica*, §. *XX. Quo pacto a principe hic contra decorum peccetur*, §. *XXI. Cauere debet, ne per externa ista animi leuitatem, aliaque vitia prodat*, §. *XXII. Externa, praecipue corporis cultum, haud contemnendum morum documentum praebere*, §. *XXIII. Non tantum luxuria, sed & sorditie & neglectu cultus, a principe contra decorum peccatur*, §. *XXIV. Prudentia directrice hic semper opus est*, §. *XXV. Decorum in solennibus principum disciplinae quoque christianae debet esse accommodatum*, §. *XXVI. Subditorum officia circa solennia principum exponuntur, & primo ostenditur, varios, pro variis moribus gentium, esse ritus laetitiam declarandi*, §. *XXVII. Inter vsitatissimos modos referendae sunt publicae acclamationes*, § *XXVIII. Duo a subditis maxime euitanda sunt vitia, contra decorum pugnantia: cynicismus & adulatio*, §. *XXIX. Adulationis erga principes exempla singularia*, § *XXX. Inepta adulatio ipsis principibus displicet*, §. *XXXI. Reliqua vitia, quibus a subditis in solennibus principum contra decorum peccatur, indicantur*, §. *XXXII. Christianam disciplinam non respuere externa reuerentiae signa*, §. *XXXIII. Cumprimis fas est, vota pro salute principis nuncupare, quorsum & solen-*

& solennes acclamationes pertinent, §. XXXIV. An improbo principi acclamare liceat: viuat? §. XXXV. Laudantur christiani veteres, quod imperatoribus diuinos tribuere noluerint honores, §. XXXVI. itemque, quod alios ritus vitium inuoluentes sibi obtrudi non passi sint, §. XXXVII. Quare decori neglectus veteribus christianis exprobratus sit? §. XXXVIII. Applicantur haec ad nostros mores, & exemplo veterum ostenditur, quo pacto christiani circa solennia principum se gerere debeant, §. XXXIX Dissertationi finis imponitur, cum voto, pro salute potentissimi & serenissimi Regis Borussiae, §. XL.

§. I.

GVIDO PATINVS, vir doctrina & ingenio praestantissimus, idem tamen, si mores spectes, interdum ϛωικότερος, apud amicum excusaturus, quod splendidum Polonicae legationis in vrbem Parisiensium ingressum spectare neglexisset, libere profitetur, se vix a libris suis surrecturum, si Salomo rex cum regina Sabaea, & omni pompa sua, vrbem intrarent. (a) Sapienterne an secus, dubitari forte possit. Enimuero, qui solennes publicorum negotiorum apparatus ideo saltem spectant, aut iis interfunt, vt vo-

(a) *t. I. ep. VIII. p. 35.*

luptatem quandam inde capiant, vel pravarum etiam cupiditatum, quibus lacerantur miſere, alimentum aliquod quaerant, ſtulte agere, & vix hominum, nedum ſapientum, multo minus chriſtianorum nomine dignos eſſe, in confeſſo forte erit apud omnes, officiorum ſuorum non plane ignaros aut immemores. At ea eſt rerum humanarum hodie conditio, vt interdum neceſsitas quaedam imponatur viro ſapienti, ea agendi aut permittendi, quae, ſi ex ipſius arbitrio penderent cuncta, nec ageret ipſe, nec temere permitteret. Interim in eo, vt in omnibus vitae humanae partibus, ſapientum ſtultorumque, proborum ac improborum maximum eluceſcit diſcrimen, quod hi cupide ea ſectentur, arripiantue, & ſine modo, ſine lege in ea ferantur, quae illi non niſi caute, & inuiti fere, niſi in quantum forte ſe ad id obligatos obſtrictosque ſentiunt, admittunt. Sollicitus autem cumprimis eſt vir ſapiens, quid in his omnibus deceat, hoc eſt, quid decori ratio, ad leges diuinas atque humanas, rectaeque rationis praeſcriptum attemperata, exigat, ne aut Deum, improuide cuncta ſectando, aut approbando, quae recepta moribus & introducta ſunt, offendat, aut temere cuncta reiiciendo, quae tamen ſalua honeſtate pietateque admitti potèrant, debitam magi-

magistratibus non praestare reuerentiam, aut fluctus excitare in simpulo, videatur. Atque hoc in praesenti dissertatione paulo accuratius excutere, operae pretium duximus.

§. II. Si in prima hominum genus perstitisset innocentia, nullis opus fuisset ritibus, ceremoniis atque solennibus. At postquam prauarum cupiditatum veneno omnes infecti sunt, &, quod inde consequi necesse erat, inaequalitas quaedam inter homines introducta, qui ambitionis oestro perciti erant, non contenti imperio in alios, voluerunt etiam, vt externis signis suam subiectionem demonstrarent, qui ab illorum vtcunque pendebant nutu. Ita rituum ceremoniarumque disciplina semel introducta, mox homines in eam ingressi sunt sententiam, nihil nec in sacris, nec in profanis, nec in publicis, nec in priuatis, recte sine ritibus ceremoniisque peragi: imo his maxime vnumquemque suum & erga Deum, & erga alios homines, demonstrare posse affectum. Accesserunt vero & aliae cupiditates, quibus ista rituum ceremoniarumque disciplina displicere non poterat. Namque ipsa illa rerum actionumque varietas, non poterat non delectationem afferre voluptatem sectantibus: & postquam

ad solennia tum sacra, tum ciuilia, peragenda, certos homines velut pretio conduci oportebat, non poterat hoc non opportune admodum accidere illis, qui ex re qualibet lucrum captant.

§. III. Qui autem sapientiae praeceptis ad virtutem honestatemque, pariter ac sublimiorum rerum omnium intelligentiam, animum erudiebant, facile quidem summam hominum miseriam, externis hisce inhaerentium, iisque ad suam perniciem abutentium, perspiciebant: at simul, quod ad ordinem aliquem, sine quo vita hominum socialis consistere nequit, conseruandum, certi ritus ceremoniaeque necessariae sint, intelligebant: hinc discernendos innoxios ritus a nocentibus iudicabant, illosque ita dirigendos, vt, quam minime possent, prauas hominum irritarent aut augerent cupiditates, legibus contra diuinis, ad internam externamque hominum felicitatem tendentibus, attemperarentur. Exemplum illustre hic praebet sapientissimus Ebraeae gentis legislator Moses, qui, cum videret, ritibus & ceremoniis ita deditos Israelitas, vt sine illis vix contineri in obsequio possent, plures illis ritus ac ceremonias indulsit, sed ita, vt mandato diuino eas seligeret, quae nullum per se inuoluerent vitium, aut cupiditatem quandam temere

temere irritarent, simulque, vt illis significationem rerum sublimium, scituque ad veram felicitatem consequendam necessariarum, adiungeret.

§. IV. Atque hinc vtcunque intelligitur, quaenam origo sit atque indoles decori, in quam prolixius inquirere supervacaneum merito ducimus, cum ex instituto summo studio hoc agat vir doctissimus, celeberrimusque, CHRISTIANVS THOMASIVS noster, cui cum reliquis philosophiae, praesertim practicae, partibus, decori quoque doctrina hoc debet, vt haud paulo nitidior cultiorque iterum in lucem prodeat. Interim cum decori ratio generatim quidem, nostra opinione, consistat in conformatione actuum nostrorum cum sensu iudicioque aliorum, in illis, quae legibus diuinis aut humanis non sunt vetita, haud difficulter quiuis intelligit, in quo decorum circa solennia principum positum sit. Distincte namque hic, quid principem, quidue ciues aut subditos deceat, considerandum: ad specialiora, quid ministros principis, aut sacri ordinis viros deceat, descendere, instituti nostri non patitur ratio. Principis nimirum officium est, eos adhibere ritus atque solennitates, quae per se non sint noxiae, & ad certum reique publicae vtilem finem tendant, nihil denique admittere, quo diuinae violari

queant leges. Ciuium contra, praescriptos ritus accurate obseruare, nec quicquam agere, quod voluntati principis eiusque scopo repugnet, maiorem tamen in his omnibus habere curam legum diuinarum, quam humanarum constitutionum. Sed haec omnia paulo distinctius, & per obseruationes speciales, explicanda sunt.

§. V. Primo quidem illud certum exploratumque est, externis potentiae atque imperii symbolis, quorsum & ritus atque ceremonias solennes refero, non posse carere rempublicam. Est enim ea hominum plerorumque, praesertim plebeiorum, indoles, vt sensibus & imaginatione plus valeant, quam iudicio & intellectu: adeoque etiam rebus, quae in sensus cadunt, oculosque perstringunt, acrius moueantur, quam argumentis rationibusque luculentissimis. Nunquam Antonius doctissima licet elaboratissimaque oratione ita mouisset Romanorum animos, quam illos mouit producendo exponendoque coram illis vestem Caesaris, sanguine ipsius aspersam. (b) Possemus plurimis nunc comprobare exemplis, externo oris habitu, corporisque specie, aut metum, aut amorem, aut venerationem, aut commiserationem in ciuium aut militum animis excitasse ciuilium rerum artifices, prout id

(b) *Sueton. in Iul. Caes. c. LXXXIV.*

id rebus suis expedire rati sunt. Haec ergo cum in aprico posita sint, cumque simul illud nemo inficiari possit, ad reipublicae stabilitatem ac conseruationem omnino necesse esse, vt subinde ad venerationem erga principem excitentur ciuium animi, simul patet, non posse rempublicam externis istis carere. Si vel centies inculces plebi, parendum esse principi, hoc iubere Deum, hoc iubere rationem, nihil efficies, si is, qui imperare debet, non alio, quam quiuis ciuium, habitu incedit. Contra pone principem purpura fulgentem, ministris stipatum, circumdatum satellitibus, ad admirationem, ad venerationem, ad obsequium statim omnes proni erunt; praesertim, si rationibus externa haec species accedat.

§. VI. Veneratio scilicet, quae a ciuibus erga imperantes requiritur, quaeue inter efficacissima media, continendi in fide & obsequio plebem, merito refertur, ex iudicio seu opinione, quae animo nostro de alterius praestantia, perfectione, magnitudine, insidet, originem ducit. At ista opinio interdum iustis rationibus nititur, si alterius scilicet virtutem, sapientiam, aut dotes, quae dignum eum reddunt, vt caeteris imperet, exploratas perspectasque habeamus, aut diuini etiam mandati, summam auctoritatem imperantibus

tibus conciliantis, vim ponderemus. At apud eos, qui iudicare recte & ratiocinari non didicerunt, quod de plerisque mortalium pronunciandum, vana quaedam persuasio, aut obiectum aliquod externum, aures oculosque perstringens, rationis locum tenent. Hinc callidi quidam principes credulitate ista plebis, & ad quidlibet sibi persuadendum pronitate, abusi sunt, dum diuinitatis sibi conciliare opinionem variis commentis politicis non dubitarunt. Alexander sane Macedo, ne hominis quidem nomine dignus, certe iudice SENECA (c) a latronibus non distans, nisi quod illos scelerum magnitudine vinceret, *Iouis filius non dici tantum, sed etiam credi voluit*, teste Q. CVRTIO. (d) Nunquam inducere animum possum, vt credam, Alexandrum serio sibi persuasisse, quod Deus esset, sed, vt erat vir callidus atque solers, ad vastum, quod partim tenebat, partim moliebatur, imperium administrandum, subditosque tam diuersos, ingeniisque & moribus differentes, in fide & obsequio continendos, vtile rebus suis esse, censebat, hanc illis iniicere persuasionem. Idque illi tanto facilius videbatur, quod Asiaticis populis, ab eiusmodi opinionibus haud alienis, sine vllo negotio tale quid per-

(c) *de benef. lib. I. cap. XIII.* (d) *lib. VIII. cap. V. n. 5.*

persuaderi poterat, suffragante praecipue rerum ab illo gestarum magnitudine & celebritate. Atque hoc ex eo comprobari potest, quod tum maxime ad haec consilia animum adiecit, cum expeditionem in Indiam moliretur: voluitque adeo, falsam hanc persuasionem praesentiae apud recens deuictos ceteroquin necessariae, vicem supplere. CVRTIVS hoc regis consilium non satis intellexisse videtur, ita verba faciens: Iouis filius non dici tantum, sed etiam credi volebat, *tanquam perinde animis imperari posset, ac linguis.* Certum est, animis imperari hactenus non posse, vt aliquis verum esse credat, quod falsum esse perspicit, sed tamen, si credulis simplicioribusque vanae opiniones iniiciantur, quos a veris discernere nequeant, manifestum est, quod per eas ad aliorum lubitum circumagi possint.

§. VII. Possem hoc aliis adhuc comprobare exemplis, praesertim vero arcana politica, sub consecratione seu ἀποθεώσει imperatorum Romanorum latitantia, hic eruere, si hoc nunc agerem. Sed vnum saltem alterumue huius rei documentum afferre, non abs re fuerit. Datur haec venia antiquitati, inquit TITVS LIVIVS, (e) vt, miscendo humana diuinis, primordia vrbium augustiora faciat. At non

(e) *in praefat.*

non tantum ad vrbium, sed gentium quoque atque familiarum, ordinumque, & aliarum rerum primordia augustiora facienda, humana miscere diuinis, perquam solenne est. Hinc quot non narrantur fabulae, quot commenta de origine illustrium familiarum, de conuersione gentium, aut familiarum ad religionem christianam? quem in finem? *vt primordia rerum augustiora faciant*, & ad ciuibus venerationem erga imperantes iniiciendam. Et si vel maxime ab ineptis adulatoribus eiusmodi fabulae inuentae sint, callide tamen a peritioribus deinceps fouentur, & inter dominandi referuntur instrumenta. Exemplum illustre praebent decantatissima ista Gallorum cimelia, *Ampulla Rhemensis*, *Scutum liliatum*, *& Auri flamma*, quae caelitus demissa, & Clodouaeo regi a Deo donata, adeo nulla, ne vero-similitudinis quidem specie, narrantur, vt vel mediocri iudicio pollentibus non possint non risum extorquere. Nihilosecius, cum haec persuasio vulgi, nescio quam praerogatiuam Galliae regibus ex eo accedere, magnam illis conciliet venerationem, aulici & mysteriis politicis imbuti, eam continuare non dubitant. Callidissime etiam, cum bellis ciuilibus arderet Gallia, federati in comitiis Blesensibus A. M. D. LXXXIV. legem quasi fundamentalem sanxerunt, *vt nemo rex legitimus*

gitimus in posterum haberetur, priusquam Durocortori Remorum sacro oleo, quod in B. Remigii coenobio religiose asseruatur, more solenni inunctus esset. Vulgi enim opinionem ita confirmandam putarunt, rati, quod res erat, eo difficilius eius obsequium impetraturum regem, quem ipsi, ne oleo isto inungeretur, impedire possent. Consiliis certe istis apprime respondebat euentus. Ad Henricum namque IV. cum summa rerum peruenisset, mox nihil magis rebus suis, vulgi iudicium persuasionemque metuens, obstare vidit, quam quod ampullam istam Rhemensem in sua non haberet potestate. Cum ergo A. M. D. XCI. Autrici Carnutum coronatus, nec oleo sancti Remigii vnctus esset, variis opus erat artificiis ad persuasionem istam plebi adimendam, ne in opinione, ac si rex non rite coronatus esset, persisteret. Hinc primo *decretum illud* (federatorum) *vt insolens & astu Guisianorum, qui vrbem & insignia regia in potestate habebant, ab emissariis suis propositum, prudentiores arguebant,* inquit THVANVS, *& iniquum esse dicebant, legitimam regni successionem, quae proximo agnato lege regni defertur, loco certo includi. Itaque,* pergit (f) *tum magno consensu decretum fuit, nihil causae esse, cur minus solennis inauguratio dici deberet, etsi minime Durocortori facta esset.*

(f) *lib. CVIII. ad A. M. D. XCIV.*

esset. Sed cum haec apud populum superstitione potius, quam rationibus, regi aptum, parum proficerent, ad aliud confugiendum fuit strategema, & pro oleo Remigiano substituendum oleum Turonense, simulque conquirenda varia argumenta, quibus populo persuaderetur, Turonense oleum, si non praestaret Remigiano, nihil tamen eidem cedere. THVANVS rationes, quibus aula se ad captum populi attemperauit, ita edisserit: *Nam praeterquam, quod de eo* (oleo Remigiano) *a multis ambigitur, quippe cum de illo ipse S. Remigius in testamento suo sileat, nec Gregorius Turonum praesul, aliusque ex veteribus fide dignus auctor, mentionem eius faciat, chrisma-, quod ab episcopis conficitur ad id* (inaugurationem regis) *sufficere. Et si coeleste oleum,* QVO MAIOR VENERATIO CONSECRATIONI *concilietur, adhiberi oporteat, longe certioribus testimoniis de oleo coelesti, quod maiore in monasterio Caesaroduni Turonum religiose asseruatur, constare; quippe quo CXII. annis ante Clodouaeum sacro lauacro a S. Remigio susceptum, B. Martino per scalas forte prolapso, cum exanimis iaceret in cellula, angelum nocte visum tanquam salutari vnguento eius vulnera eluisse, & contusi corporis superleuisse liuores, tradit Sulpitius Seuerus, atque ita postero die restitutum sanitati Martinum, vt nihil vnquam pertulisse incommodi putaretur. Idem & a Venantio Fortunato*

nato Pictauii, & Pontio Paulino Nolae episcopis tradi, & ab Albino seu Alcuino Caroli M. praeceptore, cum de B. Martini miraculis agit, confirmari. Mihi sane prudentiores, & Remigiano & Turonensi oleo idem pretium statuisse videntur: interim ad decipiendam plebem aliquid comminiscendum erat. Nec credere possum, inter eruditos Galliae viros vllum tam iudicii omnis inopem esse, vt serio sibi persuadeat, tale vnquam in baptismo Clodouaei contigisse miraculum, vnde, si hos rectiora edocere voluit IO. IACOBVS CHIFFLETIVS, in erudita sua de Ampulla Rhemensi commentatione, in qua operose hocce commentum explodit, operam, mea opinione, oleumque perdidit; sin plebeios liberare errore hocce populari voluit, dubito, an magnam apud aulicos inierit gratiam, quorum interest, a populo talia commenta credi. Prudentius forte historici isti Franciae, qui aperte vocare hoc in dubium ausi non sunt, ne arcanum istud euulgaretur, interim nec pro vera historia venditarunt, ne se peritiorum ludibrio exponerent, sed plerumque popularis fidei nota, *vt aiunt, fertur, rumor est*, quae suo hac de re animo sederet opinio, prodiderunt, id quod etiam obseruat celeberrimus vir IO. CHRISTOPHORVS BEGMANNVS, ad MICHAELEM RITIVM, IO. SERRIVM, FRANC. BALCARIVM, aliosque prouocans.

cans. (g) De reliquis Franciae cimeliis, scuto scilicet liliato & auri flamma idem censendum, consentientibus doctissimis rerum Gallicanarum scriptoribus, & quicquid de diuina horum origine traditur, inter commenta fabulasque referentibus.

§. VIII. Quantumuis autem valde receptum sit, falsis populi persuasionibus ad imperantium aut reipublicae commodum vti, exinde tamen nondum euictum est, recte haec ita atque licite fieri. Grauissimus hic error est, & in christianis minime ferendus, licet doctissimos viros, interque eos GABRIELEM NAVDAEVM, defensorem nactus sit, id statim perpetrare fas esse, quod expedit reipublicae, cum vera potius philosophia contrarium doceat, noxium scilicet esse reipublicae, quod non idem simul sit honestum. Nefas autem esse, falsis opinionibus superstitioneque populum circumagere ad libitum, probari haud ita difficili negotio potest, modo obseruetur, non omnium errorum falsarumque opinionum eandem esse indolem. Quaedam enim ita comparatae sunt opiniones, vt voluntatem simul inficiant, hominesque ad praua ducant, aut impium aliquid Numinisque honori contrarium innoluant: quas qui populo iniiciunt, aut eas

(g) *in notit. dignit. illustr. dissertat. IV. cap. II. §. IV.*

eas fouent, grauissimis citra controuersiam se sceleribus polluunt. Quo loco omnia ista commenta habeo, quibus rerum dominis diuinitatis cuiusdam opinionem conciliare, rerum ciuilium artifices anniſi sunt. Aliae contra superstitione imbuunt populi animos, & occasionem, totam religionem christianam in dubium vocandi, aut inter principum ac clericorum strategemata referendi, illi praebent, de quibus, quin idem censendum sit, nemo forte dubitauerit. Huc Gallorum ista figmenta de ampulla Rhemensi, scuto liliato & auri flamma & quae his similia sunt, referre nullus dubito. Ego quidem semper ita existimaui, nullam rem aeque nocuisse christianae religioni, & ad atheismum plures seduxisse, quam summam illam miracula ludicra & inepta, vti pleraque sunt, fingendi lubidinem, eaque defendendi facilitatem. Quodsi vero opinio quaedam sit per se innoxia, & ex qua nullum ad quenquam, siue ita, siue aliter sentiat, damnum redundare queat, de ea disputari forte, an ista ad reipublicae vtilitatem vti fas sit, posset. Constat namque, praestantissimorum iuris naturalis doctorum hanc esse sententiam, licitam esse eam fictionem, quae alteri nulli modo nocet. Nihilosecius, cum saepius periculum aliquod, quod prima fronte non

ſtatim apparet, iſtas fictiones comitetur, nulla quoque neceſsitas nos cogat, eas vſurpandi, cum certus ſim, poſſe rempublicam ad verbi diuini rectaeque rationis praeſcriptum ſine vllis commentis politicis recte feliciterque adminiſtrari, ſatius eſt & cordato ſapienteque viro dignius, ab hiſce commentis & vulgi turbamentis ſibi temperare.

§. IX. At aliter pronunciandum de externis poteſtatis & imperii, ſignis, atque ſymbolis. Optandum eſſet, vt omnes ciues rationis potius iudicio, quam ſenſuum repraeſentationibus, ſtarent: nihiloſecius, cum imbecillitatibus hominum aliquid dandum ſit, venerationemque, obſequii & fidei matrem, a ciuibus non aliter obtinere princeps queat, quam ſi externam quoque ſibi circumponat maieſtatis ſpeciem, adeo hoc illi vitio vertendum non erit, vt, ſi intermittat, peccare contra prudentiae regulas merito cenſeatur. Hinc mirum non eſt, nec reprehendendum, quod ſaepius in minimis ἐξοχὴν quandam prae ciuibus ſibi aſſerant imperantes. Documento eſſe poteſt conſtitutio illa Honorii & Theodoſii, ne quis priuatus titulos praediis ſuis vel alienis imponat, vel regia vela ſuſpendat. Licet enim & aliae forte huius conſtitutionis ſint cauſae, hanc tamen, quam innuimus, ſi non vnicam, ſaltem

saltem ex praecipuis esse, haec demonstrant verba: *Regiae enim maiestatis est, vt nostrae tantum domus & patrimonia titulorum inscriptione legantur.* (h) Sic & in cultu corporis atque vestitu merito imperantibus praerogatiua conceditur, cum istud ad venerationem illis conciliandam plurimum faciat, modo ne nimius sit & in luxum degeneret. Quamobrem recte quoque prohibent, ne subditi eo vestimentorum vtantur genere, quod principibus proprium velut est & peculiare. Quorsum constitutio Valentiniani pertinet, (i) qua sancit, *ne quis vestes auratas gerat praeter principem, ne quis vellera sacro murice intingat, ne quis fericas vel holopurpuras vestes, & quibus princeps vtitur, vsurpet.* Rationem affert Theodosius imperator, quod haec *soli principi eiusque domui dicata sint.* (k) Hinc & purpurae nundinae, eandem ob causam, prohibitae sunt. Purpura enim imperatoribus adeo propria fuit, vt, qui eos salutabant, *sacram purpuram adorare* dicerentur. Immo licet huc omnia imperii insignia referre, quae, vt imperantibus atque magistratibus sua constaret auctoritas, introducta esse, nemo forte dubitauerit. Nihil dicam de republica Romana, quam, cum adhuc libera esset, honori & auctoritati magistratuum suorum

(h) *l. I. C. vt nemo priuat. &c.* (i) *C. de vestib. holos. & aur.* (k) *l. 4. C. eod.*

rum per lictores fasces praeferentes, certaque vestimentorum genera, aliaque imperii & potestatis symbola consuluisse, vel pueris notum est. Nec quicquam eorum intermiserunt imperatores, cum, mutato reipublicae statu, summa rerum ad illos rediisset. Hinc *fortunae principalis insignia* TACITO (l) memorata. *Mox vniuersum*, inquit, de Vitellio verba faciens, *exercitum occurrere infanti filio iubet, perlatumque & paludamento opertum, sinu retinens, Germanicum appellauit, cinxitque cunctis fortunae principalis insignibus.* Quaenam autem ista fortunae principalis insignia fuerint, alibi idem TACITVS (m) explicat: *defuncto Augusto signum praetoriis cohortibus, vt imperator, dederat* (Tiberius.) *Excubiae, arma, cetera aulae. Miles in forum, miles in curiam comitabatur.* Eundem ferme in modum de Gordiano HERODIANVS: (n) *sequebatur ipsum principalis pompa omnis, milites, quicunque aderant, iuuenesque vrbani procera statura, ad eorum similitudinem, qui Romae imperatorem comitabantur: virgae item laureatae, quo insigni principes a priuatis dignoscuntur. Praeterea ignis de more praeferebatur, &c.*

§. X. Quae cum ita sint, mirum non est, quod sanctissimi etiam gentis Ebraeae reges, externum eiusmodi sibi circum-

(l) *histor. lib. II. c. LIX. n. 6.* (m) *annal. lib. I. cap. VII. n. 5.* (n) *p. m. 202.*

circumponere splendorem, regioque plane cultu vti, nulli dubitarint. Nihil de Salomone dicam, quem, laetioris fortunae blanditiis deceptum, a luxuria tandem prope abfuisse, aliquis existimare posset. Ipse rex Dauid, optimi principis pulcherrimum exemplum, ad regiam tamen magnificentiam nihil sibi deesse voluit. Namque, vt alia taceam, praetorianam sibi constituit cohortem, quae regi semper praesto esset, non tantum ad securitatem suam, sed & ad splendorem aulae augendum. Hi enim sunt, qui in scriptura sacra *Crethi* & *Plethi* nomine designantur: quosue FLAVIVS IOSEPHVS, (o) σωματοφύλακας, corporis custodes, seu satellites, apte vocat. Nec enim aliud quid hac voce innui, & res ipsa docet, & doctissimi interpretes fatentur, ex quibus nunc SANCTIVM saltem audire iuuat: (p) *Hi*, inquit, de Crethi & Plethi loquens, *absque dubio viri fuerunt, qui & corpore fuerunt robusti & rei periti bellicae, & quorum iam esset comperta fides, & quibus regii corporis credita esset custodia, quos nos latino vocabulo* PRAETORIANOS *appellamus*: & paucis interiectis: *hoc mihi certum est, aliquid hisce vocibus significari militare, neque enim aliter diceretur: legiones Crethi & Plethi. Deinde has non esse cum reliquis militum ordinibus confusas,*

(o) *lib. VII. antiquit. iudaic. cap. VI. XI. & alibi.* (p) *in comment. ad II. Sam. IIX. 18.*

sed tantum regiae custodiae destinatas, quia aliter potius parerent Ioab, qui princeps exercitus erat, quam Banaiae. Deinde, quia hi comitati dicuntur Dauidem, cum fugeret a facie Absalon XV. v. 18. quasi nefas crederent, regem in eo rerum articulo deserere, cuius ipsis commissa fuerat custodia. Adstipulantur illi MENOCHIVS, (q) DRVSIVS, (r) GROTIVS, (s) aliique.

§. XI. Constat ergo ex hactenus dictis, nec carere rempublicam externis imperii symbolis posse, & recte etiam liciteque ab imperantibus interdum ea adhiberi. Inter ista potentiae & imperii documenta, *solennia* quoque *principum* nunc locum suum occupant. Nec enim aliud quid hoc nomine designamus, quam actus publicos, certis ritibus atque ceremoniis, ad magnificentiam principis demonstrandam, & venerationem ciuium erga illum excitandam aptis, circumscribi, & tum maxime exerceri solitos, cum aliquid contigit, aut gestum est, cuius notitiam ad omnes aut multos saltem peruenire, reipublicae interest. Sic interest reipublicae, vt natiuitas liberorum principalium omnibus innotescat; itemque, vt constent illis matrimonia imperantium, ne ignorent, quos, & quo ordine habituri sint imperantes; idemque censendum de morte virorum

(q) *lib. I. de republ. Ebraeor. cap. X.* (r) *ad Soph. II. 5.* (s) *ad Ezech. XXV. 16.*

rum aut faeminarum, qui partem regnantis domus constituunt. Haec itaque publicis consuetisque celebrari ritibus, ratio iubet, ne quem fugere forte ea possint, quae scire omnes debent. Beneficia, quae per bonos principes Deus ciuibus praestat, tunc quam rectissime illis in memoriam reuocantur, cum illi dies, qui haec coeli pignora mortalibus primum concesserunt, illucescunt: adeoque & pietas, & grati animi demonstrandi necessitas, postulant, vt natales imperantium dies inter preces & gratiarum actiones, & publicas laetitiae significationes transigantur. Idem merito obtinet, cum nouis aut ditionibus aut dignitatibus domus augusta aucta est, aut victoria ab hostibus reportata, aut alia felicitatis ad eam facta est accessio. Haec enim omnia vt ignorari a subditis non debent, ita, publicis gaudii significationibus ea concelebrari, par est. De reliquis solennium causis idem censendum, quas varias multiplicesque esse, neminem fugit. In hisce autem vt merito augustiori quadam forma principes subditis se conspiciendos praebent, ita, dum ea agunt, quae tum ad amorem subditorum augendum, tum ad venerationem illorum sibi conciliandam aliquid conferunt, nihil sane committunt, quod reprehendi debeat.

§. XII. Quod ergo ad decori leges, in hisce solennibus a principe obseruandas, attinet, primo quidem necesse est, vt ad gentis cuiusque consuetudinem, populique opinionem, consuetudini moribusque receptis innixam, sese attemperent. Consistit enim decorum in conformatione actuum nostrorum ad sensum iudiciumque aliorum. At sensus iudiciaque aliorum oppido variant, idque saepius sine vlla ratione, saltem ideo, quia homines hoc pro pulchro, illud pro foedo, aliud pro splendido & magnifico, aliud pro vili & tenui reputare consueuerunt. Hinc recte dictum est: *non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia maiorum institutis iudicari:* quod pluribus sapientissimi viri PLATO, (t) PLVTARCHVS, (u) SEXTVS EMPIRICVS, (x) QVINTILIANVS, (y) MAXIMVS TYRIVS, (z) aliique ediserunt. In regno Congo, cum rex inauguratus est, proceresque eum, in arcem suam se conferentem, comitantur, populus inter eundum puluere atque arena regem conspergit, tum ad laetitiam suam demonstrandam, tum vt in memoriam ei reuocet, ea lege natum eum esse, vt redire aliquando in pulue-

(t) *lib. I. de legib. p. 637.* (u) *in Themistocle p. 125.* (x) *Pyrrhon. hyp. p. 151* (y) *lib. III. cap. IX.* (z) *dissertat. I. p. 2.*

puluerem debeat. De Indiae imperatore, quem mgnum Mogolem vocant, commemorant. quod natalem suum diem celebraturus librae imponatur, appensis globulis, auro argentoue, & gemmis repletis, magnumque laetitiae argumentum populo praeberi, si intelligat, grauius regis pondus esse, quam anno praecedenti fuit. Ritum istum ita describit THEVENOTIVS, (a) cuius Germanica saltem ad manus est versio: *Vnd vvöllen die ersten Könige die Gevvohnheit eingeführet haben, sich an diesem Feste zu Vermehrung der Lust in einer Wage vvägen zu lassen, so vnterlässet der regierende Herr solches niemahln. Die Waage, vvorinnen die Solennität geschiehet, scheinet sehr kostbar. Man saget, daß die Ketten von Golde sind, ingleichen die 2. mit Edelgesteinen versezte Schalen, nebenst dem Queer Balcken daran, vvievvohl etliche behaupten, daß alles nur vergüldet sey. Der König setzet sich reichlich bekleidet vnd mit Iubelen behangen auf die Ferse in die eine Wage-Schale, vnd in die andere legt man Ballen, vvelche so vvohl zusammen gepacket sind, daß nicht zusehen ist, vvas darinnen enthalten. Man beredet das gemeine Volck, daß solche Ballen, die offters vmgevvechselt vvérden, voll Gold, Silber, Edelgesteine oder herrlichen zeugen sind, vnd die Indianer sagen eben dieses denen Frembden vor, vm dadurch ihr Land zu rühmen.*

(a) *in itin. Ind. orient. lib. I. cap. XXVI.*

men. Hierauff vvird der König nebenſt vielen guten eſſenden Waaren gevvogen, vnd ich halte davor, daß dasienige, vvas ſich in beſagten Ballen befindet, nicht viel koſtbarer ſey. Iedennoch muß man ſich in Beyvvohnung des Feſtes anſtellen, als glaubte man dem allen, vvas davon geſagt vvird, vnd auff die publication deſſen, vvas der König vviegt, vvohl acht haben, dann ſie ſchreiben es nach offentlicher Ausruffung mit Fleiß auff. Wann man in dem Regiſter ſiehet, daß der König mehr als das vorige Iahr vvieget, bezeuget man ſeine Freude durch Glückvvünſchungen &c. De gente Mexicana conſtat, paſſimque traditur, eam nouum regem iureiurando obſtringere, eum effecturum, vt ſol curſum ſplendoremque ſuum teneat, nubes pluant, rivi currant, & terra producat omne genus frugum, cuius tamen non alium ſenſum eſſe, vir quidam doctus contendit, (b) quam quod rex bonis legibus, rectoque & pio imperio, naturam eiusque auctorem in commoda reipublicae flectere debeat. Haec & alia quam plurima Americanarum, Aſiaticarum, Africanarumque gentium inſtituta cum noſtris collata moribus partim inepta, partim etiam nobis videntur ridicula: at, quin illi de noſtris inſtitutis idem laturi ſint iudicium, ſi occaſio cum ſuis ea conferendi illis daretur, nul-

(b) *Phil. Helfricus Krebs, in tract. politico-iurid. de ligno & lapide, ſect. II. §. I.*

nullus plane dubito. Certe coronandi atque vngendi reges ritus, quam nobis honestus & splendidus videtur, tam aliis gentibus forte reputabitur ridiculus, cum, apud christianos tantum eundem frequentari, constet. Quae cum ita sint, principis est, a peregrinis sibi temperare ritibus moribusque, non tantum, quod decorum, ab hominum opinione maximam partem pendeat, sed quod interdum etiam subditi peregrinis institutis offendantur. Constat hoc de Vonone Parthorum rege designato, suisque magnopere displicente, quod Romanis vteretur moribus. *Accendebat*, inquit prudenter CORNELIVS TACITVS, (c) *dedignantes, & ipse diuersus a maiorum institutis, raro venatu, segni equorum cura: quotiens per vrbem incederet, lecticae gestamine, fastuque erga patrias epulas. Irridebantur & Graeci comites, & vilissima vtensilium annulo clausa; sed prompti aditus, obuia comitas, ignotae Parthis virtutes noua habebantur vitia, & quia ipsorum moribus aliena, perinde odium prauis & honestis.*

§. XIII. Debet vero decorum non tantum iudicio & opinioni populi, sed rationi quoque rectae esse conforme. Huc eos primo refero ritus, qui religioni cuiusque gentis sunt attemperati, & populo diuinam imperantium constitutionem in memo-

(c) *annal. lib. II. c. II. n. 5. 6.*

memoriam reuocant. In consecrationibus & inaugurationibus regum principumque christianorum plures eiusmodi ceremoniae occurrunt, quos *decori christiani* nomine posses designare. Huc primo ipsam refero vnctionem, ab Ebraeis ad christianos deriuatam, & eo, ni fallor, comparatam, vt imperans hoc velut symbolo profiteatur, a Deo summam sibi concessam potestatem, ab eoque se expectare corporis animique vires, ad impositum munus recte obeundum. Nimirum corpora recreationis & voluptatis causa oleo perfundere, vsitatum ab antiquissimis temporibus fuit apud orientis populos, sudore, sine dubio a calore, cui expositi sunt, excitato, eos ad hoc inuitante. Quemadmodum autem homines ea, quae illis grata sunt, libenter adhibent, ad affectum suum erga alios demonstrandum, immo erga ipsum Deum, ita consuetudo obtinuit, quae Deo consecrata volebant, oleo inungendi. Deus autem, qua est incredibili erga mortales benignitate, illorum interdum aliquid indulget imbecillitati: adeoque, dum ecclesiam remque publicam Israelitarum constituit, tabernaculum omniaque eius vasa, vnctione ab vsu profano seiungi, cultuique suo sacrari voluit. Hinc, quod sacrum, Deoque peculiari ratione dicatum esse debuit, oleo inunctum est. Vncti itaque

sunt,

sunt, iussu quidem Numinis, summi sacerdotes: vncti vero & reges sunt, vt ostenderetur, hos non minus sanctos esse, Deoque consecratos, quam illos. Hinc MAIMONIDES, (d) doctissimus facile Ebraeorum: *quando regem constituunt, eum vngunt oleo vnctionis, vti dicitur: & accepit Samuel lenticulam olei & effudit in caput eius, & osculatus est eum.* Vt vero in minutiis & ritibus istis valde curiosi esse solent homines, quippe quibus maxime capiuntur, ita doctores etiam Ebraeorum oleum, quo reges in solenni inauguratione inuncti sint, accurate describunt, (e) simulque innuunt, sacerdotes summos atque reges eodem oleo consecratos fuisse, quod tamen nonnullos ex christianis doctoribus male habet, quippe qui in hoc etiam capite, quandam Romani pontificis prae reliquis orbis christiani principibus, praerogatiuam quaerunt. Quos tamen ipsi Ebraei conticescere iubent. (f) Sed reliqua, quae de regum Ebraeorum vnctione afferri poterant, praetermittimus, cum diligenter ea exposuerit ex ipsis iudaeis ISAACVS ABARBANEL in dissertationibus

(d) *de regibus Ebraeorum, ex versione Melchioris Leydeckeri, cap. I. §. VII.* (e) *conf. Hottingerus de legib. Ebraeor. §. CVII. CVIII.* (f) *vid. Leydeckerus in not. ad Maim. tract. de regib. Ebraeor. c. I. §. X. p. m. 14.*

dissertatione *de iudicum & regum in veteri testamento differentia*, quam in latinum sermonem transtulit IO. BVXTORFFIVS. (g)

§. XIV. Quando vero ab Ebraeis ad christianos mos inungendi reges translatus sit, de eo, mea quidem opinione, vix certi quid definiri potest. Qui, post Emanuelis Comneni tempora apud Graecos hunc ritum demum introductum, & ab iis ad Francos delatum, autumant, rationes temporum ignorant, & rerum historicarum turpissimam ignorantiam produnt. Emanuelem namque Comnenum seculo XII. demum vixisse constat, cum contra, certum sit, & extra dubitationem positum, Carolum M. vnctione fuisse consecratum. Imo PETRVS DE ANDLO, (h) hunc primum fuisse ex imperatoribus Romanis, qui vnctus sit, diserte perhibet. *Ex Romanis vero*, inquit, *principibus primus vnctus fuit magnus Carolus: prius namque imperatores, quamvis coronatos, vnctione tamen delinitos fuisse, historiis me legisse non memini.* Certe Carolum M. vnctum fuisse constat, idque LANDVLPHVS SAGAX (i) confirmat: *ceterum Hadrianus, Carolo vicem recompensans, in imperatorem coronauit eum in templo S. Petri apostoli, perungens oleo a capite vsque ad pedes & circumdans*

(g) *in append. ad diss. philol. theol. p. 450. seqq.* (h) *de imp. Rom. l. II. c. VI. p. 72.*
(i) *hist. misc. l. XXIII.*

dans imperatoria veſte atque corona, VIII. Kal. Ian. indictione nona. Idem & ZONARAS confirmat, atque CONSTANTINVS MANASSES, vti egregie obſeruat MARQVARDVS FREHERVS,(k) qui loca horum auctorum affert. At ex hiſce documentis nondum euincitur, primum fuiſſe Carolum, qui inter imperatores vnguento delibutus ſit: namque & de Pipino, Caroli patre, & de nonnullis orientis imperatoribus, qui ante Caroli M. tempora vixerunt, idem commemoratur. ONVPHRIVS PANVINIVS, (l) *Conſtantinopoli vel ſub Iuſtiniano, vel poſt eius ſtatim obitum, electioni imperatoris additum*, dicit, *vt, cum primum imperator renunciatus eſſet a patriarcha Conſtantinopolitano in magna Byzantii baſilica, oleo vnctus, diademate redimiretur.* Praeterquam vero, quod non ſatis ſibi conſtare videatur PANVINIVS, hoc etiam eius ſententiam dubiam reddit, quod de Iuſtiniano ZONARAS, de Iuſtino CORIPPVS, memoriae prodiderunt, eos ſcutis impoſitos eleuatosque fuiſſe, cum inaugurarentur, qui fuit mos antiquiſſimus Romanis Germanisque frequentatus, reges inaugurandi, & in cuius locum deinceps vnctio cum adiunctis ceremoniis ſucceſſit. Vnde recte mihi videor colligere, quamdiu mos ſcutis imponendi eleuandique principes

(k) *in notis ad Petrum de Andlo, lib. II. c. VI. p. 163.* (l) *de comit. imp. cap. II.*

obtinuit, nondum receptam fuisse vnctionem. De Iustiniano autem, vt dixi, hoc testatur ZONARAS: καὶ ὅτι ἀσπίδος αὐτὸν μετέρσιον ἄραντες, ἀναγορεύσαι βασιλέα. De Iustino CORIPPVS:

Quatuor ingentem clypeis sublimibus orbem
Attollunt lecti iuuenes, manibusque leuatus,
Ipse ministrorum supra stetit, vt sua rectus
Litera, quae signo stabili non flectitur vnquam.

Et mox:

Astitit in clypeo princeps fortissimus illo
Solis habens speciem: lux altera fulsit ab vrbe.

Quae itidem ex hisce auctoribus adducit, quem antea laudauimus, MARQVARDVS FREHERVS, (m) qui & plura de ritu scutis imponendi principes, eosque in sublime tollendi, ibi collegit. Ex quibus omnibus id tantum conficitur, de origine huius ritus apud christianos vix certi quid pronunciari posse.

§. XV. Hunc ergo vnctionis ritum, ad diuinam regum constitutionem, subditos edocendam, valde accommodatum, sapienter etiam retinuit FRIDERICVS I. rex Borussiae potentissimus, dominusque noster clementissimus, dum reuocata iterum regia, qua Borussorum olim principes gauisi sunt, dignitate, solenni ritu, receptisque ceremoniis inaugurari voluit. Iuuabit ad perpetuam rei tam solennis memoratu-

que

(m) *l. c. p. 164.*

que dignisſimae memoriam, ritus vnctionis tum adhibitos, hic paucis inſerere, vt, quo pacto hic quoque decori ratio obſervata fuerit, omnibus conſtet. Sancitum autem decretumque a potentisſimo rege fuit, vt vnctio ſequenti modo peragerētur: *Vnter dem Trompeten-Schall ſtellet ſich Seine Maieſtät der König zur Salbung dar, vnd trit der Herr Conſecrator vnd der Herr Aſſiſtente vor dem Altar an das Bänckgen, darauff der König knien vnd die Salbung annehmen ſoll. Der Herr Conſecrator hält in ſeinen Händen einen güldenen Teller, vnd des Königlichen Herrn Ober-Kammer-Herren, Reichsgraffen von Wartenbergs, Hochgräffliche Excellentz vnd Gnaden reichen das Gefäß von Iaſpis mit dem Salb-Oele dem Herrn Conſecratori auff iezt gedachten Teller. Dieſen Teller ſammt dem Gefäße mit dem Salb-Oele giebt darauff der Herr Conſecrator dem Herrn Aſſiſtenten zu halten. Seine Maieſtät der König nimmt darauff ſeine Krone ſelbſt ab, vnd leget ſolche vvie auch den Scepter neben ſich auff ein Küſſen, vnd kniet nieder. So bald Seine Maieſtät der König niedergekniet, vvird Ihme von des Königlichen Herrn Ober-Kammer-Herrn, Reichs-Graffen von Wartenberg, Hochgräfflichen Excellentz vnd Gnaden, die Peruque ein klein vvenig zurück geſchoben, daß die Stirne gantz frey ſey. Darauff nimmt der Herr Conſecrator das Gefäß mit dem Salb-Oele von dem güldenen Teller, geuſt ſich etvvas auff die*

zvvey forderſten Finger ſeiner rechten Hand, vnd ſalbet Seine Maieſtät den König, erſtlich auff die Stirne, hernach auff den Pulß Dero rechten, vnd darauff auch auff den Puls Dero lincken Hand, vnd ſetzet das Gefaß mit dem Salb-Oele vvieder auff den güldenen Teller. Dann hören die Trompeten vnd Paucken auff, vnd der Herr Conſecrator ſpricht mit lauter Stimme zu Seiner Königlichen Maieſtät dieſe Worte: Eure Königliche Maieſtät empfahen vnd nehmen auff die Salbung, als ein göttliches Wahrzeichen, dadurch Gott ehemals durch ſeine Prieſter vnd Propheten denen Königen ſeines Volcks bezeugen laſſen, daß er ſelbſt, der höchſte Gott, ſie zu Konigen gemacht, eingeſezt, vnd verordnet hat. Vnd der Herr vnſer Gott ſalbe hierbey auch ſelbſten mit dem heiligen Geiſte Eure Königliche Maieſtät, daß ſie als ein Geſalbter des Herrn mit munteren, tapfferen vnd vvilligen Hertzen diß ihr Volck vnd Königreich beherrſchen vnd regieren, auch bey guter Geſundheit viele Iahre vnd Zeiten dem Rath vnd dem Willen ihres Gottes dienen! durch vnſern Herrn Ieſum Chriſtum, Amen.

§. XVI. Multa equidem circa hoſce ritus a nobis obſeruari poſſent, ad demonſtrandum, eſſe interdum rationes politicas, quae in minimis etiam hic nos ſollicitos eſſe iubeant. Sed vnicum ſaltem addimus. Recte nimirum potentisſimus Borusſiae Rex in capite quoque, ſeu fronte, non tantum in manibus, inungi voluit, non tan-

tantum, vt ad receptum morem reges vngendi se attemperaret, sed ne forte occasionem, praerogatiuam quandam aliter vnctis sibi vendicandi, praeberet. Constat namque, pontifices Romanos, vt supra, omnes reges principesque se efferrent, in ipsa vnctione eminentioris dignitatis argumentum quaesiuisse, voluisseque, vt isti soli in capite, reges tantum in brachiis vngerentur. Comprobari hoc potest ex constitutione Innocentii III. qui initio quidem alias huius discriminis affert rationes, (n) *principis*, dicens, *vnctio a capite ad brachium est translata, vt princeps ex tunc non vngatur in capite, sed in brachio, seu humero vel armo, in quibus principatus congrue designatur, iuxta illud, quod legitur, factus est principatus super humerum eius &c. In capite vero pontificis sacramentalis delibatio est conseruata, quia personam capitis in pontificali officio repraesentat.* At mox apertius mentem prodit, ad pontificis prae regibus praerogatiuam significandam hanc vnctionis diuersitatem vnice comparatam esse, innuens: *vt ostendatur, quanta sit differentia inter auctoritatem pontificis & principis potestatem.* At voto suo saltem hoc in capite exciderunt Romani praesules. Namque & reges principesque, Romanensis ecclesiae sacris addicti, vnctionem in capite admittere nulli dubitarunt.

(n) *de sacra vnctione* §. *Vnde.*

Versatur adhuc in omnium memoria exemplum augustissimi Romanorum Regis Iosephi, quem vnctum fuisse, constat, in ceruice, in capite, & in vtroque brachio. In imperatorum, qui per proxime elapsa secula vixerunt, vnctione licet interdum aliquid variatum sit, dum in pectore etiam nonnulli, & inter humeros vncti sunt, semper tamen etiam in capite vncti sunt. In Gallia reges primum in capite, deinde in pectore, hinc in dorso inter humeros, & demum in cubitis, facto crucis signo, inunctos, constat. In Anglia Iacobum in capite, fronte, pectore, intra humeros, in brachiis, manibus & pedibus, reginam tantum in capite & ceruice vnctam, refert THVANVS. (o) Alia exempla praetermitto, quae collegit IO. CHRISTOPHORVS BEGMANNVS. (p) Exurgit ex hisce obseruatio, inter decori regulas haud vltimo ponenda loco, quod ritus & ceremoniae, modo fini istius actus, quem comitantur, & honestati sint conuenientes, ex arbitrio quidem principis pendeant: at interdum tamen, si certi ritus iuris cuiusdam, quod in dubium vocari possit, symbolum sint & argumentum, tum necessario sint adhibendi, nisi nouum argumentum, ius nostrum nobis

(o) *lib. CXXIX. ad A. M. DC. LVI.* (p) *not. dignit. illustr. dissertat. IV. cap. II. §. V.*

nobis extorquendi, alteri praebere velimus. Equidem hodie vix est, vt reges christiani a pontifice sibi metuant, cum hic cautius nunc mercari, & subtiliori quadam ratione imperii sui limites proferre didicerit: sed eo tempore, quo aperte tyrannidem suam exercebat, & in vnctionis diuersitate argumentum suae auctoritatis quaerebat, a nullo principe, nisi dignitatis suae valde prodigo, vnctio in capite omitti potuit.

§. XVII. Quemadmodum vero omnes isti ritus, in principum inaugurationibus adhiberi soliti, eo spectant, vt subditi in opinione, de imperio diuinitus in familiam regnantem collato, confirmentur, ita haec ipsa causa exigit, vt in his actibus feminarum quoque habeatur ratio. Fuerunt quidem hac in parte diuersae populorum consuetudines, sed hodie tamen apud gentes Europaeas mos feminas principales itidem coronandi, & inaugurandi, obtinet. De Romanis id eo minus mirandum, quod Augustam aequo in omnia iure secum esse voluerunt, vt non semel profitetur Iustinianus imperator. Hinc in more positum, praesertim orientis imperatoribus, vt susceptis infulis imperialibus, paulo post easdem, manu patriarchae consecratas, coniugibus ipsi imponerent, vti

ex THEOPHANE, CEDRENO, ZONARA, GEOR-

GIOQVE CODINO docet MARQVARDVS FREHERVS. (q) Germanicos imperatores hoc exemplum imitatos fuisse, constat, ritusque, in Augustarum vnctione & coronatione adhiberi solitos, describit accurate praeter alios PETRVS DE ANDLO. (r) Exemplum recentissimum serenissima imperatrix Eleonora Magdalena Theresia praebet, cuius vnctionem anonymus quidam in compendio ita describit: *Nach dem sich nun Ihre Maiestät vvieder auffgerichtet, folgete die vnction oder Salbung, vvelche Chur-Mayntz Creutzvveise auf den rechten Arm, vnd zvvischen denen Schultern verrichteten, vnd das gevvöhnliche Gebeth darzu sprachen: Deus pater aeternae gloriae sit tibi adiutor &c. Darauff Ihre Maiestät aufstunden, in die Sacristey geführet, vnd daselbst abstergiret, bald aber vviederum zu dem Herrn Consecratori heraus begleitet vvurden, bey dem Sie sich auf einem Küssen kniend nieder liessen, vnd die Reichs-Crone, vnter beygefolgter Hand Anlegung der beyden Herrn Chur-Fürsten, Trier vnd Cölln, mit dieser Anrede empfiengen: Accipe coronam gloriae, vt scias &c.* Quare & serenissimus potentissimusque rex Borussiae eundem recte retinuit morem, iisdemque ritibus, paucis saltem immutatis, serenissimam coniugem suam inaugurari voluit. Scilicet cum rex ipse serenissimus

(q) *ad Petr. de Andlo, lib. II. cap. VII. p. 187.*
(r) *lib. II. cap. VI.*

mus in conclaui suo coronam sibi imposuisset, ad reginae conclaue se contulit, eidemque coronam imposuit: tum iterum ad conclaue regis, & inde ad templum iuerunt, reginaeque vnctio & coronatio iisdem ritibus peracta, consecratore hanc precationis formulam in reginae vnctione recitante: *Eure Königliche Maiestät empfänget diese Salbung als ein Göttliches Wahrzeichen, daß Sie ihre Salbung vnd Verordnung zur Königlichen dignität vnd Maiestät von Gott haben, vvelcher Sie ihrem Könige zugesellet, daß Er an Ihr seine Freude vnd Wonne habe: Vnd der Herr vnser Gott salbe Sie auch mehr vnd mehr mit seinem heiligen Geiste, daß sie vvillig vnd munter sey Gott zu ehren vnd zu dienen, in Iesu Christo vnserm Herrn, Amen.*

§. XVIII. De ceteris ritibus, tum in regum principumque inaugurationibus, tum in aliis actibus solennibus, multa disserendi amplissimus sese nobis aperiret campus, siue varietatem illorum exhibere, aut in originem inquirere, aut significationes politicas eruere & explicare vellemus. Ad haec enim fere capita redeunt, quae de illis dici possunt. Sed cum ab aliis iam occupatum hoc argumentum, & erudite pertractatum sit, nolumus actum agere. Confirmare ceteroquin quamplurimis exemplis nostram possemus sententiam, decorum hic requirere, vt ratio

quaedam subsit, ne in vanam saltem & ineptam ostentationem temere hic quicquam adhibeatur, aut adhiberi, homines plebeii sibi persuadeant. Interim neutiquam illis suffragari possum, qui in minimis etiam maxima mysteria latitare putant, horumque interpretationibus ita indulgent, vt in eundem cum GVILIELMO DVRANDO referri ordinem mereantur, in rationali suo officiorum diuinorum, de singulis ritibus ecclesiae Romanae, de sandaliis & calceamentis episcoporum, nescio, ineptius an operosius disputante, nihilque aliud, quam contemtum & ludibrium, a cordatioribus referente. Sufficit enim, quod triplex fere in his omnibus intendatur finis. Primo, vt diuina principum constitutio populo repraesentetur, & tum principes, tum subditi, suorum admoneantur officiorum. Huc praeter vnctionem & coronationem, & sacri ordinis virorum ministerium, omnes ritus sacri, conciones, preces, locus sacer inaugurationi, aut alterius actus solennioris celebrationi, destinatus, & alia eiusmodi, quae longa serie ab aliis enumerari solent, spectant. Alter finis est, vt magnifico & splendido apparatu populo veneratio erga imperantes iniiciatur, quorsum omnes apparatus ad splendorem actui conciliandum, ipsa quoque ornamenta regia & principalia,

palia, illustrium quoque virorum & feminarum ministerium, vt in imperio nostro Germanico officia Electorum in coronatione imperatoris, & alia eiusdem generis, comparata sunt. Tertius non multum hinc abludit finis, qui eo tendit, vt amor ac beneuolentia subditorum erga imperantes aut excitetur, aut conseruetur, omnibusque velut signum ad bene de principe sperandum, tollatur, quorsum missilium sparsio, conuiuia, munerum distributio, captiuorum liberatio, & alia eiusdem generis fere infinita pertinent. Hisce finibus, si non omnibus, vni saltem, si inseruiant ritus & ceremoniae in publicis negotiis, recte hactenus se habent. Et hoc est, quod asseruimus, constare quoque decoro debere rationem, seu non temere quicquam agendum instituendumue esse, cui ratio non subsit.

§. XIX. Manifesta quidem haec sunt & extra dubium posita, sed vno tamen exemplo dicta confirmare lubet. Solenne est in regum inaugurationibus, vsuque fere receptum, vt integer bos assetur. Idem in splendidissima Borussiae regis FRIDERICI SAPIENTIS, cuius non sine intimo laetitiae sensu recordamur, coronatione obseruatum fuit. In imperatorum regumque Romanorum coronationibus eundem frequentari morem, notius est, quam vt

comme-

commemorati a nobis debeat, inuictisſimique imperatoris Leopoldi & auguſtisſimi Romanorum regis Ioſephi, exemplis hoc patet. Rem accurate deſcribit THVLDENVS, (s) qui, vt recte vir quidam doctus, haec eadem ex illo recitans, pronunciat, (t) externis eiusmodi aptior eſt, quam rebus ſeriis deſcribendis. *Iuuencum*, inquit, *altilem ſenatus Francofordienſis habebat, non grandi corporatura, ſed pingui admodum, qui, vt Lyrici vtar verbo, qua rotam duxit, niueus videri, cetera fuluus, ante diem tertium Kalendas Sextiles per vrbem ſpectaculo ductus eſt, cornua eius & mentum & biſidae vngulae auro tenui circumpoſito fulgebant: operimento fulgentiſſimo ad Romanum pertinente regem, ex luteo, nigro, alboque coloribus diſtincto, inſtructus erat. Sertum viride ac florulentum ex lilio-narciſſis, tulipas dicunt, omni colorum varietate vernantibus, inter cornua & aures, circum frontem & caput ſerpebat. Quatuor cum anteibant germanicae lyrae fidicines, duo tibiis canentes, multitudo ingens puerorum & mulierum ſequebatur, quae coronati ad victimam iuuenci breue gaudium commiſerans, de ſe mutato nomine querebatur: ducere enim in bonis dies ſuos hominem, & in puncto ad inferna deſcendere. Deſtinatus rei coquinariae iuuencus, ad culinam vt venit, a duo-*

(s) *ad A. M.DC. LVIII.* (t) *Becmannus, in notit. dignit. illuſtr. diſſertat. V. c. I. §. VIII.*

a duobus laniis, qui mappis albentibus praecincti erant, excipitur. Detrahitur ei stragulum, vittae serti & verbenarum soluuntur, nec supereſt quicquam, niſi vt frontem ſupina ſecuri palſatus, humi procumbat, iuguletur, lingua euulſa careat: id vbi factum eſt, tractorio ſublatus fune ex trabe ſuſpenditur, pelle ad mentum & vngulas inauratas exuitur, ventre aperitur, viſceribus inteſtinisque exemptis aqua pura eluitur. Hoc lanionum opus fuit: vbi eum coci acceperunt, querna & quadrata trabe induitur, collum & caput fune alligantur, reliquum corpus ferreis cuſpidibus per caua ad id comparata immiſſis conſtipatur. Verſatur in tertium diem rotabili machina trabs, & ſuppoſita ſartagine liquamen, non flamma, ſed prunis aſſo expreſſum, recipitur. Pars bouis aſſati ad menſam regiam deferri ſolet, reliquum vero multitudini ad diripiendum relinquitur. In Italia eundem ritum celebratum fuiſſe, cum Carolus V. imperator Bononiae a pontifice corona redimiretur, tradit MODIVS. (u) Immo apud Turcas ſimile quid obtinere, ex PETRO D' AVITY (x) docet IO. LIMNAEVS. (y) Sed & apud Suecos eundem adhibitum quandoque fuiſſe ritum, conſtat, notatque de coronatione Caroli Guſtaui idem, quem antea lau-

(u) *pandect. triumphal t. I. lib. IV. tit. XVII. p. 164.* (x) *in deſcript. Europ. de imp. Turcic. p. 777.* (y) *in not. ad A. B. cap. XXVII. §. IV. obſerv. VI.*

laudauimus, THVLDENVS. (z) Sed & de barbaris quibusdam Africae gentibus itineraria tradunt, cum ad dignitatem equestrem aliquis euehitur, solenni apparatu bouem mactari, vt adeo nec Europae finibus hunc ritum terminari, pateat.

§. XX. In originem huius rei si inquirere placeat, forte a Romanis cum aliis quibusdam eiusdem generis consuetudinibus, deriuanda fuerit. Notum namque est, in triumphis imperatorum Romanorum, cum in capitolium ingrediebantur, bouem candidum mactatum, & in victimam oblatum fuisse, iuxta illud OVIDII: (a)

Candidaque adducta collum percussa securi
Victima, purpureo sanguine tingit humum.

Id quod pluribus edisserit CAROLVS SIGONIVS. (b) Praeterea receptum fere erat gentilibus, boum coronis aliisque ornamentorum generibus redimitorum, immolatione, singularem erga Deos testari venerationem. Hinc Lystrensibus, Paulo atque Barnabae diuinos exhibituris honores, sacerdos Iouis adferebat boues coronatos, vt Iouis & Mercurii victima essent. (c) Sed & in solennioribus quibusuis sacrificiis boues auratis cornibus, infulis & coronis

(z) *ad A. M. DC. LIV.* (a) *lib. IV. trist. eleg. II.* (b) *lib. II. de ant. ciu. Rom. iure cap. XXII.* (c) *actor. XIV. 12. 13.*

ronis ornati, offerebantur, vt auctor est PLVTARCHVS in Aemilio Probo. (d) Eoque facit illud TIBVLLI: (e)

Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

A superstitione itaque gentilium si mos mactandi, & non offerendi, sed comedendi assatum, ritus iste pugetur, quin in actibus solennibus recte adhibeatur, dubitari nequit. Nec tamen pro certo affirmaverim, hanc ritus istius esse originem, cum coniecturis hic saltem proficiatur, quae, vt incertae sunt & dubiae, ita obtrudi nemini possunt. Ad excusandum aut defendendum eum morem hoc forte sufficeret, quod non tantum magnificentiae argumentum, sed felicitatis etiam & abundantiae symbolum sit, quam vt in actibus solennibus votis suis merito expetunt ciues, ita & principes recte nihil omittunt, quo spem opinionemque ciuium, de felicitate rerumque abundantia, per prouidam reipublicae administrationem in se deriuanda, confirment.

§. XXI. Contra eas, quas hactenus indicauimus, decori partes, multis modis peccari, nemini, nisi rerum humanarum prorsus ignaro, dubium esse potest. Generatim quidem nonnulli ita se gesserunt principes, vt in externis hisce nihil, nisi stultitiam suam, animique leuitatem & incon-

(d) *p. m. 203.* (e) *lib. IV. eleg. I.*

constantiam, turpisimaque prodiderint vitia, & summam sibi apud omnes ignominiam, populique contemtum attraxerint. Exemplo esse possunt nonnulli in primo & secundo, tertioque post Christum natum seculo Romanorum imperatores, qui honestatis pariter ac decori leges in omnibus suis actibus, priuatis & publicis, tam proterue migrarunt, vt omnes cogitationes omniaque consilia eo contulisse videantur, vt nihil nisi improbe & inepte agerent. Caius Caligula, monstrum hominis & seculi sui dedecus, non tantum pius & pater exercituum, & optimus Caesar vocari voluit, sed, vt diuinos quoque sibi assereret honores, simulacra numinum religione & arte praeclara, inter quae olympici Iouis, apportari ex Graecia iussit, quibus capite dempto, suum imposuit, consistensque saepe inter fratres Deos, medium se adorandum adeuntibus exhibuit. Templum etiam numini suo proprium & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit: hostiae autem erant, *phaenicopteri, pauones, tetraones numidicae, meleagrides, phasianae*, quae generatim per singulos dies immolarentur. (f) Vix vllum, credo, Romae fuisse, qui risum teneret, quoties haec ineptissimae vanissimaeque ambitionis documenta vidit. Alias eiusdem in-

(f) *v. Suetonius in Calig. c. XXII.*

ineptias, decorique neglectum summum in eo notat idem, ex quo haec commemoramus, SVETONIVS, (g) vestitum eius ita perstringens: *Vestitu calceatuque & cetero habitu, neque patrio, neque ciuili, ac ne virili quidem, nec denique humano semper vsus est. Saepe depictas gemmatasque indutus paenulas, manuleatus, & armillatus in publicum processit: aliquando fericatus & cycladatus: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri: plerumque vero aurea barba, fulmen tenens ac fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est.* Haec prudentissimus scriptor eum in finem recenset, vt stultitiam imperatoris arguat, ipso habitu vestitusque varietate leuissimum animum, stultitiamque prodentis. Splendidior vestitus omnino principes, praesertim in actibus solennibus, decet, at histrionica leuitas in vestitu, vt auctoritatem illorum non potest non imminuere, ita hoc ipso contra decori leges grauissime peccant. Quid de Claudio? quid de Nerone dicam? quos ferre tam diu populum Romanum, potuisse, maximopere miror. Qui enim amare poterant eos, qui crudelissimis bestiis erant immaniores? qui venerari, qui in toto vitae habitu ipsis pueris se demonstrabant ineptiores? Vel sola Antonini

(g) *l. c. c. LII.*

Heliogabali vita plurima turpiter migrati a principe decori exempla exhibet. Etenim, vt reliqua taceam, quam ineptum, quam ridiculum illud, quod in solennioribus conuiuiis leones & leopardos exarmatos conuiuis intermiscuit, *ad pauorem*, inquit, AELIVS LAMPRIDIVS, (h) *& ridiculum excitandum*, vel, vt GRVTERVS legendum censet, *ad pauorem ridiculum*. De eodem imperatore idem LAMPRIDIVS, (i) cum innumera violati stulte decori exempla retulisset, hoc etiam addit: *habuit & in calceamentis gemmas & quidem sculptas: quod risum omnibus mouit, quasi possint sculpturae nobilium artificum videri in gemmis, quae pedibus adhaerebant.* Recte dicit, hoc ipso eum risum mouisse omnibus. Indecorae enim actiones, vt nonnullis indignationem, ita plerisque risum mouent, earumque adeo auctores ludibrio omnium exponunt.

§. XXII. In causam huius rei si inquiramus, deprehendimus, & cultum corporis & reliquas decori partes, latentes mores, animique propensiones, quam clarissime indicare. Neque populus tam rudis est, vt non ex hisce externis morum documentum capere sciat, incertum equidem interdum dubiumque, interim non plane spernendum. Nimirum, quamdiu haec imperii & potentiae symbola ita comparata

(g) *in Heliogab. cap. XXI.* (h) *c. XXIII.*

parata sunt, vt splendorem & magnificentiam imperantis repraesentent, nec intermixtum aliquid sit, quod aut leuitatem, aut aliud aliquod animi vitium prodat, cuncta recte procedunt, magnamque populi erga imperantes venerationem haec excitare apta sunt. At si leuitatis aliorumque vitiorum signa intercurrunt, vel princeps aliis actionibus se aut odio aut contemtui omnium exposuit, tantum abest, vt apparatuum magnificentia venerationem aut amorem illi conciliare possit, vt potius & odium omnium, & contemptum ista ostentatio auctura sit. Id quod tum eo minus euitabit, cum res ipsa, cuius gratia solennitas aliqua instituitur, leuis est, & nullius momenti, nec vllo modo magnitudini & splendori apparatuum respondet. Sic Gallienus, teste TREBELLIO POLLIONE, (k) *interfectis aliquot militibus apud Byzantium, quasi magnum aliquid gessisset, Romam cursu rapido conuolauit: conuocatisque patribus, decennia celebrauit nouo genere ludorum, noua specie pomparum, exquisito genere voluptatum.* Recenset hinc omnia ista apparatuum & pomparum genera, quod inter togatos patres & equestrem ordinem, albatosque milites, & omni populo praeeunte, seruis etiam prope omnium & mulieribus cum cereis & facibus, & lampadibus

(k) *in vita Gallieni c. VII. VIII.*

dibus praecedentibus, capitolium petierit, & quae alia sunt eiusdem commatis. *Hastiae*, ita quibusdam interiectis, pergit, *auratae altrinsecus quingenae, vexilla centena, & praeter ea, quae collegiorum erant, dracones, & signa templorum omniumque legionum ibant. Ibant praeterea gentes simulatae, vt Gothi, Sarmatae, Franci, Persae, ita vt non minus, quam ducenti, singulis globis ducerentur.* Tandem ἐπίκρισιν, omnino obseruandam, subiungit: *Hac pompa homo ineptus eludere se credidit populum Romanum, sed, vt sunt Romanorum facetiae, alius Posthumio fauebat, alius Regilliano, alius Aureolo, alius Aemiliano, alius Saturnino.*

§. XXIII. Quod autem diximus, externa haec, & inter reliqua corporis quoque cultum, animi morumque praebere documentum, hoc pluribus confirmat SCIPIO CLARAMONTIVS. (1) De corporis namque cultu animi indice sequentes in medium affert regulas: cultus corporis in vestibus sumptuosis absque mollitie, significat hominem superbum ambitiosumve, cum excesserit conditionem eius, intra vero status sui limites hominem magnificum aut saltem honoris studiosum. At, quod addit, exemplum: *Caesar in commentariis suis scribit, aduentum suum ex colore vestitus cognitum, quo insigni in praeliis vti consueverat,*

(1) *de coniectand. morib. l. VIII. cap. VII.*

verat, an huc quadret, valde dubito. Rectius affert exemplum Cyri, ex Xenophonte, auguſtiſsimum habitum ſumentis, cum primum poſt adeptum imperium palam, ſolenniter prodiret. Latere hic potuit, ambitio: ſed non imprudenter eum egiſſe, rationesque decori obſeruaſſe, ex dictis conſtabit. Altera CLARAMONTII regula haec eſt: cultus veſtium, cum mollitie praeſertim corporis, laſciuiam indicat, tum in feminis, tum maxime in maribus. Suffragatur experientia: adeoque facile in eo nos ſecum conſentientes habebit. Porro aſſerit: ſi quis non admodum pretioſis veſtibus, & illis non ordinate admodum & concinne diſpoſitis, vtatur, iudicari debet in maiorem, quam corporis cultus, curam diſtractus. Apprime huc facit exemplum Caeſaris, qui, cum male praecinctus incederet, recte ex eo coniecit Sylla animum magna molientem, vel moliturum, monuitque Pompeium: *caue tibi a puero male praecincto*. Euentus docuit, rectius eum iudicaſſe, quam Ciceronem, qui ex eodem cinctu molli, Caeſarem eſſe imbecilli animo, credidit. Regulam tamen hanc interdum fallere, putare aliquis poſſet, cum & ex ignauia quadam atque pigritia neglectus ille, qui in corporis habitu conſpicitur, promanare queat. Sed occurrit huic dubio ipſe CLARAMONTIVS: vtrum,

autem ex pigritia, an occupatione aliarum curarum quis sit sordidus, diiudicandum est, considerando, num in aliqua re is sit diligens. Si quis vestibus vtatur vilis pretii, & illis diligenter accommodatis & resartis, si pauper fuerit, politus erit, iudice CLARAMONTIO, sin diues, auarus. *Nam cultus*, inquit, *studio tenetur, at sumptui parcit infra dignitatem suam & facultates, quod est auaritiae.* Praeterea, si quis vestibus non vilibus, at immundis, vtatur, & multis sordibus praeterea corporis ac squalore inficiatur, se socordem & pigrum significat, non auarum; contra, si quis & vilibus vestibus & protritis & immundis vtatur, sese ad extremum auaritiae gradum peruenisse, demonstrat. Quod si quis dubitet, vtrum vilis pretii vestis vsus ex auaritia sit, an ex contemtu cultus exterioris, respondet, hoc ex reliqua vita hominis aestimari posse. Recte quidem haec omnia se habent. Et licet populus ob imperitiam ad specialiora eiusmodi non descendat, generalia tamen morum argumenta, quae ex vestitu & cultu externo, totaque decori disciplina, depromuntur, adeo manifesta sunt, vt non temere quisquam reperiatur, qui non iis vtatur. Vnde rursus consequitur, circumspectum in his omnibus principem esse debere, vel ex hoc capite, ne animi mollis, effoeminati,

auari,

auari, aut aliis vitiis dediti, suspicionem sibi temere attrahat, & ita omnium se exponat contemtui.

§. XXIV. In vtramque itaque hic a principe peccari partem potest, primo quidem luxuria leuitateque, deinde sorditie & neglectu. Vtroque modo & odium & contemtum subditorum subit. Luxuria enim, nimiusque apparatus, animum mollem, grauissimisque vitiis infectum, demonstrat. Sordities & regii cultus neglectus aut auarum, aut ignauum demonstrat, ne repetam, quod supra iam euictum est, externo cultu & apparatu omnino opus esse, ad venerationem subditorum erga principem concitandam. Memorabile nunc huius rei subiiciemus exemplum. Ludouicum XI. Galliae regem, cum ad fines regundos & ad lites disceptandas, quae regi Castiliae cum rege Nauarrae intercedebant, arbiter receptus esset, risum & contemtum sui apud Hispanos excitasse, memorat IO. BODINVS (m) Andegauensis ille. Hispani enim, inquit, cum splendido cultu non modo pueros, sed etiam equos aureis vestibus ac phaleris instratos deduxissent, regem Francorum cultu vilissimo sordescere, turpe ducebant. *Nulla in eo*, ita pergit, *dignitas oris, nulla maiestas, sed hominem diuorum peregrinationi-*

(m) *lib. IV. de republica p. m. 728.*

tionibus deuotum diceres, cuius pileus imagunculis vsquequaque consutus, vestis squalida, totiusque comitatus vilissima species: ac ni regis exercitus in planitie apparuisset, nostros homines Hispanorum seruos esse putares. Tandem Ludouicus, reputans, hominum opinione laudabiles aut vituperatione dignos principes iudicari, cum intellexit, Venetiarum legatos magnifico apparatu ad se venire, regias vestes indutus, & ex sublimi sede conspicuus, regalem speciem illis ostentauit. Quod de Ludouico XI. tradit BODINVS, id confirmat etiam PHILIPPVS COMINAEVS. (n) *Ludouicus*, inquit, *breuibus vtebatur vestimentis, & adeo neglectis, vt nihil supra, pileum gestabat, diuersum ab aliis, & huic affixa erat imago plumbea. Hanc tenuitatem ridebant Hispani, & parsimoniae tribuebant.* 10. autem BODINVS, cum alia eiusdem commatis adiecit, concludit tandem: *cauebit ergo princeps, cum ad principis colloquium accesserit, quod quam rarissime fieri debet, ne quid in cultu corporis ac multo minus in oratione ac gestu appareat, quod vituperatione dignum videatur, quoniam praesentia fere semper minuit eam, quam quisque de se ipso excitauit, opinionem ac famam.* Saluberrimum certe monitum, nec in congressibus saltem principum, sed in omnibus actibus solennibus sedulo obseruandum.

§. XXV. Id quiuis ex dictis intelligit, semper hic opus esse prudentia directri-

(n) *l. III. p. 342.*

rectrice. Prudentiae itaque est, pro ratione circumstantiarum, ritus & externa symbola ad scopum facientia seligere, prudentiae est, ea ita temperare, vt & luxuriae & sorditiei suspicio euitetur, vt non adhibeantur superflua, nec deficiant necessaria: sed prudentiae quoque est, si quis subito forte exoriatur defectus, capto velut ex arena consilio, illum supplere. Summa itaque prudentiae laude, immo admiratione dignum mihi semper visum fuit Rudolphi Habspurgici, imperatoris Germanici, gentisque Austriacae felicissimi progenitoris, facinus. Hic enim cum Aquisgrani coronaretur, sceptroque non praesente, iusiurandum recusarent ordines imperii, arripuisse dicitur crucem parvam ex altari, & sic eos allocutus: *Ecce signum, in quo nos & totus mundus est redemtus, & hoc signo vtamur loco sceptri.* (o) Prudenter satis. Si enim ob sceptri defectum coronationem distulisset Rudolphus, forte maleuolis res nouas moliendi, vel in fraudem imperatoris aliquid comminiscendi, dedisset occasionem. Sin sine sceptro iuramentum extorsisset ordinibus, coronationemque absolui voluisset, rursus nonnulli in eam ingredi potuissent cogitationem, vitium maximum labemque adsper-

(o) *vid. Lehmannum in chron. Spir. lib. V. p. m. 624.*

sam huic actui esse, nec pro legitimo imperatore habendum, qui non rite esset coronatus. Namque vel minimus in solennibus istis ratione decori defectus, a populo pro maximo crimine, ad minimum pro pessimo reputatur omine, maximisque turbis submministrare fomitem potest. Quid ergo factu opus? Arripiendum scilicet quodcunque pro sceptro erat, & casus in sapientiam vertendus, praesertim, cum crux, quam fors offerebat, tam bellam interpretationem suggerebat, quae omnem poterat tollere dubitationem.

§. XXVI. Hactenus, quod decorum in principum regumque solennibus rectae rationi prudentiaeque regulis accommodatum esse debeat, euicimus: nunc, quod apud omnes veros cordatosque christianos primum in consultationibus locum occupare debet, vltimo loco per ὕστερον πρώτερον subiungimus, quod scripturae etiam sacrae disciplinaeque christianorum hocce decorum debeat esse conueniens. Enimuero splendorem necessarium, & ad finem rectum, reipublicae scilicet conseruationem, comparatum, a disciplinae quoque christianae magistris non posse reprehendi, Salomonis atque Dauidis exemplo iam supra comprobauimus. Quicquid contra luxuriae, aut ostentationi, aut vanissimae saltem ambitioni inseruit, vt Deo maximopere

displi-

displicet, *Esa. III, 16. seqq. Luc. XVI. 19.* ita is contra a christianis verisque cultoribus suis, & castitatem, & temperantiam, & sobrietatem, & modestiam quoque in cultu habituque exigit *I. Tim. II. 9. 10. I. Petr. III. 3. 4. 5.* Immo grauissime nos dehortatur a ludicris eiusmodi, & nil nisi vanitatem spirantibus cupiditatibus, & ad res mundanas propensionibus: *ne diligite mundum, neque ea, quae sunt in mundo: si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam, quicquid est in mundo, cupiditas carnis & libido oculorum, & fastus vitae, non est ex patre, sed ex mundo est. I. Ioh. II. 15. 16.* Quae vt ad omnes omnino homines, ita ad ipsos quoque principes, rerumque dominos pertinent. Qui, si vident, non posse prorsus se splendorem aulicum deponere, aut apparatus actuum solennium euitare, imitentur sapientissimam reginam Estheram, in splendore aulico summam animi moderationem retinentem, submissoque animo haec profitentem: *Tu Domine scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiae & gloriae meae, quod est super caput meum in diebus ostentationis meae, & detester illud quasi pannum menstruatae, & non portem in diebus silentii mei cap. XIV. 16.* Sibi quoque dictum putent illud IVLIANI: (p) *turpe est sapienti, cum animam habeat, laudes ex corpore* (addo ex

(p) *ap. Ammian. Marcel. l. XXV. p. 825.*

ex rebus ludicris & ad ostentationem saltem comparatis) *captare:* & illud ARISTOTELIS, ad Alexandrum: (q) *multo pulchrius magisque regium esse, animum habere cultum & compositum, quam elegantiorem corporis vestem.*

§. XXVII. Iam &, quid subditos circa solennia principum deceat, paucis exponendum est. Primo res ipsa docet, officium illorum esse, laetitiam suam, amoremque & venerationem, externis quibusdam symbolis ac documentis significare. Qua in re non minus mores gentium variant, quam in ritibus, quibus ad venerationem sibi conciliandam principes vtuntur. Sic Persis olim in more positum fuit, pro laetitiae publicae argumento, coronis & floribus vias sternere. Nam cum nuntius Susa de captis ab Xerxe Athenis esset allatus, *adeo*, inquit HERODOTVS, (r) *is relictos ibi Persas affecit, vt vias omnes myrto sternerent, odoresque vicatim incenderent.* De ponte, quo Hellespontum continenti iunxit Xerxes, idem HERODOTVS: (s) *omnis generis odores in pontibus congerentes, ac myrto iter sternentes.* BARNABAS BRISSONIVS, diligentissimus rerum Persicarum scriptor, plura de hocce more congesit: (t) quem aliis quo-

(q) *vid. Aelianus histor. var. l. VIII. cap. VIII.* (r) *lib. VIII. cap. XCIX.* (s) *lib. VIII. cap. LII.* (t) *lib. II.*

quoque gentibus frequentatum fuisse, docet ISAACVS CASAVBONVS. (u) Q. CVRTIVS solennem Alexandri regis in vrbem Babylonem ingressum ita describit: (x) *Bagophanes, arcis & regiae pecuniae custos, ne studio a Mazaeo vinceretur, totum iter floribus coronisque constrauerat; argenteis altaribus vtroque latere dispositis, quae non thure modo, sed omnibus odoribus cumulauerat. Eum dona sequebantur, greges pecorum equorumque, leones quoque & pardales caucis praeferebantur.* Vbi quod refert, argentea quoque altaria vtroque latere disposita, thureque & omnibus odoribus cumulata fuisse, veteris quidem, sed foedissimae adulationis exemplum praebet. Diis suis hunc honorem primitus habuisse miseros mortales, cum imagines eorum transferrentur, viri antiquitatis peritissimi obseruant. Sed, crescente adulandi studio, ad principes hunc morem translatum, docent. Arsinoes apparatum, quo Ptolemaeum maritum, Cassandream ingressurum, excipere constituerat, ita describit IVSTINVS: (y) *praegressa igitur virum, diem festum vrbi in aduentum eius indicit: domos, templa, ceteraque omnia exornari iubet: aras vbique hostiasque disponi.* Plura eiusmodi ex SVETONIO, VALERIO MAXIMO, aliisque, IVSTVS

(u) *ad Suetonii Calig. cap XIII.* (x) *l. V. cap. I.* (y) *lib. XXIV. cap. III.*

IVSTVS LIPSIVS collegit, (z) quibus & alia ex IVLIO CAESARE, (a) PLINIOQVE (b) addere documenta possem, si his immorari diutius fas esset.

§. XXVIII. Inter praecipuos autem modos laetitiam significandi, tum veteribus receptos, tum hodienum adhuc frequentari solitos, acclamationes publicae & solennes referendae sunt. Cum Saul a Samuele rex Ebraeorum declararetur, acclamauit ei omnis populus: *viuat Rex! I. Sam. X. 24.* Nec intermissum hoc fuisse, cum Dauid Hebrone inungeretur, admodum est verosimile. De Salomone diserte iterum hoc memoratur, quod ei acclamatum sit: *viuat rex Salomo! I. Reg. I. 34. 39.* Et de Ioaso rege Iudae *II. Reg. II. 12. Fecerunt eum regem, & vnxerunt, & plaudentes manu, dixerunt, viuat Rex!* Idem & apud alios orientis populos obtinuisse, & ex scriptura sacra, & ex aliorum auctorum monumentis constat. De Romanis quoque nullum est dubium, praesertim, cum, mutata republica, adulandi studium maximopere in hac gente creuit. Luculentum, vt nunc innumera alia praetermittamus, acclamationis exemplum extat apud AELIVM LAMPRIDIVM.

(z) *ad Tac. histor. lib. II. cap. LXX* (a) *de bello Gall. lib. VIII. cap. LI.* (b) *in panegyr. cap. XXIII.*

DIVM. (c) Cum senatus, inquit, frequens in curiam, hoc est, in aedem Concordiae, templum inauguratum conueniisset, rogatusque esset Aurelius Alexander Caesar Augustus, vt concineret, (hoc est, vt SALMASIVS interpretatur, *consentiret*,) ac primo recusasset, quod sciret, de honoribus suis agendum, deinde postea veniisset, acclamatum: *Auguste innocens, Dii te seruent! Alexander imperator, Dii te seruent, Dii te nobis dederunt, Dii conseruent. Dii te ex manibus impuri eripuerunt, Dii te perpetuent. Impurum tyrannum & tu perpessus es, impurum & obscoenum & tu videre doluisti. Dii illum eradicauerunt, Dii te seruent, &c.* Cumque egisset gratias Alexander, iterum ei acclamatum: *Antonine Alexander, Dii te seruent, Antonine Aureli, Dii te seruent, Antonine Pie, Dii te seruent.* Similia & de aliis imperatoribus passim occurrunt, & speciatim de Constantino Magno testatur EVSEBIVS. (d) In orientali autem imperio solennis acclamandi formula fuit: πολυχρόνιον ποιήσει ὁ θεὸς τὴν κραταίαν καὶ ἁγίαν βασιλείαν σῦ εἰς πολλὰ ἔτη, quae subinde apud CODINVM occurrit: vnde & vno verbo πολυχρονίζειν & πολυχρονισμὸς haec cantilena dicitur, obseruante MARQVARDO

(c) *in Alexandro Seuero c. VI. seqq.* (d) *in vita Constantini, lib. I. cap. XXII.*

DO FREHERO (e) qui ex CORIPPO de Iustino haec affert:

Iustino vitam ter centum vocibus optant,
Tu vincas, Iustine, canunt.

itemque:

Iustinum Sophiamque pares duo lumina mundi
Esse ferunt: regnate pares in secula, dicunt,
Felices annos dominis felicibus orant.

Ad Germanicos imperatores quod attinet, & ex Caroli M. & Ludouici Pii, aliorumque historia, moris huius antiquitatem comprobare possem. Propagatum eum fuisse ad recentiora tempora, testatur praeter alios PETRVS DE ANDLO, (f) ritus imperatoriae coronationis a pontifice peragendae describens: *Laudes*, inquit, *imperatoris alta voce decantant hoc modo: Exaudi Christe &c. Scriniarii vero vrbis sericis capuciis induti ante pectorale in choro assistentes respondent: Domino nostro Friderico, inuictissimo Romanorum imperatori, & semper augusto, salus & victoria.* De inuictissimo imperatore nostro Leopoldo TRVLDENVS: (g) *aes campanum ex omnibus templorum vrbis turribus longe lateque assonuit, & centenis per muri orbem dispositis bombardis atque machinis, tertio fulminatum est, populo:* VIVAT LEOPOLDVS CAESAR! *vbique plausibiliter acclamante.* Simile quid de eodem coronam Hun-

(e) *ad Petri de Andlo l. II. c. VI. p. 184* (f) *lib. II. cap. VI. p. 78.* (g) *ad A. M. DC. LVIII.*

Hungaricam capeſſente, idem auctor, (h) & de aliis regibus alii commemorant. Quae rurſus in memoriam mihi reuocant illum diem, quo felicisſimis auſpiciis coronam ſibi impoſuit potentisſimus ſerenisſimusque Borusſiae rex Fridericus, & quo omnes ditiones Brandenburgicae, omnes vrbes, & cumprimis haec academia Friderician, laetisſima iſta acclamatione: VIVAT REX FRIDERICVS! perſonuit. In ipſa quoque regiae dignitatis promulgatione, adhibita haec formula fuit: ſed quid obſtat, quo minus totam promulgationis formulam ad poſteritatis memoriam hic inſeramus: *Demnach die allvveiſe Fürſehung Gottes es dahin gerichtet, daß dieſes bißher gevveſene ſouveraine Hertzogthum Preußen zu einem Königreiche auffgerichtet, vnd deſſelben ſouverain, der allerdurchlauchtigſte, großmächtigſte Fürſt vnd Herr, Herr Friederich, König in Preußen gevvorden, ſo vvird ſolches hiermit männiglichen kund gethan, publiciret, vnd ausgeruffen:* LANGE LEBE FRIEDERICH, VNSER ALLERGNAEDIGSTER KÖNIG: LANGE LEBE SOPHIA CHARLOTTA, VNSRE ALLERGNAEDIGSTE KÖNIGIN. Sed in ipſo quoque actu coronationis hae acclamationes repetitae fuere, quibus vt euentus reſpondeat, id quidem eſt, quod

(h) *ad A. M. DC. LV.*

quotidianis noſtris precibus a Deo praepotenti ſupplices petimus.

§. XXIX. Non fert inſtituti noſtri ratio, omnes iſtos modos, laetitiam aut amorem erga principem demonſtrandi, hic percenſere. Multo minus de orationibus panegyricis, carminibus, inſcriptionibus, nummis, arcubus triumphalibus, & aliis eiusdem commatis reuerentiae & venerationis erga principem documentis, multa commentari, animus eſt. Saltem generatim ex inſtituti noſtri lege, quid hic decori ratio exigat, ediſſeremus. Duo nimirum hic euitanda ſunt vitia, *Cyniciſmus* & *adulatio*. Cyniciſmi ſcilicet iſti rei peragendi ſunt, qui per externa venerationis & amoris ſymbola, licet per ſe innoxia, pietatem ſuam erga principem demonſtrare detrectant, vt Diogenes ille, qui Alexandro ad ſe venienti ne aſſurrexit quidem, nihilque ab eo aliud petiit, quam, ne corporis ſui vmbra ſolis calorem ſibi interciperet. Qui quidem neglectus, ſi ex odio quodam procedat, aut contemtu principis, grauiſſimam promeretur animadverſionem, ſin ex falſa quadam perſuaſione, aut errore intellectus, venia & excuſatione eo magis dignus eſt, quod non honeſti, ſed decori ſaltem regulae ab eiusmodi hominibus violentur. Quare & Quakerorum acerbiſſimas poenas neutiquam pro-

probare possum, quibus affecti sunt, quod caput coram magistratu nudare, sibi religioni ducerent. Praesertim, cum satis constabat, istos homines nec fide, nec obsequio, vlli subditorum regis Angliae concedere. Nec tamen, dum istum neglectum decori reprehendimus, cuiuis quidvis licere putamus. Considerandum enim, non tantum, quid mos receptus ferat, sed &, quid ratio, quid disciplina christiana iubeat: sed hac de re deinceps.

§. XXX. Communius fere, sed & longe foedius & turpius est adulationis vitium, quod in orationibus panegyricis, concionibus, inscriptionibus, aliisque eruditorum monumentis fere regnat. Non arcessenda sunt ex antiquitate exempla: praesens aetas, proh dolor! eorum longe est feracissima. CLAVDIVS MENETRIERIVS, ex Iesuitarum ordine vir haud incelebris, auctoribus nouae statuae, quae Lutetiae Parisiorum in honorem moderni Galliae regis erecta est, ingenium doctrinamque suam commodauit, cumque inter alias pompas ignium artificiosorum spectaculum, sub titulo & forma templi honoris, exhiberetur, is sequentem addidit inscriptionem:

REGI LVDOVICO MAGNO P. P. VOTIS PVBLICIS
DEVOTA NVMINI MAIESTATIQVE EIVS

CIVITAS PARISIENSIS PIA FIDELIS OBSEQVENS
MEMORIS OBSERVANTIAE TEMPLVM
D. D. C.

Haud obscure scilicet, per adulationem minime ferendam, Deorum ordini, plusquam ethnica superstitione, Ludouicum regem adscribit. Hinc in ipsa Gallia reperti sunt, quibus inscriptio illa pietati religionis christianae aduersari, & apotheosin paganam sapere, visa fuit. Vnde ipse auctor inscriptionis MENETRIERIVS, vt, edita mense Ianuario A. M. DC. LXXXIX. Parisiis epistola, causam suam ageret, adductus fuit. Voces nimirum *numen* & *templum* non ex recepta significatione, sed ex origine ac deriuatione aestimandas esse, contendit. Templum quippe, si originem vocis spectes, locum conspicuum significare, dicit, numen autem nihil aliud, quam nutum, id est, auctoritatem imperii. Satis quidem, meo iudicio, frigide. Hinc haud immerito forte haec excusatio exagitatur ab auctore libri: *La religion des Iesuites, ou reflexions sur les inscriptions du Pere Menetrier*, qui Hagae Comitum A. M. DC. LXXXIX. prodiit, cuiusque auctorem doctissimum virum, PETRVM IVRIAEVM nonnulli esse asserunt. Quisquis autem auctor sit, in eo suffragantem sibi rationem habet, meritoque etiam inuehitur in impietatem eorum, qui dialogum ex verbis

bis sacrae scripturae concinnatum ediderunt, in quo rex Galliae, & Iacobus quondam Angliae rex inter se colloquuntur, ad illum autem sanctissimum & illustre illud Dauidis oraculum, quo ipse seruator divinitatem suam asseruit, ita refertur, vt eodem alloquatur Iacobum: *sede a dextris meis.* Idem cumprimis ex monachis, qui Minimi dicuntur, huius vitii reos agit, referens, quod Masiliae duodecim theses de mysteriis theologicis ediderint, addita singulis applicatione in laudem Ludouici Magni, & profanata ad eius laudes scriptura. Horrendum dictu, & fere supra omnem fidem positum, tantam quenquam incedere posse impietatem, vt velut per ludibrium diuinissimis oraculis ad foedissimam & plusquam seruilem adulationem abutatur. Et tamen nihil solennius, nihil frequentius. Cum Galliae rex Argentoratum victor intrauit, episcopus vrbis, Franciscus Ego Furstenbergius, hoc pii Simeonis dicto: *nunc dimittis, Domine, seruum tuum, secundum promissionem tuam, placide, quandoquidem vidimus oculis salutem tuam*, regem excepisse, dicitur. Quo an imprudentius, aut ineptius quid dici potuerit, ego quidem valde dubito. Sed piget me ineptiarum: hinc plura addere nolo. Namque in Germania, &, quod dolendum, maxime inter protestantes similia turpisi-

marum adulationum exempla reperiri, notius est, quam vt pluribus a nobis demonstrari debeat.

§. XXXI. Adulationem autem omnem per se turpem esse, animique foedissimi indicium, nemo temere inficiatus fuerit. Sed interdum non honesti tantum, sed decori etiam leges migrantur, eo quidem euentu, vt iis etiam displiceant adulatores, quibus maxime placere cupiunt. Exempla quam plurima apud TACITVM occurrunt, ex quibus illud maxime illustre est, quod de Tiberio memoriae prodidit. Hic enim cum de bello Gallico a ducibus suis feliciter confecto ad patres scripsisset, simulque causas, cur non ipse, non Drusus profecti ad id bellum forent, adiunxisset, *decreuere patres*, inquit TACITVS, (i) *vota pro reditu eius, supplicationesque & alia decora. Solus Dolabella Cornelius*, ita pergit, *dum anteire ceteros parat*, ABSVRDAM IN ADVLATIONEM *progressus, censuit, vt ouans e Campania vrbem introiret.* Quid ad haec Tiberius? Certe non placuisse illi tam ineptam adulationem, ex his, quae subiicit idem auctor, satis intelligitur: *Igitur secutae Caesaris literae, quibus se non vacuum gloria praedicabat, vt post ferocissimas gentes perdomitas, tot receptos in iuuenta, aut spretos triumphos, iam senior peregrinationis suburbanae inane praemium*

(i) *annal. lib. III. cap. XLVII.*

mium peteret. Togonii Galli ridiculam adulationem idem TACITVS (k) notat. Orabat enim is principem, deligere senatores, ex quibus viginti sorte ducti & ferro accincti, quotiens curiam iniisset, salutem eius defenderent. Irrisit hanc ineptam adulationem Tiberius, subiungitque adeo TACITVS: *Tiberius tamen, ludicra seriis permiscere solitus, egit gratias beneuolentiae patrum: sed quos omitti posse? quos deligi? semperne eosdem? an subinde alios? & honoribus perfunctos, an iuuenes? priuatos, an e magistratibus? quam deinde speciem fore, sumentium in limine curiae gladios? neque sibi vitam tanti, si armis tegenda foret.* Immo interdum irritatis ineptis adulationibus principibus, stultitiae suae poenas grauissimas dant adulatores, cuius rei exemplum Iunius Gallio praebet apud eundem TACITVM. (l)

§. XXXII. Et si dignam semper crimine suo poenam acciperent adulatores, aut si principes rerumque domini Attilam Hunnorum regem imitarentur, qui carmen MARVLLI poetae in honorem sui confectum in ignem coniici iussit, quod Attilae originem a diis deriuasset, (m) magna vtique pars panegyricarum orationum, carminum, & inscriptionum, & sacrarum etiam

(k) *annal. lib. VI. cap. II.* (l) *annal. lib. VI. cap. III.* (m) *v. Olaus in vita Attilae cap. XV. p. m. 130.*

etiam orationum, proscribenda non ex orbe modo literato, sed ex ipsa republica esset. Sed de remediis, quibus obuiam huic vitio iri possit, alii dispiciant. Nos illud addimus, decori leges & tum migrari, si quis, citra equidem adulationem, studium suum principi approbare annititur, sed ratione inepta & ridicula, & ad contemtum potius principi attrahendum, quam gloriam eius augendam, accommodata. Cuiusmodi tamen homines commiseratione potius, quam poena, aut praemio digni sunt. Interdum tamen iis nec impune licet esse ineptis, cum imprudenter eas in principem congerunt laudes, quae vitia, quorum sibi conscius est, ei exprobrare videntur, vt, cum asperi laudantur ob clementiam, auari ob liberalitatem, libidinosi ob castitatem. Porro & illi contra hanc decori partem peccant, qui eos actus principum celebrant, qui dedecori potius illis sunt, quam ornamento, nisi tanta ipsum principem vesania ceperit, vt ipse turpe ab honesto, illaudabile ab laudabili discernere nequeat. Talis fuit laus Neronis ob citharae cantum: *quam pulcher Caesar, Apollo, Augustus, vnus veluti Pythius! Nemo te, per Caesarem, vincit Caesar.* (n) Sed & ob Pythicas victorias triumphanti acclamarunt omnes: *Oua Olympionica,*

(n) *epit. Dion. in Ner.*

nica, oua Pythionica, Auguſte, Auguſte: Neroni Herculi, Neroni Apollini: quam ſolus περιοδονίκης, ſolus ex aeterno tempore! Auguſte, Auguſte, ſacra vox: beati, qui audiunt. Perinde autem eſt, ſiue in ſolennibus principum, ſiue alio tempore haec ineptarum adulationum exempla edantur, cum ſolennia principum, vti nec peccandi, ita nec adulandi licentiam alicui concedunt. Exempla autem qui deſiderant, plauſtra carminum & orationum, cum aut coronatur princeps, aut dies eius natalis celebratur, vel alia ſolennia inſtituuntur, emitti ſolitorum, euoluat, & non facile deerit ridendi, hominumque ſtultitiam aut mirandi, aut deplorandi, argumentum.

§. XXXIII. Speciatim, quid chriſtianos hic deceat, non temere obſcurum cuiquam eſſe poteſt, cum ex ipſis chriſtianae diſciplinae elementis hoc pateat. Externis ſignis ſuam erga imperantes teſtari reuerentiam, iis adeo non nefas eſt, vt potius diſerte hoc inculcet PAVLVS apoſtolus: *Quocirca ſoluite, quod cuique debetis: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui metum, metum: cui honorem, honorem; Rom. XIII. 7.* Vbi per τὴν τιμὴν *honorem* externa reuerentiae ſigna intelligi, recte ad hunc locum obſeruat HVGO GROTIVS. Conſentiunt veterum chriſtianorum mores, qui imperatoribus ethnicis omnem honoris

cultum exhibuerunt, quem per diuinas leges a se exigi posse existimarunt. Egregie TERTVLLIANVS: (o) *Colimus imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit; vt hominem a Deo secundum, & quicquid est, a Deo consecutum, & solo Deo minorem. Hoc & ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero Deo minor est. Sic & ipsis Diis maior est, dum & ipsi in potestate sunt eius. Itaque & sacrificamus, pro salute imperatoris, sed Deo nostro & ipsius, sed quomodo praecepit Deus, pura prece.* Immo rem omnem accuratius reputantibus patebit, a veris christianis nihil aliud expectari posse. Hi soli enim vt vim diuinorum mandatorum recte percipiunt, ita, quod ceteri, aut metu, aut lucri vel honorum spe adducti, faciunt, id illi sua sponte hilarique animo, Dei & principis sincero amore compulsi, in se suscipiunt. Proinde, si respublica vlla esset, in qua aut omnes aut maxima pars mortalium verorum Christi discipuloruu nomine dignos se praestarent, nullis imperii symbolis, nullis ritibus & ceremoniis, nullis solennibus opus esset. Sua sponte enim & solo Numinis mandato ea omnia, & maiora etiam praestarent, quam expectare ab improbis summi imperantes possent. At cum hodie plerique christiani sint μέχρι τῦ λέγειν ἄνευ τῦ πράττειν, vt de philoso-

phis

(o) *ad Scapulam cap. II.*

phis ATHENAGORAS dicit, dandum aliquid est stultitiae hominum. Imprudentiae enim notam vix effugeret, qui existimaret, sapientes & stultos iisdem regendos esse legibus.

§. XXXIV. At iidem quoque semper memores, Deo magis obediendum esse, quam hominibus, stulteque illum agere, qui principi ita placere cupiat, vt displiceat Deo, in solennibus etiam, vbi mala mixta sunt bonis, ea, quae salua christianorum disciplina peragi possunt, diligenter discernunt ab iis, quae illam plane euertunt. Sic vota pro salute principis & nuncupare & soluere, quorsum solennes istae acclamationes etiam pertinent, supra a nobis commemoratae, tantum abest, vt sibi religioni ducant, vt nihil agant lubentius. Idque ex praescripto apostoli: *exhortor igitur primum omnium, vt fiant supplicationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones, pro cunctis hominibus, pro regibus & omnibus potestate pollentibus, vt tranquillam quietamque vitam agamus, cum omni pietate ac gravitate I. Tim. II. 1. 2.* Comprobarunt hoc itidem moribus suis christiani veteres. Hinc TERTVLLIANVS: (p) *Nos pro salute imperatorum Deum inuocamus aeternum, Deum verum, Deum viuum, quem & ipsi imperatores propi-*

(p) *apol. cap. XXX.*

propitium sibi praeter caeteros malunt. Et iterum: *Precantes sumus semper, pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum: quaecunque hominis & Caesaris vota sunt.* Et alibi: (q) *oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum ac potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Atque hoc cum christiani semper inter officia sua reputent, nunquam non pro salute & incolumitate imperantium vota precesque fundere, quis putet, eos deesse officio suo velle, quum ipsa temporis ratio hoc illis non tantum in memoriam reuocat, sed velut iure quodam ab illis exigit. Namque solennia, quae a principibus celebrantur, huc demum comparata censent, vt externis quidem documentis etiam, suam erga principem testentur reuerentiam, sed maxime tamen, vt aut gratias agant summo Numini pro beneficio tum principi ipsi, tum per eum reipublicae exhibito, aut ardentissimas pro eius salute & incolumitate preces fundant.

§. XXXV. Venire alicui hic dubium in mentem posset, an principi malo ac improbo solenni ista acclamandi formula, *vivat!* fausta quaeuis ac fortunata apprecari fas sit? Certe, si per se ista acclamatio, eius-

(q) *c. XXXIX.*

eiusmodi principi facta, vitium aliquod secum traheret, decori ratio hoc excusare nullo modo posset, cum supra inculcatum sit, decorum honestati, legibusque adeo diuinis & humanis, debere esse attemperatum. Mea sic fert opinio, modo formula ista rite capiatur, nihil obstare, quo minus malo etiam principi acclamari possit. Vita nimirum, non corporis tantum, sed animae etiam, immo haec praecipue, ista indigitatur. Quae cum sine vera ad Deum conuersione, vitaeque ac morum emendatione, nulla sit, patet, dum vitam principi malo apprecamur, simul nos ei apprecari, vt per conuersionem ad Deum verae vitae, scilicet spiritualis, particeps fiat. Et constat, quod pro improbis etiam fundi preces debeant: quod, siue priuatim fiat, siue in publica atque solenni acclamatione, perinde esse videtur. Immo in diuino isto Pauli apostoli oraculo, quod supra attulimus, dum pro principibus regibusque preces fundere iubemur, & improbi principes simul indigitantur, quales eo tempore erant, cum Paulus vixit. Nec christiani veteres vllum inter probum ac improbum imperatorem statuerunt discrimen, sed simpliciter approbarunt apostoli effatum, pro omnibus principibus orandum esse, iubentis. *Inspice*, inquit rursus

TERTVLLIANVS, (r) *Dei voces, literas nostras, quas neque ipsi supprimimus, & plerique casus ad extraneos transferunt. Scitote, ex illis praeceptum esse nobis, ad redundantiam benignitatis etiam pro inimicis Deum orare, & persecutoribus nostris bona precari. Qui magis inimici & persecutores christianorum, quam de quorum maiestate conuenimur in crimen? Sed etiam nominatim atque manifeste, orate, inquit, pro regibus, & pro principibus & potestatibus, vt omnia tranquilla sint.* Alia autem rursus quaestio est, aliterque omnino pronunciandum, si forte preces in rebus palam iniquis, aut dubiae saltem iustitiae, a nobis exigat. Exemplum esse potest, si in bello iniusto constitutus a populo ecclesiaeque ministris exigat, vt publice preces fundant pro felici armorum successu: aut si forte in bello iniusto victoriam ab hoste retulerit, poscatque, vt in solenni victoriae celebratione gratiae publice Numini soluantur. In hisce omnibus, quid subditum deceat, siue quid decori ratio honestati attemperata requirat, forte non adeo euidens fuerit. Ego lubens equidem concesserim, subdito non competere iudicium de actionibus principis, nec ei fas esse, in illas curiosius inquirere: quod si tamen belli aut alterius actus iniustitia manifesta sit, aut praegnantes saltem dubitandi causae, rectius aget

(r) *apol. cap. XXXI.*

aget ciuis, si tum a publica ista precatione aut gratiarum actione se abstineat: si enim ciui licet in eiusmodi rerum statu detrectare militiam, vt recte ostendit HVGO GROTIVS, (s) quidni liceret deprecari orandi aut gratias Deo persoluendi officium? Aut enim serio istud peragit, & peccabit citra controuersiam, implorando Dei auxilium in causa iniusta, vel pro benedictione diuina venditando, quod irae diuinae potius est argumentum, saltem pro effectu saepius humanorum consiliorum, a Deo ob causas nobis ignotas non impeditorum, quam diuinae benignitatis, reputandum. Aut contra aliud ore profert, qui tum precatur, gratiasque agit, aliud autem clausum in pectore tenet, & a foedissima non potest absolui hypocrisi. Vtrumque autem crimen, vt execrabile est, ita nec a cordato viro admitti potest, nec a principe ciuibus imponi.

§. XXXVI. Et luculentum hic iterum exemplum praebent veteres christiani, decori, in reuerentia erga principem demonstranda, obseruantissimi quidem, sed ita, vt nullis suppliciis adduci possent, ad aliquid admittendum, quo Numinis honorem obsequiumque, a mortalibus illi debitum, violari arbitrabantur. Hinc cum ethnici diuinum honorem, praesertim in actibus

(s) *l. III. de I. B. & P. c. XXVI. §. III.*

actibus solennibus, imperatoribus exhibebant, christiani quiduis potius pati malebant, quam eo se obstringere scelere. Cordate itaque ex mente illorum, optimus veteris disciplinae interpres, TERTVLLIANVS: (t) *Non Deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici, si homo sit. Interest homini, Deo cedere. Satis habeat appellari imperator. Grande & hoc nomen est, quod a Deo traditur. Negat illum imperatorem, qui Deum dicit. Nisi homo sit, non est imperator. Hominem se esse, etiam triumphans in illo sublimissimo curru admonetur. Suggeritur enim ei a tergo, respice post te, hominem memento te.* Et alibi: (u) *Tanto abest, vt imperator Deus debeat dici, quod non potest credi, non modo turpissima, sed & pernicioſa adulatione. Tanquam si habens imperatorem, alterum appelles, nonne maximam & inexorabilem offensam contrahes eius, quem habuisti, etiam ipsi timendam, quem appellasti?* Hoc scilicet sibi vult TERTVLLIANVS, nullum imperatorem aequo laturum animo, si quis priuato imperatoris tribuere titulum, aut cultum imperatori debitum exhibere velit. Hinc infert, ergo & Deum grauissime offendunt, qui honores illi tantum debitos hominibus deferunt. Sed pergit: *esto religiosus in Deum, qui vis illum propitium imperatori. Define alium Deum*

(t) *apol. c. XXXIII.* (u) *c. XXXIV.*

Deum credere, atque ita & hunc Deum dicere, cui Deo opus est. Similia & apud alios occurrunt, quae hic operosius congerere superuacaneum duco.

§. XXXVII. Haud extremam autem solennium, quae ab imperatoribus ethnicis instituebantur, partem constituebant ludi solennes & spectacula. Decorum videbatur requirere, vt christiani quoque in honorem principis illis interessent. At exigebant hi decorum ad leges honestatis disciplinaeque christianae, cumque ab hac illud discrepare intelligerent, nullo modo ad hoc se induci passi sunt, pulcherrimum exemplum posteritati relinquentes, quo pacto in his quisque se gerere debeat. Et rem ipsam & causam etiam, cur hic ita se gesserint christiani, ex luculentis patrum testimoniis perspicere licet. CLEMENS ALEXANDRINVS: (x) *Ne ad spectacula quidem nos paedagogus deducet* (latina saltem verba brevitatis studio damus). *Nec inconcinne stadia & theatra pestilentiae cathedram quis vocauerit, & maledictis deuouetur, quae ibi fit congregatio. Magna itaque confusione & iniquitate si coetus pleni sunt, & occasio conuentus causa est turpitudinis, cum viri & feminae mixtim conueniant, alter ad alterius spectaculum. Hic perperam iam agitur concilium. Dum enim lasciuiunt oculi, calescunt appetitiones, & oculi proximos impu-*

Cc dentius

(x) *paedag. l. III. c. XI.*

dentius respicere assuefacti, quod concessum sibi vident otium, intendunt cupiditates. Prohibeantur ergo spectacula & acroamata, quae nequitia verbisque obscoenis, & vanis, temere profusis, plena sunt. Quod enim turpe factu non ostenditur in theatris? quod autem verbum impudens non proferunt, qui risum mouent, scurrae & histriones? Sed integri extant patrum de hoc argumento libri, tantaque testimoniorum copia, vt magnae molis librum conficere posset, qui conuectare ea atque congerere vellet. Sed ex instituto hoc iam & diligenter quidem egit TOBIAS PFANNERVS. (y) Vnicum saltem, eius, quem saepius iam laudauimus, TERTVLLIANI, adiicimus effatum: (z) *Nihil est nobis dictu, visu, auditu, cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenae, cum Xysti vanitate.* Causas simul velut in compendio indigitat, cur tantopere spectacula & ludos execrati sint veteres: quibus tamen & aliae addi possunt, quas inter haud postrema fuit, quod ludos & spectacula pro parte cultus idololatrici habuerint, quippe quae in Deorum quoque honorem institui ac celebrari solebant. Quicquid huius sit: id certe laudandum, quod, cum summa ceteroquin principes prosecuti sint veneratione, nihil tamen in eorum honorem admit-

(y) *in obseruat. eccles. part. I. obseruat. VIII.*
(z) *apol. cap. XXXVIII.*

admittere voluerint, quod legibus diuinis repugnare crediderunt.

§. XXXVIII. Sed alia quoque erant vitae ciuilis capita, in quibus quoad externa a gentilium moribus discrepabat christianorum disciplina. Namque & lotionibus ad necessitatem, non ad voluptatem, vtebantur christiani, & coronas in capite gestare nolebant, contra naturam esse reputantes, coronam gestare in capite. Quanquam in hisce, praesertim si in solennibus principum tale quid ab illis postulatum fuisset, dare aliquid moribus receptis potuisse videntur: nisi forte graviores quaedam subfuerunt causae, nobis incognitae, quae certe efficere potuerunt, vt in hisce quoque, moribus gentilium se attemperare, summum eo tempore fuerit nefas. Interim audire hac de re iuuat TERTVLLIANVM: (a) *Sed si ceremonias tuas non frequento, attamen & illa die homo sum. Non lauor diluculo saturnalibus, ne & noctem & diem perdam: attamen lauor honesta hora & salubri, quae mihi & calorem & sanguinem seruet. Rigere & pallere post lauacrum mortuus possum. Non in publico liberalibus discumbo, quod bestiariis suprema coenantibus mos est, attamen vbique de copiis tuis coeno. Non emo capiti coronam: quid tua interest, emptis nihilominus floribus quo modo vtar? Puto, gratius esse li-*

(a) *apol. c. XLII.*

beris & solutis & vndique vagis. Sed, etsi in coronam coactis, nos coronam naribus nouimus, viderint, qui per capillum odorantur. In hisce ergo, similibusue, cum christiani veteres, grauissimis tamen rationibus adducti, ita se gererent, ratio intelligitur, cur gentiles illis, tum alia vitia, tum maxime rusticitatem, & decori & neglectum, obiecerint. Huc enim, ni fallor, referri potest, quod CELSVS apud ORIGENEM (b) christianis obiicit, quod vitent τὰς χαριεστέρας *elegantiores*, illaqueent contra τὰς ἀγροικοτέρας *rusticiores*. Immo ἀλογίαν illis ab ethnicis ob hasce causas obiectam, notat CHRISTIANVS KORTHOLTVS, (c) idque prolixius probat, quo ipso innuebant, christianos ob incultos, rurisque plenos mores, plane ineptos esse ad vitam ciuilem & inidoneos. Quod gentilium quidem improbitatem & malitiam demonstrat, neutiquam tamen eos excusat, qui in iis capitibus etiam decori leges migrant, in quibus nulla inter decorum & honestum deprehenditur pugna, & ita citra necesitatem turbis & dissensionibus occasionem praebent, quosque adeo & Christi, & apostolorum, & aliorum virorum sapientissimorum exempla, rectiora edocere poterant.

§. XXXIX. Modernos itaque christianorum

(c) *l. VI. p. m. 533.* (c) *in pagano obtrectatore l. III. cap. XII.*

norum mores, si contendamus cum moribus veterum christianorum, ad ethnicos propius, quam christianos, illos accedere, euinci haud difficili negotio potest. Veteres scilicet christiani in solennibus principum nihil omittebant, quod ad reuerentiam principi testandam pertinere arbitrabantur. At quid nostri? commessari, debacchari, inebriari, rem pulcherrimam, putant, planeque decoram, modo fiat in honorem principis. Solennia principum celebrari putant, non vt preces ad Deum fundant, aut pro beneficio accepto illi gratias agant, sed vt licentiam quiduis impune perpetrandi adipiscantur. Tum demum quam rectissime honori principis se consulere putant, cum in omni flagitiorum voluptatumque genere strenue se volutant. Ceteros, qui idem non faciunt, aut hocce forte non probant, neglecti erga principes officii, aut prorsus laesae maiestatis, accusare non dubitant. Miseri mortalium! itane vero honori principis consulitur, cum talia perpetrantur, quae summum illi adferunt dedecus? Placebitque, credo, sapienti principi, qui flagitiis suis iram Numinis, & in principem & in totam rempublicam prouocat! Sed si adhuc dubitent, qui ista probant, conueniantne sui mores cum christianorum aut gentilium moribus, expendant saltem, velim, TERTVLLIANI,

quem nunc afferam, locum, in quo luculentissime veterum christianorum, & sub nomine gentilium, modernorum, mores circa solennia principum describit, quemque ideo obseruatu dignissimum censeo: (d) *Propterea igitur publici hostes christiani, quia imperatoribus neque vanos neque mentientes, neque temerarios honores dicant; quia verae religionis homines etiam solennia eorum, conscientia potius, quam lasciuia, celebrant. Grande videlicet officium, focos & toros in publicum educere, vicatim epulari, ciuitatem tabernae habitu abolefacere, vino lutum cogere, cateruatim cursitare ad iniurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium, per publicum dedecus? Haeccine solennes dies principum decent, quae alios dies non decent? Qui obseruant disciplinam de Caesaris respectu, ii eam propter Caesarem deserunt: & malorum morum licentia pietas erit, occasio luxuriae religio deputabitur. O vos merito damnandos! Cur enim vota & gaudia Caesarum casti & sobrii, & probi expungimus? Cur die laeto non laureis postes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? Honesta res est, solennitate publica exigente, induere domui tuae habitum noui lupanaris. Velim tamen in hac quoque religione secundae maiestatis, de qua in secundum sacrilegium conuenimur christiani, non celebrando vobiscum solennia Caesarum, quo more celebrari, nec modestia, nec verecun-*

(d) *apol. c. XXXV.*

recundia, nec pudicitia permittunt, sed occasio voluptatis magis, quam digna ratio persuasit, fidem & veritatem vestram demonstrare, ne forte & isti deteriores christianis deprehendantur, qui nos nolunt Romanos haberi, sed hostes principum Romanorum. Ipsos Quirites, ipsam vernaculam septem collium plebem conuenio, an alicui Caesari suo parcat illa lingua Romana? Testis est Tyberis & scholae bestiarum. Quid aptius dici poterat, quam, *conscientia potius, quam lasciuia, celebranda esse solennia principum?* Quid ad nostros mores accommodatius, quam quod *malorum morum licentia pietas sit, occasio luxuriae religio deputetur?* Hoc autem in tota hac dissertatione sibi vult vir doctissimus, huc summa dictorum redit, celebranda & a christianis esse solennia principum, sed non eo modo, vt tum licentiam peccandi, & in quibusuis voluptatibus se volutandi, sibi concessam putent. Cui sententiae nos plane subscribimus, immo nostrae quoque dissertationis huc redire summam, lubenter profitemur.

§. XL. Haec autem vt de eo, quod circa solennia principum decet, commentaremur, occasionem nobis dederunt solennia ob regiam dignitatem, felicissimis auspiciis, in domum Brandenburgicam illatam, hactenus instituta. Solennem introitum in regiam vrbem, quae caput est ditionum Brandenburgicarum, omnes loquuntur: nec coronationis inaugurationisque solen-

nia memoria noſtra exciderunt. Quae ergo aliis praeſcripſimus, ea nobis cumprimis dicta putamus. Praecipuum ſcilicet caput officiorum, quae a ciuibus circa ſolennia principum exiguntur, hoc eſt, vt, tum maxime opportunam occaſionem, vota pro ſalute & incolumitate principis nuncupandi & ſoluendi, ſibi oblatam exiſtiment. Tibi ergo, aeterne atque benignisſime Deus, ſerenisſimum potentisſimumque regem noſtrum, regni heredem, & totam gentem Brandenburgicam humillimis deuotisſimisque commendamus precibus. Tibi gratias agimus, pro iſto munere, quod regi noſtro potentisſimo impertiuiſti, coronam regiam capiti eius imponendo, poſtquam regiis eum iam pridem inſtruxiſti virtutibus. Immo gratias agimus ſubiectisſimas, quod, cunctis ſolennibus rite peractis, ſaluum eum incolumemque iterum nobis reddidiſti. Fac, benignisſime Deus, vt ſub noui regis auſpiciis pietas, virtus & ſapientia, noua incrementa ſumant, vtque ex noua iſta regia dignitate nouum praeſidium illis accedat, qui te timent, qui nihil ſibi prius aut antiquius ducunt, quam tui nominis amplificare gloriam, tuique regni proferre longe lateque limites.

S. D. G.

EXER-

EXERCITATIO POLITICO-MORALIS

DE

METV COMPARATIONIS

AD C. CORNELII TACITI ANNAL. LIB. I. CAP. LXXVI.

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XII. DECEMBR. MDCCI.

RESPONDENTE

IOAN. IACOBO LVEDECKE,

HALLENSI-SAXONE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0472

Σύναψις.

Metum comparationis in Tiberio notat Tacitus, §. I. Comparatione virtutes & vitia magis elucescunt, §. II. Ad eam, vt recte se habeat, quid requiratur, §. III. Causa diuersitatis & errorum in comparationibus & iudiciis, §. IV. Dicta testimoniis veterum comprobantur, §. V. Ansam hinc arripuerunt Sceptici iudiciorum nostrorum certitudinem in dubium vocandi, §. VI. Ex allatis euincitur, quod populus, comparans principem cum antecessore, vix vnquam in iudiciis suis satis sibi constet, §. VII. Quousque dare aliquid opinioni populi princeps possit, §. VIII. Iustas praegnantesque princeps habet causas, ad iudicia populi, cum aliis se conferentis, attendendi, §. IX. Quod princeps etiam conferri possit cum successore suo: effectus huius comparationis, §. X. item cum ministris suis, aliisque, qui adhuc in viuis sunt, & quid eam comparationem interdum sequatur, §. XI. Tacitum loqui de comparatione cum antecessore, §. XII. An fas sit principi, existimationis suae habere rationem? §. XIII. An consultum eidem, libellos famosos, & scripta satyrica, generoso contemptu negligere? §. XIV.

Com-

*Comparationis metus vituperabilis euadit, si in eo sit, qui cupiditatibus suis seruit, vti ex eodem capite existimationis neglectus recte reprehenditur, §. XV. Periculosum est, succedere principi per ignauiam ad omnia delicta conniuenti, §. XVI. Comparationis metus an & quousque in auaros cadat? §. XVII. Suspicio cum metu comparationis interdum coniuncta est, ab eodem tamen differt, §. XVIII. Ambitiosi quousque comparationem metuant? §. XIX. Quo pacto metus comparationis differat ab aemulatione? §. XX. Aemulationem semper vituperabilem esse, contra Boeclerum probatur, §. XXI. Ad rationes, quae in contrarium afferri solent, respondetur, §. XXII. Inuidia quo pacto & ab aemulatione, & metu comparationis, differat? §. XXIII. Idem vlterius asseritur, §. XXIV. Inuidiam nunquam laudabilem esse, contra Cartesium euincitur, §. XXV. Quando itaque metus comparationis vituperabilis sit, summatim indicatur, speciatim vero, ad conditionem agentis respiciendum esse, docetur, §. XXVI. Vituperabilem etiam eum euadere, si limites, omnibus affectibus constitutos, transiliat, §. XXVII. Augeri foeditatem eius per effectus, inter quos primo refertur turpissima hypocrisis, §. XXVIII. alter effectus est iniqua anteceſſorum obtrectatio, §. XXIX. tertius, inepta imitatio, §. XXX. quartus, odium erga alios, item antipathia bonorum & malo-

malorum, §. *XXXI. quintus interdum effectus accedit, occultatio & conspectus publici euitatio*, §. *XXXII. Quando metus iste laudabilis sit*, §. *XXXIII. Discrimen metus istius laudabilis, & vituperabilis, per singula capita explicatur*, §. *XXXIV. Remedia contra vituperabilem istum comparationis metum paucis indicantur, & dissertationi finis imponitur*, §. *XXXV.*

§. I.

SPectaculo abstinuisse Tiberium Caesarem, cum retulisset C. CORNELIVS TACITVS, (a) varias mox, vt suspicionibus admodum indulget, laudandone an reprehendendo, nescio, exemplo, subiungit de causis, quae illum permouerint, coniecturas. *Alii*, inquit, *taedio coetus, quidam tristitia ingenii &* METV COMPARATIONIS, *quia Augustus comiter interfuisset. Non crediderim*, ita pergit, *ad ostentandam saeuitiam, mouendasque populi offensiones, concessam filio materiem: quanquam id quoque dictum est.* Quam remouet causam TACITVS, eam forte veram aut, praecipuam esse existimauit; certe callidissimo scriptori in more positum est, per ambages atque anfractus incedere, & aliorum voces referendo, aut improbando etiam, quod tamen verosimilitudinis maxima

(a) *lib. I. annal. cap. LXXVI.*

xima specie se commendat, lectori aliquid persuadere. Quicquid huius sit, nulla certe earum, quas vnico velut fasce complexus est TACITVS, ab indole genioque Tiberii abhorret, dignam tamen prae ceteris, quam paulo diligentius considerare-mus, existimauimus, quam tertio loco affert, *metum comparationis*. Principum enim, immo omnium hominum mores paulo accuratius perpendenti patebit, multorum animis eundem insidere morbum, & subinde etiam in vitia grauissima erumpere.

§. II. Nihil sine comparatione magnum dici posse, sapientum scitum est. Addo, nihil paruum, graue, leue, sine comparatione recte intelligitur. Virtutum autem vitiorumque haec est natura, vt per comparationem magis eluceſcant, & euidentiori quadam specie animis mortalium subiiciantur. Neque plebi tantum imperitae rerumque ciuilium rudi in more positum, instituta statim comparatione, iudicium de aliis ferre, sed doctissimis etiam viris eandem rationem de moribus hominum pronuntiandi, eosque velut depingendi, probari, constat. Ecquis est, quem PLVTARCHI institutum latet, integro libro praestantissimos Graeciae Latiique viros contendentis, vt collatae inter se virtutes pariter ac vitia, eo apertius in lucem proferrentur. Trogi Pompeii epitomastes IVSTI-

NVS,

NVS, Philippi patris & Alexandri filii indolem non rectius, quam instituta comparatione, lectoribus se exhibere posse, existimauit. (b) *Philippo*, inquit, *Alexander filius successit, & virtute & vitiis patre maior. Vincendi ratio vtrique diuersa. Hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis. Prudentior ille consilio: hic animo magnificentior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere: hic vbi exarsisset, nec dilatio vltionis, nec modus erat. Vini nimis vterque auidus, sed ebrietatis diuersa vitia. Pater de conuiuio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre: Alexander non in hostem, sed in suos saeuire. Quamobrem Philippum saepe vulneratum praelia remisere, hic amicorum interfector conuiuio frequenter excesit. Regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus vtrique similis. Solertiae pater maioris, hic fidei. Verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus & promptior & honestior, ille nec sacris abstinebat. Frugalitati pater, luxuriae filius magis deditus erat.* Ex recentioribus BENIAMIN PRIOLVS (c) eleganter cum Richelio cardinali Mazarinum, vti FAMIANVS STRADA. (d) Egmondanum Comitem cum Arausionensi principe, contulit atque contendit. Plutar-

(b) *lib. IX. histor. cap. VIII.* (c) *lib. I. cap. XXIX.* (d) *dec. I. p. m. 136.*

Plutarchi autem exemplum imitatus est RENATVS RAPINVS, qui Gallica lingua simile prorsus conscripsit opus, (e) in quo cum Demosthene Ciceronem, Virgilium cum Homero, Liuium cum Thucidide, cum Platone Aristotelem, & Horatium denique cum Pindaro comparari videas. Sed quid opus exemplis pluribus, in re euidenti, & de qua nemo dubitat.

§. III. Vt autem eo rectius de metu comparationis, sitne laudandus in principe, an vituperandus, dispicere queamus, iuuat paulo penitius in ipsam naturam comparationis introspicere. Obseruant autem, qui in humanae mentis recessus penetrare annituntur, cum ideas diuersas inter se componimus, vt quousque inter se conueniant, aut a se inuicem differant, deprehendamus, tum demum hoc comparationem dici. Quo quidem in negotio vt errores, qui vbique, praesertim vero in comparationibus, se ingerunt, euitemus, necesse est, vt res, quas contendere suspicimus, accurate nobis cognitae sint atque exploratae. Ciceronem cum Demosthene frustra aliquis contulerit, nisi vtriusque ingenium, doctrinam, mores, studia, fata, eloquentiam intime prius fuerit perscrutatus.

(e) *Les comparaisons des grands hommes de l'antiquité, tom. I. opp. Amstelodami a. 1693. recusorum.*

tus. Cumprimis autem & hoc expendendum est, quod in comparatione idea, quae notior nobis est, & fundamenti loco ponitur, pro mensura sit, ad quam alteram exigimus, vt valorem veluti istius rei exploremus, & huic iudicium nostrum superstruamus. Ea autem nisi clarissima sit, & recte se habeat, non est, quod magis nobis iudicia vera & recta polliceamur, quam qui mendaci regula atque norma rei cuiusdam indolem aut quantitatem explorant. Dixerit aliquis, principem Alexandro Magno fortiorem, Salomone sapientiorem, Dauide sanctiorem fuisse: nisi de fortitudine Alexandri, de sapientia Salomonis, de sanctitate Dauidis accurate illi constiterit, intellexisse, quod dixit, censendus non est.

§. IV. Cum autem paucissimi mortalium mentis curam in id intendant, vt clara & euidens ea idea sit, quam in suis iudiciis fundamenti loco substernunt, & ad quam alias exigunt, fieri aliter non potest, quam vt & idearum istarum (vt ita loqui mihi liceat) fundamentalium, & ipsorum quoque adeo iudiciorum, maxima sit diuersitas. Hinc quotidie experientia magistra edocemur, leue censeri ab vno, quod alter graue dixerit: ab vno magnum vocari, quod alteri paruum aut mediocre videtur: decorum censeri ab his, quod alii turpe

credunt, & de pulchritudine ac forma rei iudicia hominum non magis inter se convenire, quam gustus de saporibus. Cum etiam nulla res sit, quae non cum alia comparari possit & soleat, & pleraque iudicia nostra huic comparationi innitantur, quam latissime hanc errandi occasionem sese extendere, nemo non facile animaduertit. Legi merentur, quae subtilissimus vir, & Britanniae decus, IO. LOCKIVS de relationibus disserit, (f) quae lucem egregiam huic nostrae dissertationi conciliabunt.

§. V. Immo iam veteribus idem obseruatum fuit, ne quis, non satis comperta nos tradere, arbitretur. Audire ex his TVLLIVM iuuat: (g) *Quia vltra nihil habemus, hoc longum ducimus; omnia ista, perinde vt cuique data sunt, pro rata parte a vita, aut breuia aut longa dicuntur. Apud Hyparim fluuium, qui ab Europae parte in Pontum influit, Aristoteles ait, bestiolas quasdam nasci, quae vnum diem viuunt. Ex his igitur quae hora octaua mortua est, prouecta aetate mortua est; quae vero occidente sole, decrepita, eo magis, si etiam solstitiali die. Confer nostram longissimam vitam cum aeternitate, in eadem propemodum breuitate, qua istae bestiolae, reperiemur.* Hoc sibi vult vir doctissimus, longum & diuturnum tempus quibusdam

(f) *Essai philosophique concernant l' entendement humain, lib. II. cap. XXV. seqq.*

(g) *l. I. Tusc. n. 94.*

dam dici posse, quod ab aliis breue iudicabitur, pro diuersa longitudinis & breuitatis, quae illorum menti insidet, idea, & ad quam rerum aliarum aut temporis etiam breuitatem ac diuturnitatem exigunt. CICERONI suffragatur SENECA: (h) *Quicquid inter vicina eminet, magnum est illic, vbi eminet. Nam magnitudo non habet certum modum:* COMPARATIO *illam aut tollit aut deprimit. Nauis, quae in flumine magna est, in mari paruula est: gubernaculum, quod naui alteri magnum, alteri exiguum est.* Eadem prorsus ratione in moralibus ciuilibusque sese res habet. Quod vni splendidum & magnificum, hoc alteri vile, sordidum: quod vni praestans & glorioſum, hoc alteri contemnendum videtur, pro ideae, cum qua res diiudicandas confert, diuersitate.

§. VI. Dedit ista res ansam scepticis, vt in eam ingrederentur sententiam, in ista iudiciorum diuersitate, nihil certum aut stabile reperiri. Iunior namque academia hoc maxime vtebatur argumento, vt ostenderet, nihil percipi posse. *Nulla omnino in re minutatim interroganti, dives pauper; clarus obscurus; multa pauca; magna parua; longa breuia; lata angusta; quanto aut addito aut dempto*, certum quid responderi posse, ex illorum mente disputat CICERO. (i) SEXTVS

(h) *ep. XLIII.* (i) *lib. IV. acad. quaest.*

EMPIRICVS (k) vero inter modos cohibendi iudicium hunc quoque refert, quod quae relatorum, (huc vero & comparata pertinent) natura sit, sciri nequeat: *Octauus est modus*, inquit, *ex relatis, secundum quem colligimus, cum omnia sint relata, quaenam sint simpliciter & secundum naturam, nos assensum retenturos.* Sed proprium est hisce hominibus, vltra, quam decebat, procurrere. Etenim, quae difficilem rerum cognitionem reddunt, eam non statim prorsus tollunt.

§. VII. Ad nostrum quo pacto pertineant institutum, quae hactenus disputauimus, nunc demonstrandum est. Quoties nouus princeps rerum habenas capessit, toties populi exponitur iudicio. Hic autem cum anteceſſore eum comparando, in sententias, aut amorem & venerationem, aut odium contra & contemtum parituras, se haud difficulter induci patitur, vnde haud raro & salus & pernicies tum principis, tum reipublicae pendet. Si ergo de anteceſſore cogitantes ideam principis omnibus virtutibus praediti, tantumque non consummati, menti suae exhibeant, tanto benignius de succeſſore iudicabunt, quanto propius ad istam, quam animo conceperunt, ideam boni principis accedet, tanto contra ad contemnendum proniores erunt, quantum iste ab indole sui anteceſſo-

(k) *Pyrrhon. hypot. lib. I.*

ceſſoris erit alienior. Idea enim anteceſſoris, quae recens eſt, aut principis ſaltem, quem magno amore proſecuti ſunt, cuius memoria altas radices egit, cum menti illorum ſemper obuerſetur, fundamenti & menſurae loco eſt, ad quam omnium principum, praeſertim ſucceſſorum, virtutes moresque exigunt. Atque eodem modo ſe res habet, ſi quis inuiſo principi aut tyranno ſuccedat. Quanto enim ab idea ſui anteceſſoris tum receſſerit longius, tanto gratior erit, tanto autem magis inuiſus, quanto ad eius exemplum acceſſerit propius. Populus itaque non vna eademque ratione de principibus iudicat: nec adeo vlla norma conſtans & perpetua reperitur, ad quam principes ſe componant. Proinde nihil aliud ſupereſt, quam vt, qui populi ſibi conciliare amorem cupit, inquirat, qualis imago boni principis animis eius haereat, quem ex anteceſſoribus maximi fecerit, ad cuius exemplum mores ſuos actionesque exigat.

§. VIII. Maxima autem hic nonnunquam occurrit difficultas: cum experientia doceat, populum amare haud raro vitia principis, virtutes contra odiſſe. Hinc comparatione inſtituta, ſi diſſimilem anteceſſori principem ſuum deprehendit, odio proſequitur & contemnit, quod vitiis, quae placebant, deſtitutum, deditum con-

tra ingratis sibi videt virtutibus. Quae tamen res sapientem principem a virtutis non dimouebit tramite, quam pluris vtique facit, quam fauorem populi, & huic merito praefert, si vna retinere nequit. Interdum vero, immo plerumque, virtutem & praestantiam principis ex habitu corporis, affabilitate, aliisque externis metitur populus. In quibus rursus, si comparationem succesſor metuit, videbit, quid positum in sua potestate sit, quidue sibi denegatum: dandumque vel maxime aliquid opinioni populi est, quantumuis erroneae, vt in comparationis iudicio vtcunque illi satisfiat. Intelligere autem inde licet, cur principes, Romani cumprimis imperatores, haud raro anteceſſorum suorum nomina aliaque externa assumserint. Persuadebant enim sibi, populum in illis imaginem eorum, quorum mores exprimere annitebantur, aut nomina gerebant, agniturum, & ita eodem se quoque prosecuturum fauore. Sic non modo Caesaris & Augusti nomen reliqui retinuere imperatores, sed multi etiam Antonini dici voluerunt, quod Antonini Pii, & M. Aurelii Antonini philosophi, gratissima populo Romano esset memoria. *Et fuit quidem*, inquit AELIVS LAMPRIDIVS, (1) de Antonino Diadumeno verba faciens, *tam amabile illis tempa-*

(1) *in Anton. Diadum. cap. VI.*

temporibus nomen Antoninorum, vt, qui eo nomine non niteretur, mereri non videretur imperium. Eadem refert IVLIVS CAPITOLINVS, (m) in rationes inquirens, cur Diadumeno Antonini nomen a Macrino patre inditum sit: *Alii vero*, inquit, *tantum desiderium nominis huius* (Antonini) *fuisse dicunt, vt, nisi populus & milites Antonini nomen audirent, imperatorium non putarent.* Adeo externis, ipsis etiam nominibus, capitur populus, vt in comparatione principum vel ad ea sola quandoque respiciat. Egregie quoque hanc nostram sententiam confirmat, quod de Seuero imperatore refert AELIVS SPARTIANVS: (n) *legisse*, inquit, *me apud Aelium Maurum Phlegontis Tralliani libertum memini, Septimium Seuerum immoderatissime, cum moreretur, laetatum, quod duos Antoninos pari imperio reipublicae relinqueret, exemplo Pii, qui Verum & Marcum Antoninos per adoptionem filios reipublicae reliquit: hoc melius, quod ille filios per adoptionem, hic per se genitos, rectores Romanae reipublicae daret, Antoninum scilicet Bassianum, quem ex priore matrimonio susceperat, & Getam, quem de Iulia genuerat.* Lubricum certe comparationis fundamentum, non potuit non incertum & fallax admodum felicitatis futurae augurium producere. Apud plebem, fateor, nominis, aliorumque

(m) *in Opil. Macrin. cap. III.* (n) *in Seuero cap. XX.*

externorum similitudo, si cetera vtcunque respondeant, plurimum valet, vi tamen omni tandem destituitur & efficacia, si aperte in virtutibus & moribus maxima disfimilitudo conspiciatur. Hinc & AELIVS SPARTIANVS recte subiungit: *Sed illum* (Severum imperatorem) *multum spes fefellit. Nam vnum parricidium, alterum sui mores reipublicae inuiderunt: sanctumque illud nomen* (Antonini) *in nullo diu bene mansit.*

§. IX. Haec cum ita sint, iustas merito princeps sapiens censetur habere causas, vt de comparatione, quae apud populum forte illi subeunda est, sit sollicitus. Lubrico, incerto, interdum & inepto fundamento hanc comparationem, quae maximum tamen contemtum principi attrahere potest, vtplurimum inniti, ex hactenus dictis nemini obscurum esse potest. Alius ex specie externa, alius ex liberalitate, alius ex indulgentia, alius ex victoriis ab hostibus reportatis, metitur bonum principem. Quam difficile itaque, apud omnes boni principis obtinere laudem. Esto princeps iustus, fortis, sapiens: succedat is principi, externa corporis specie, splendido aulae apparatu, ludis publicis, indulgentia vix ferenda populi demulcere animos sueto, nec ei per omnia sit similis: actum fere erit de beneuolentia populi, praesentem rerum statum is

aegre

aegre semper intuebitur, elapsa laudabit tempora, antecessorem requiret & lugebit, hunc cum illo ne comparandum quidem palam profitebitur. Quantiscunque etiam tum successor polleat virtutibus, si ipse displiceat, vitia erunt. Iustitia crudelitas vocabitur, clementia nimia indulgentia, temperantia auaritiae speciem induet, liberalitas profusionis. Iam pridem enim inualuit, vt actiones hominum, maxime principum, ex affectu populi, virtutum, aut vitiorum nomen sortiantur, laudisque & vituperii non alia regula, quam amor & odium, statuatur. Haec omnia vero id satis superque euincunt, non satis recte saluti suae consulere principem, qui haec populi iudicia negligat, immo euincunt, comparationem vel maxime illi metuendam esse.

§. X. Ceterum, cum comparatio inter plures, saltem duos, institui soleat, quinam illi sint, quibuscum conferri princeps possit, vt iusta metuendi illi subnascatur causa, dispiciendum. Contendi certe principem cum antecessoribus, cum successoribus, & cum aliis, qui eodem tempore viuunt, posse, palam est. Successorum comparatio, cum post mortem fere institui soleat, nisi regno ipse se abdicauerit, aut eo deiectus sit, vix videtur hic in censum venire. Tanta tamen quorundam fuit,

ambitio & improba laudis cupiditas, vt, in ptos, crudeles, & imprudentes successores aut optauerint aut designauerint, vt illorum comparatione tanto gratior sui esset memoria, tanto vberior laudis & gloriae messis. Ipsum Augustum, quis crederet? eo animo fuisse, nonnulli suspicati sunt apud CORNELIVM TACITVM. (o) *Ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicae cura, successorem adscitum: sed quoniam adrogantiam, saeuitiamque eius introspexerit*, COMPARATIONE DETERRIMA *sibi gloriam quaesiuisse.* Dixerit, aliquis, has suspiciones esse: sunt, fateor: at a genio & indole Augusti non adeo abhorrent. Falluntur, qui verae virtutis exempla in Augusto similibusque imperatoribus quaerunt: multo magis, qui, nihil, nisi laude dignum, ab iis perpetrari posse, sibi persuadent. Accedit, quod cum Tacito consentiat SVETONIVS, (p) qui, hoc Augusto constitutum fuisse, dicit, quo ipse desiderabilior fieret. Ipse vero etiam Tiberius gauisus dicitur, (q) quod successurum sibi videret Caligulam, quem deleturum flagitiorum suorum memoriam, scelerum magnitudine, sperabat. De Ludouico XI. etiam Galliae rege, memoriae proditum est, noluisse eum, vt filius & successor Carolus literis imbueretur. Quae, cau-

(o) *annal. lib. I. cap. X.* (p) *in Tiberio cap. XXI.* (q) *vid. Dio Cassius lib. VIII.*

causa? Non errauerit forte, qui dixerit, callidissimum principem *comparatione deteriori gloriam sibi quaesiuisse*. Nec multum, eum spes fefellit, cum constet, Carolum, paucorum consiliis, cum magna saepe ciuium indignatione, circumactum. Sunt tamen, qui alias huius consilii a Ludouico initi, afferunt rationes. Legi hac de re potest PAVLVS AEMILIVS (r). Nihil autem execrabilius, quam istum comparationis metum cogitari posse, omnes, puto, facile mecum agnoscent. Quemadmodum contra non alio magis approbatur animi magnitudo, quam quod optimus princeps non timeat eligere meliorem. *In principe*, inquit PLINIVS, (s) *qui electo successore vita concesit, vna eademque certissima diuinitatis fides est, bonus successor.*

§. XI. Quod vero cum aliis etiam comparari possit, qui nec successorum, nec antecessorum censu veniant, probatione non indiget. Ipsi ministri principis, duces bellici, primariique ciues in huncce numerum sunt referendi. Experientia quoque comprobatum est, intempestiua populi comparatione, aut comparationis metu incitatos, magnum animo erga istos concepisse odium, nec quicquam, vt eos perderent, fecisse reliqui. Saulem Israëlitarum regem

(r) *de rebus Francor. in Carolo VIII.* (s) *panegyr. Trai. dicto cap. XVI.*

regem quid aliud in Dauidem innocentisſimum concitauit, quam Iſraëliticarum feminarum laudes, quibus, comparatione inter vtrumque inſtituta, Dauidem praeferebant Sauli? *I. Sam. XVIII. 8.* De Antipatro inſignem victoriam a Lacedaemoniis reportante Q. CVRTIVS (t) ait, eum metuiſſe inuidiam Alexandri, adeoque probe intellexiſſe, non poſſe ſine maximo periculo cum principe ſuo in laudis participationem venire miniſtrum. *Quanquam*, inquit, *fortuna rerum placebat, inuidiam tamen, quia maiores res erant, quam quas praefecti modus caperet, metuebat.* Sapienter addit: *Quippe Alexander hoſtes vinci voluerat: Antipatrum viciſſe, ne tacitus quidem indignabatur: ſuae demptum gloriae exiſtimans, quicquid ceſſiſſet alienae.* Immo inuidia metuque comparationis abreptus Alexander, felix Antipatri praelium adeo extenuauit, vt *μυομαχίαν murium pugnam* appellaret, teſte PLVTARCHO. De eodem AELIANVS: (u) *Perdiccam oderat, quod eſſet bellicoſus: Lyſimachum, quod imperatoriae artis peritus: Seleucum, quod forti animo eſſet: Antigoni vero liberalitas eum offendebat, & Attali imperatoria dignitas, & Ptolomaei proſperitas.* Certiſſima itaque apud eiusmodi principes exitii cauſa eſt ipſa virtus, vel quicquid aemulationem aut inuidiam eius prouocare poteſt, aut in quo miniſtrum vel

(t) *lib. VI. cap. I. n. 18.* (u) *hiſt. var. l. XII. c. 16.*

vel ciuem, instituta comparatione se superiorem esse, existimat. Hinc illa Neronis vox: *quicquid excelsum est, cadat.* Nobilitas, opes, amissi gestique honores pro crimine sunt, vt TACITVS loquitur. (x) Non minus periculum ex magna fama, quam ex mala, nullaque ex re magnam securitatem, quam inertia, idem alibi pronunciat. Iulianum Caesarem inuisum Constantio reddiderunt, quasi per benevolentiam ab inuidis ac maleuolis iactatae voces: *Iulianus Alemanniam domuit, Iulianus vrbes Galliae incitauit &c.* Assyriorum quidam rex, quocum Cyrus maior bellum gesit, Gabriae satrapae filium hasta transfixit, non aliam ob causam, quam quod in venatione vrsum & leonem certo ictu percusserat, cum regis iaculum aberrasset, vt XENOPHON auctor est. (y) Et ea principum quandoque indoles est, vt in ludicris etiam, aut iis artibus, in quibus non excellere iis neutiquam ignominiosum est, parem, multo minus superiorem, ferre nequeant. Hadrianus imperator, *quamvis esset oratione & versu promptissimus, & in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper vt doctior risit*, vt de eo pronunciat AELIVS SPARTIANVS. (z) Prudenter itaque Fauorinus philosophus in certa-

(x) *lib. I. histor. cap. II.* (y) *lib. IV. Cyropaed. p. 218.* (z) *in Adriano cap. XV.*

certamen & comparationem cum hocce imperatore adductus, noluit esse superior. Et Fauorinus quidem, inquit idem SPARTIANVS, cum verbum eius quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque illecessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Adriano, de verbo, quod idonei autores vsurpassent, risum iucundissimum mouit: ait enim: *non recte suadetis familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Valentinianus eruditos omnes odio prosequebatur & diuites, & nobiles, & fortibus detrahebat, vt solus videretur egregiis artibus eminere, vt auctor est AMMIANVS MARCELLINVS. (a) Aliud exemplum apprime hoc confirmans ex ANTONII PEREZII epistola ad Lermae ducem scripta, affert CHRISTOPHORVS FORSTNERVS. (b) Hoc nimirum est, quod regum sapientissimus praecipit: *coram rege noli videri sapiens.* Quemadmodum autem, qui sua culpa inuidiam eiusmodi comparationis, intempestiua fortitudinis, sapientiae, aliarumque virtutum ostentatione subeunt, imprudentiae merito rei peraguntur: ita, qui ab aliis, aut per malitiam aut imprudentiam, inconsultis ornati laudibus in eam adducuntur, de fatorum iniquitate conquerendi causam habere

(a) *lib XXX.* (b) *not. in Tac. annal. lib. III p. 274. 275.*

bere videntur, caute tamen & circumspecte, vt imminens effugiant malum, se gerant, necesse est. Cumprimis autem maximo se obstringunt scelere, qui ad comparationis inuidiam a se amoliendam, causam reipublicae prodere malunt, quam invidiae vel aemulationi principis se exponere. *Fuit*, inquit auctor *politici inculpati*, (c) *nonnullis diffidentia principum, & inuidia adeo formidabilis, vt vel cum damno eorum imminui, quam cum inuidia rem bene agere maluerint. P. Ventidius, M. Antonii inuidentiam veritus, cuius auspiciis bellum gerebat, Parthos tribus praeliis ad Mediam vsque repulisse contentus, victoriam persequi noluit. Idem a Belisario, imperante Iustiniano, factum, Agathias dicit, cum perinde metueret, ne magnitudo victoriae, applaususque populi, odia procerum, & mox principis, excitarent.* Addit idem auctor: *Hi quidem tales non recte principis vtilitati vel honori suo consulunt: sed culpa tamen non tam in ipsis, quam in dominante, est.* Concedo, in dominante quoque culpam eiusmodi facinoris esse: sed eam ob causam, qui illud perpetrant, non sunt excusandi. Potior enim illis virtutis & reipublicae, quam sui honoris aut commodi, ratio esse debuisset. Accedit, quod plerique non tam rerum a se gestarum magnitudine & splendore, quam arrogantia sua & immodestia prin-

(c) *lib. II. cap. XXXIII.*

principis inuidiam aut odium sibi attrahant. Caius Silius, cum immodice iactasset, suum militem in obsequio durasse, cum alii ad seditiones prolaberentur, nec mansurum Tiberio imperium, si suis quoque legionibus cupido nouandi fuisset, ad mortem adactus est. *Destrui enim per hoc fortunam suam Caesar, imparemque tanto merito rebatur,* vt TACITVS loquitur. (d) Cautiores itaque alii, prudentioresque, bene a se feliciterque gesta non sibi, sed principi adscribunt, exemplo ducum Romanorum, qui trophaeis non suum, sed principis inscribebant nomen, & veterum Germanorum, quibus *sua fortia facta gloriae principis tribuere, praecipuum sacramentum erat.* (e) Quod qui intermittunt, si inuidiam principis & pericula sibi attrahant, habent, quod suae imputent imprudentiae. Apud Mauricium imperatorem, Georgius quidam ad Persarum regem pro pace legatus magnum adiit periculum, quod imprudenter gloriatus esset, regem Persarum non imperatori, sed suae prudentiae pacem indulsisse, vt auctor est THEOPHYLACTVS SIMOCATTA. (f) Ex HIERONYMO CONESTAGGIO (g) etiam constat, Philippum II. Hispaniae regem ferre non potuisse statuam, quam cum

(d) *lib. IV. annal. cap. XVIII.* (e) *Tacitus de moribus Germ. cap. XIV.* (f) *histor. lib. VIII.* (g) *de bello belg. lib. IV.*

cum superba inscriptione in Belgio sibi poni curauerat Ferdinandus Dux Albanus. Consaluus quoque Magnus, cum liberalitatis terminos incaute transgressus, Neapolitani a se subiugati regni proceres, donis, beneficiis, denique comitate sibi devinxisset, &, quae regem decebant, ipse gessisset, abductus ex regno in Hispania inglorius obiit. (h) Sed nolo plura addere, cum in omnium fere gentium annalibus eiusmodi imprudentiae prostent exempla, quae & diligenter iam a FORSTNERO, (i) ZEVECOTIO, (k) aliisque congesta sunt.

§. XII. Ad comparationem principis cum anteceſſore suo tandem accedimus, de qua, quae disputaturi sumus, generatim de quacunque comparatione & eius metu intelligi possunt: TACITVM tamen de ea loqui, res ipsa docet. Vt ergo intelligatur, fuerit ne iustus & laudabilis iste comparationis, quem in Tiberio notat, metus, an reprehendendus contra & vituperandus, ponendum est, fluxisse istum metum ex cura existimationis suae conseruandae. Intelligebat facile callidissimus princeps, ad imperii securitatem plurimum conferre, vt existimatio & auctoritas

(h) *Traianus Boccalinus in relat. ex Parn. cent. II. cap. XXXVIII.* (i) *in lib. III. annal. Tacit. p. 277. seqq.* (k) *in Flori lib. IV. cap. IX.*

ritas principis salua sit, vtque odium aeque, ac contemtus ciuium, pari diligentia euitetur. Porro haud illi obscurum erat, se comitate aliisque animi & corporis dotibus, ad populi fauorem acquirendum aptis, anteceſſore Augusto multum esse inferiorem. Adeoque si temere iudicio populi sese committeret, fieri aliter non posse, quam vt hic, comparatione sui cum Augusto instituta, tanto clarius naeuos suos perspiceret, quanto firmius Augusti memoria omnium animis inhaerebat. Hinc metus iste comparationis, hinc ista sollicitudo oriebatur. Quae cum ita sint, manifestum est, non posse de comparationis metu pronunciari, nisi constiterit prius, quousque fas sit principi existimationis suae curam gerere.

§. XIII. In eo facile omnes consentient, illorum mores, qui ad gloriam nominisque immortale decus, omnem vitam suam comparatam esse volunt, laudandos non esse. Miseri sunt, & stulti, vt ceteri omnes, qui prauis suis cupiditatibus seruiunt. Contra, si quis contemtum sui & despectum a se amoliatur, vt populi amore & beneuolentia innixus, omnium eo rectius consulere saluti, & patriae securitati, possit, eum, quod reprehendi debeat, agere, asseri neutiquam potest. Et hactenus quidem admitti potest, quod

NICO-

NICOLAVS MACHIAVELLVS docet, (l) cumprimis *principi ea fugienda esse, quae infensum & vilem eum reddere possint.* Recte vero addit HERMANNVS CONRINGIVS: (m) *at vero aliter declinare non poterit* (contemtum odiumque sui) *nisi non ficta, sed vera sit virtute ciuili, saltem potiore ex parte praeditus. Amorem certe bonorum prudentumque aliter nemo sibi comparauerit: quanquam improbis vitiosi etiam principes cari esse soleant, rudibus vero & imperitis illi, qui simulare virtutem didicerunt.* Hoc nimirum caput est totius stultitiae Machiavellisticae, quod fictae & simulatae virtutis eandem efficaciam esse arbitratns est, ac verae & non fucatae. In quo tamen errauit turpisime. Quantamcunque etiam speciem simulata virtus oculis animisque subditorum obiecerit, transparet tamen improbitas, & prodita hypocrisis eo maius odium, maioremque apud saniores quosvis illis attrahit contemtum. Fallitur etiam idem Machiauellus, dum ad securitatem principis sufficere putat, si modo odium & contemtum sui euitet. Accedere enim insuper amor ac beneuolentia subditorum debet, quem non statim sibi polliceri potest, qui vtcunque odium illorum & contemtum declinauerit. Recte itaque CONRINGIVS subiungit: *Quantumuis*

(l) *in principe, cap. XIX. §. I.* (m) *in notis ad Machiauelli l. c.*

vero non omnino male addat Machiauellus, principem, qui ſui odium & contemtum euitauit, ab illo, quod praeter haec nocet famae ipſius, non eſſe, quod periculum metuat; affirmare tamen potius debuiſſet; non multum adeo periculi metuendum eſſe. Nullum hinc imminere, aliter profecto tyranni experiuntur; & ſi aliis principibus res ſint ſtabiliores.

§. XIV. Exiſtimationis itaque & famae ſuae gerat curam princeps, ſed non tam ſui, quam ſubditorum & reipublicae cauſa, idque non ficta virtutis ſpecie, ſed vera & genuina virtute Cum autem per libellos famoſos, & ſatyricas obtrectationes auctoritas & exiſtimatio principum in magnum haud raro adducatur periculum, ſubditisque, inſtituta cum melioribus comparatione, omnem venerationem & amorem exuendi ſubminiſtretur occaſio, quaenam ratio quam optime haec amoliendi ſit, diſceptari inter viros eruditos ſolet. Sixtus V. pontifex male audit, quod in quendam infimae ſortis hominem, qui ſatyrico calamo in gentem pontificis habenas laxauerat, quam ſeuerisſime animadvertit. Laudatur contra Mazarinus cardinalis, quod eiusmodi ſcriptis, quorum magnam vim in eum maleuolorum effudit furor, adeo non commotus fuerit, vt amoris pariter ac odii vacuus arbitri inſtar haud raro pronunciauerit, in quonam maxi-

maximum ingenii acumen conſpiceretur, & in quo hoc deſideraretur. (n) Cuius mihi etiam maximopere probatur exemplum, niſi is rerum ſtatus ſit, qui ſeueritatem poſtulet. Praeterquam enim, quod crudelitatis ſuſpicionem ſubit, qui poenis grauioribus homines ob eiusmodi delicta ſubiicit, adeoque odium ſui auget, generoſi & benigni animi, & ſupra vulgi obtrectationes poſiti laudem refert, qui contemtu talia vindicat. Sed hoc ὡς ἐν παρόδῳ.

§. XV. Generatim itaque cum comparationis metus exiſtimationisque cura non vituperanda ſit, ex principum omnino moribus petenda ratio, cur vituperabilis euadat, aut laudabilis exiſtat, itemque, cur interdum vitio non careat, nulla famae cura, nullo comparationis metu tangi. Sunt nimirum primo quidam ignavi, deſides, voluptatibus dediti, ſuaeque non minus ſalutis, quam reipublicae, incurii & negligentes, quibus, quid ciues ſentiant, quidue loquantur, perinde eſt, modo illecebrae non deſint & voluptatis irritamenta. Hos ne tu laude dignos cenſes, quod famam, quod exiſtimationem negligant? Ignauiam ſcilicet turpiſſimam pro modeſtia, vitium pro virtute habeat, ne-

(n) *vid. Vigneul-Marville dans les melanges d' hiſtoire & de litterature, t. I, p. 247. ſeqq.*

ceſſe eſt, qui ita exiſtimauerit. Nec tamen, quod omnino addendum, ignauiae ſtatim accuſandus, qui, certis grauibusque rationibus inductus, rumores vulgi ſpernit. Interdum enim ea rerum eſt conditio, vt plebis negligere iudicia, virtus ſit & ſapientia. Quinti Fabii praecipua laus eſt, quod, quamuis vulgi rumoribus timidus & ignauus argueretur, tamen a ſententia, qua cunctando Hannibalem vinci poſſe ſperabat, abduci ſe minime paſſus ſit. *Fabius*, inquit TITVS LIVIVS, (o) *pariter in ſuos haud minus, quam in hoſtes, intentus, prius ab aliis inuictum animum praeſtans, quanquam probe ſcit, non in caſtris modo ſuis, ſed etiam Romae ſuam cunctationem infamem eſſe, obſtinatus tamen eodem conſiliorum tenore, aeſtatis reliquum extraxit.* Eandem conſtantiam & firmitudinem Aemilio cos. ad bellum proficiſcenti ſuadet: (p) *duobus ducibus*, aiebat, *vnus reſiſtas oportet; reſiſtes autem aduerſus famam rumoresque hominum, ſi ſatis firmus ſteteris: ſi te neque collegae vana gloria, neque tua falſa infamia mouerit a veritate. Laborare nimis ius, ſaepe aiunt, extingui nunquam. Gloriam qui ſpreuerit, veram habebit. Sine, timidum pro cauto, tardum pro conſiderato, imbellem pro perito belli vocent: malo te ſapiens hoſtis metuat, quam ſtulti ciues laudent: omnia audentem*

(o) *hiſtor. lib. XXII. cap. XV.* (p) *cap. XXXIX.*

tem contemnet Annibal, nil temere agentem metuet. Haec fortitudinis & sapientiae documenta sunt, adeoque in ignauiae excusationem, non nisi inepte admodum atque ridicule adducuntur.

§. XVI. Nec tamen, priusquam hinc discedamus, praetermittendum, cum ignauiam indulgentia plerumque comitetur, & conniuentia criminum, ex hoc capite corruptis mortalium iudiciis eiusmodi principes haud raro, vt clementes atque benignos, commendari. Quae res illorum successoribus, si radicata ciuium vitia acrioribus poenis emendare aggrediantur, magnam apud plebem, iniqua comparatione eos cum prioribus dominis contendentem, conciliat inuidiam, immo perniciem affert. Recte hoc obseruauit MACHIAVELLVS, de Heluio Pertinace imperatore verba faciens. (q) Exercitus enim, cum sub Commodo assuetus esset dissolute viuere, non poterat id genus strictioris vitae, ad quod illum Pertinax cupiebat adduci, aequo animo ferre. Hinc odio sibi militum conflato, cum contemtus, quod iam senex esset, accessisset, inter initia delati imperii concidit. Subiungit MACHIAVELLVS: *Vnde & illud animaduertere licet, honestae aeque ac turpis vitae factis, odium conciliari.* Ita quidem est, virtutes aeque ac vitia in-

(q) *in principe, cap. XIX. §. XII.*

terdum hominibus displicent, sed illae non nisi improbis. Nec virtuti tamen, quae sibi sola sufficit, suoque robore nititur, (modo sit vera virtus) odium nocet, quod improbis non potest non illaetabile esse, atque funestum.

§. XVII. Sunt rursus alii, ad tristitiam & asperitatem propensi, iidemque pecuniae & diuitiarum auidissimi. Hi, nisi ater ille & caliginosus, qui ad funesta quaevis illos agit, aliunde temperetur succus, immensaque colligendi opes cupiditas vtcunque infringatur, famae potius & existimationis, quam nummorum, facere iacturam parati sunt. Et hactenus quidem non videntur adeo metu comparationis tangi. Vel Vespasiani imperatoris hoc comprobari exemplo posset, infamiam lucro, ex tributo sordidis rebus a se imposito, facile praeferentis. Nihilosecius tamen iidem suspicaces admodum sunt, adeoque, si vel minima gloriae & famae cupiditas accesserit, metu immodico comparationis quam crudelissime vexantur, & tantum non exagitantur. *Omnes*, inquit Comicus, (r) *quibus res sunt minus secundae, magis sunt, nescio quo modo, suspicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis: propter suam impotentiam se semper credunt negligi.* Longe rectius hoc de iis dixeris, quibus eiusmodi ad tristia per

(r) *Adelph. act. IV. sc. III.*

per naturam obtigit propensio. Suspicioſi ſunt: ad contumeliam omnia accipiunt: propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi. Vix enim ad res magnas gerendas, aut populi amorem externis ſibi conciliandum, idonei ſunt. Suae itaque ſibi conſcii imbecillitatis, quam facillime inducuntur, vt credant, ſe contemni. Fuit ipſe Tiberius ex horum numero, quem TACITVS vt principem longe ſuſpicioſisſimum paſſim nobis exhibet. In Aruntium nulla Tiberio vetus ira: *ſed diuitem, promptum, artibus egregiis, & pari fama publice, ſuſpectabat.* (s) Sola ſuſpicione ductus multos clarisſimos viros e medio ſuſtulit, vt ibidem TACITVS auctor eſt. Hinc & delatoribus tam facile aurem praebebat, & ſi quisquam inſimularetur, ſiniſtros de eo ſermones habuiſſe, ineuitabile crimen erat. *Nam*, inquit TACITVS, (t) *quia vera erant, etiam dicta credebantur.* Augetur enim maximopere ſuſpicio ex conſcientia criminum. Conſpirant autem & cetera morum documenta, quae recenſere prolixum nimis foret, eamque in Tiberio indolem, quam hic deſignamus, arguunt, vt, acriorem in eo fuiſſe comparationis metum, inde intelligatur.

(s) *lib. I. annal. cap. XIII.* (t) *lib. I. annal. cap. LXXIV. n. 3.*

§. XVIII. Suspicio itaque, licet cum metu comparationis interdum coniuncta sit, ab eodem tamen differt. Indicamus namque per suspicionem, ratiocinationem ex signis, leuibus interdum & admodum incertis, de alterius in nos animo, cum determinatione in partem deteriorem. Qui enim ex quocunque gestu, aut verbo statim iudicant, alios infensos sibi esse, nec bene sibi cupere, gloriae suae inuidere, obstare commodis, idoneo licet, quo hoc euincant, argumento destituti, suspicaces dicuntur. Quod quidem in eos maxime cadit, qui maleuolo in alios omnes sunt animo, cum haec mentis nostrae sit conditio, vt alios ex nostra metiamur indole, pronique admodum simus ad iudicandum, alios iisdem, quibus nos, praeditos esse moribus. At comparationis metus omnino esse potest in iis, qui ceteroquin non adeo sunt suspicioſi. Namque &, vt mox dicemus, in viros prudentes & generosos cadit, qui suspicionibus non indulgent, de existimatione tamen solliciti sunt, cum certis & haud vanis argumentis condocentur, vacillare plebis iudicia, & iniqua comparatione in deteriorem partem flecti. Accedit, quod suspicio, si accurate consideretur, sit effectus odii. Id quod & apostolus innuit, docens, cum amore non posse consistere suspicionem, ἡ ἀγάπη τὸ

κακὸν

κακὸν δ' λογίζεται I. Cor. XIII, 5. (u) Comparationis autem metus, quod ex odio semper proficiscatur, asseri nullo modo potest.

§. XIX. Honestissima denique forma metus comparationis prodit in illis, qui, gloriae & laudis cupiditate ducti, ad externam virtutis speciem sese componunt. Hi enim, vt magnos plerumque sibi proponunt viros, quibus, si non praeferri, saltem aequiparari cupiunt, vt Alexander atque Caesar Herculem aemulati dicuntur, ipsi exemplum relinquentes, ad quod tanto quisque propius accedere annisus est, quanto acrioribus vanae ambitionis stimulis fuit agitatus; ita, si quos virtute vel gloria aut superare aut aequare se putant, vel saltem videri velint, cum his ita in comparationem deduci, vt inferiores discedant, non possunt non quam molestissime ferre. Isti equidem homines, quorum ambitionis venenum afflauit animos, nihil non agunt, vt gloriam, potentiam, imperium augeant, immo recta omnia & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, vt CICERO ait, (x) nihilosecius, cum plerumque magnis rerum praeclare gestarum meritis nitantur, nec temere quenquam sibi praeferri posse credant, non

(u) *add. Brochmandi specim. ethices histor. p. 541.* (x) *lib. III. de offic.*

non tam facile comparationis metum animo concipiunt. Nec etiam, si subeunda fuerit comparatio, occultatione, simulatione & dissimulatione, aliisque artibus clandestinis, eius euitare incommoda, sed aut insurgere palam in aemulos, aut illustrioribus facinoribus illorum, quos sibi obstare putant, obscurare gloriam annituntur.

§. XX. Diceres, in his comparationis metum quam proxime accedere ad aemulationem. Nec abnuo, modo simul obseruetur, magnum nihilosecius inter, aemulationem, & comparationis metum, intercedere discrimen. Aemulatio enim, nisi inter viuentes, locum non habet: at metus comparationis ad anteceſſores, licet iam mortuos, pariter ac succeſſores pertinet. Aemulationem mouet praestantia, eius, cui cedere illa in re turpe indignumque putamus: at comparationis metum, excitant etiam iudicia aliorum, cum alio, siue mortuus ille sit, siue adhuc viuat, nos contendentium. Aemulatio denique ambitionis aut filia aut comes est, adeoque nunquam non pro vitio reputanda: comparationis metus plerumqne vituperandus, interdum tamen, si existimationis cura, ex vero populi amore profecta, ea voce denotetur, ceu fructus verae & genuinae prudentiae, laudandus est.

§. XXI.

§. XXI. Posset hoc dubium alicui aut plane falsum videri, aemulationem, ceu ambitionis aut filiam aut comitem, nunquam non in vitio positam esse, cum laudes, quibus aemulatio quotidie ornatur, euincere videantur, non omnem prorsus reiiciendam aut improbandam esse aemulationem. Praeter alios quam plurimos aliter hac de re pronunciat IO. HENRICVS BOECLERVS, qui illud VELLEII PATERCVLI: *alit aemulatio ingenia*, pluribus confirmat, & bonae prauaeque aemulationis discrimen operose explicat. (y) *Est autem*, inquit, *aemulatio vel bona & cum virtute coniuncta; quando scilicet admiratio imitationem accendit; vel praua & cum inuidia coniuncta, quam itidem tangit noster. Illa, vt efficax, sic optabilis est: hanc profanis relinquendam putamus, quibus non vacat, quaerere, quomodo, sed quantum quisque doctrinae sit adeptus. Illam vult plerumque, hanc aliquando patitur Deus, ad alta peruenire. Illa serium honorem cordatumque vsum studiorum: haec pompam & splendorem ferme comitatur. Illa a fastigio, haec a declinatione studiorum propius abesse solet. Inclinatur autem studiorum celebritas, non iam aemulatione & imitatione, sed affectatione, cuius ὑπόθεσιν egregie descripsit Velleius. Equidem vt illa laudabilis aemulatio prorsus a virtute publicique studio boni pro-*

(y) *in annotat. ad Vellei. Paterc. lib. I. cap. XVII. p. m. 59.*

proficiscitur, id est, a tali origine, qua rerum quarumcunque incrementa promoueri consentaneum est: ita affectatio, quam diximus, ambitionis solius stimulo incitata, non imitari vult, quae summa sunt, sed diuersae specie praestantiae, quos imitari nequit, iis comparari cupit, atque, quod Graeci dicunt, ἀντισπουδεσθαι. Quae omnia frustra disputantur, & supponunt, quod nondum euictum est, dari honestam quandam & laudabilem aemulationem. Quod vt ostendamus, conueniendum nobis in eo est, quid sit aemulatio. Non autem, puto, BOECLERVS, & ceteri, qui communem sententiam defendunt, respuent auctoritatem ARISTOTELIS, aemulationem ita definientis: (z) *ζῆλός ἐστι λύπη τις ἐπὶ φαινομένη παρουσίᾳ ἀγαθῶν ἐντίμων καὶ ἐνδεχομένων αὐτῷ λαβεῖν περὶ τοὺς ὁμοίους τῇ φύσει, οὐχ ὅτι ἄλλῳ, ἀλλ' ὅτι οὐχὶ καὶ αὐτῷ ἐστι. Aemulatio est molestia quaedam, propter eam, quae apparet, praesentiam bonorum honoratorum, & eorum, quae contingit ipsi adsumere in similibus, natura, non quod alii, sed quod non etiam ipsi sint:* vel quod perinde est, *est aegritudo de bonis, quibus caremus, orta ex admiratione illorum in aliis, & proinde cum studio aut superandi, aut eadem acquirendi coniuncta.* RENATVS CARTESIVS (a) aemulationem speciem animositatis facit, cuius

(z) *lib. II. rhetor. cap. X. & XI.* (a) *de passionibus, part. III. artic. CLXXII.*

cuius causa externa exemplum est. Satis quidem ieiune. Ego dicerem, aemulationem esse speciem ambitionis, excitam per honores alterius, quos nobis vindicare cupimus. Quicquid huius sit, vel ex Aristotelis definitione patet, aemulationem nullo modo laudabilem dici posse. Aegre ferre, alterum bonis quibusdam gaudere, nec concoquere posse, quod ipsi bona non possideamus, eoque stimulo ad gloriae palmam illi dubiam reddendam, aut plane bona, quae possidet, illi eripienda, aut honoris gradu deiiciendum impelli, hoccine virtutis opus, hoccine laudabile diceres? Hoccine cum sui abnegatione, omnibus christianis tantopere commendata, cum mundi gloriaeque contemtu, cum vera modestia & humilitate convenit? Quiduis potius admiserim, quam vt persuaderi mihi patiar, vera virtute illum praeditum esse, quem aemulatio excruciat. Relegamus nunc vestigia BOECLERI, &, quae de bonae prauaeque aemulationis discrimine commentatus est, expendamus. Bona aemulatio, inquit, vt efficax, ita optabilis. Hoc non satis capio. Potest aliquid efficax esse ad malum: quis hoc ideo optabile diceret? Non sufficere, quantum quisque doctrinae adeptus sit, sed dispiciendum esse & quomodo? recte dicitur. At haec ipsa ratio procul facesse-

re

re iubet omnem aemulationem. Deum velle, per aemulationem homines ad alta venire, vix sine impietate dicitur. Itane Deus suffragatur hominum ambitioni? Hi sunt fructus philosophiae ethnicae. Sane siue maxime serium honorem, & cordatum studiorum vsum comitetur aemulatio, ex eo non definit esse vitium. Fastigium pariter ac declinatio studiorum, cum praua aemulatione coniuncta esse possunt: ambitio vbique regnat, inter eruditos, & barbaros. Denique, quod addit, aemulationem bonam a virtute publicique studio boni proficisci, admitti itidem nequit. Virtus, quam aemulatio profert, aut quae cum ea coniuncta est, non virtus est, sed ambitio. Nec publico bono, sed sui cupiditati consultum cupit, qui aemulatione ductus reipublicae commoda promouet. Cur autem virtus, cur studium boni publici non esse posset sine aemulatione?

§. XXII. At torpebunt, inquiunt, ingenia in scholis, militumque languebit virtus in acie, nisi aemulatione excitentur. Pro metu comparationis laudando, eadem dici possunt. Namque, licet a se differant, in multis tamen conuenire, concessimus. Quare, quae contra aemulationem disputamus, contra comparationis etiam metum, prout cum aemulatione conuenit, dicta esse intelligenda sunt.

Et

Et aemulationis quidem vsum in eruditione comparanda tantoper commendari videas, vt vix vlla inter christianos schola sit, quam haecce pestis non infecerit. Non praemiis tantum & poenis puerorum provocatur diligentia, sed cumprimis loco digniori illi concedendo, qui alterum superauerit. Ita data opera latitans in cordibus mortalium ambitio excitatur, & iam in tenera aetate pueri adsuefiunt, non ferre parem, aut superiorem. Et qui his stimulis incitati proficiunt, laudantur, magnisque ornantur encomiis. Adultiores facti eosdem retinent mores: hinc ferocia, superbia, contradicendi & vincendi libido, hinc lites, controuersiae, quibus aut ecclesia aut respublica misere laceratur, & infinita malorum cohors. Hoc videmus, hoc deploramus: vix tamen quisquam est, qui in fontem primamque originem mali huius recte inquisiuerit, aut afferre medelam serio cogitauerit. Nimirum excutienda est ignauia: excitanda sunt ingenia: fateor: at aemulatione animis tenerrimis iniecta hoc fieri oportere, id vero abnuo. Perinde hoc est, ac si quis in Scyllam deliberato animo incurrere vellet, aut alios praecipitare, ad euitandam Charybdin. Et ita tamen in plerisque vitiis corrigendis nos gerimus, vt vitia contraria, saepe longe perniciosiora, remediorum loco iis

opponamus. Neque id mirum, cum, qui a regia christianae virtutis via aberrarunt, in tanta corruptione naturae nostrae vix aliter sese gerere queant. Incommoda vitii vident; per contrarium vitium hoc vtcunque declinari posse, intelligunt: hoc ergo arripiunt, cum alia ratio hinc emergendi illis desit. Cumque haud raro contingat, vt grauiora incommoda vtcunque reprimantur, gratulantur insuper sibi, ceu re praeclare gesta. Hinc illa aemulationis commendatio. At miseri isti non animaduertunt, subtiliora vitia perniciosissima esse, posseque etiam fieri, vt vnius vitii incommoda ad tempus euitentur, sed vt alterius, quod priori oppositum est, longe maiora erumpant damna, quae tandem omnem medicinam respuunt. Vera ergo imbuantur puerorum animi pietate: haec ignauiam & torporem excutiet, & ab ambitionis aliorumque vitiorum veneno eos tutos praestabit. Ceterorum hominum, quos aemulatione ad officii sui partes explendas excitandos putamus, eadem est ratio. Longe maior fides, industria, fortitudo ab eo expectari potest, qui serio hoc a Deo sibi iniunctum credit, vt muneris sui accurate satisfaciat legibus, quam qui, non conscientia, sed aemulatione adductus, prodesse & nocere imperanti aeque paratus est, modo gloriam

inde

inde & laudes, aut opes etiam atque divitias referat. Faceſſat erga procul aemulatio; faceſſat comparationis metus, cum aemulatione pari paſſu ambulans.

§. XXIII. Cum aemulatione pariter, ac metu comparationis, coniuncta, quandoque eſſe ſolet inuidia. Immo haud raro inuidia cum metu comparationis & aemulatione confunditur. Perperam quidem. In Tiberio Caeſare inuidiam notant hiſtorici, & ex recentioribus fuſius hoc explicat ERASMVS IOANNES BROCHMANDVS. (b) Inuidiam fuiſſe, exiſtimat ille, qua anxius Liuiae matris ſuae, ceu muliebre faſtigium, in diminutionem ſui accepit: (c) cui tantum dignitatis demſit, quantum ſibimet denegauit, & debitos ſibi honores vltro temperauit, vt illi delatos tanto ſpecioſius tolleret. Quod erga Seianum quoque eum feciſſe DIO affirmat. (d) Eandem etiam erga ſe inuidiam, eodem auctore iudice, adoptiuus eius filius Germanicus, qua fuit animi ſagacitate, percepit ac metuit, (e) cuius, dum vixit, bellica gloria Tiberius angebatur, cunctaque in deterius trahebat, & obtrectauit ei vsque adeo,

(b) *in ſpecim. ethic. hiſtor. p. 36. ſeqq.* (c) *Tacitus annal. lib. I. cap. IV.* (d) *lib. VIII. p. 718.* (e) *Tacitus lib. II. annal. cap. XXII. & alibi.*

vt & praeclara facta eius pro superuacuis eleuaret, & glorioſisſimas victorias, ceu damnoſas reipublicae, increparet: in illo vero mortuo lugendo modum ſeruandum edicto imperauit, (f) nihilque moleſtius tulit, quam ſtudia hominum, in ſuperſtitem viduam eius, Agrippinam, accenſa. Huius porro domui nunquam mitis, filios eius adoleſcentes, ſenectae ſuae aequari, redditis iisdem pro ſe illisque votis, impatienter indoluit, (g) variaque fraude inductos, vt & concitarentur ad conuitia, & concitati perderentur, accuſauit per literas, amariſſime congeſtis etiam probris, & iudicatos hoſtes, fame necauit. Quidam etiam inter inuidiae documenta referunt, quod imperia continuauerit Tiberius. Ita TACITVS: (h) *Id quoque morum Tiberii fuit, continuare imperia, ac plerosque ad finem vitae in iisdem exercitibus aut iurisdictionibus habere. Cauſae variae traduntur: alii taedio nouae curae, ſemel placita pro aeternis ſeruauiſſe: quidam* INVIDIA, *ne plures fruerentur.* Quod tamen vix mihi fit veroſimile. Rectius forte ad inuidiam eius comprobandam refertur, quod DIO (i) memoriae prodidit: architectum quendam mira arte reſtauraſſe

(f) *Tacitus lib. III. annal. cap. XLIII.* (g) *Tacitus lib. IV. annal. cap. XVII. Suetonius cap. LII. LIV.* (h) *lib. I. annal. cap. LXXX.* (i) *lib. LVII. p. 708.*

rasse ingentem Romae porticum, quae, alteram in partem inclinans, ruinam minabatur, adeoque praeter ceteros, ipsum quoque Tiberium in sui admirationem conuertisse: at hunc inuidia circumactum, non modo nomen architecti monumentis prodi noluisse, sed pecunia etiam mulctasse ac vrbe exegisse, immo, cum ad principem accederet, veniam impetraturus, secumque afferret vitreum poculum, quod proiectum ad pedes Tiberii confregit & iterum refecit, interfici iussisse. Haec & alia ad inuidiam Tiberii comprobandam afferri solent, non male quidem: sed comparationis tamen metus cum inuidia interdum in his confunditur. Namque, quod Germanico infensus fuerit, id magis ex metu comparationis, quam inuidia, profectum arbitror.

§. XXIV. Solent equidem & philosophi de inuidia ita loqui, vt nullum discrimen inter eam & comparationis metum, admittere videantur. ARISTOTELES (k) dicit, *inuidos esse, qui illustri loco collocati, ac prospera praediti sunt fortuna, οἱ μεγάλα πράττοντες καὶ εὐτυχοῦντες, eaque in re inuidere, vnde gloriam quaerunt.* Quo ipso innuere videtur, inuidos esse, qui ferre non possint, vt instituta comparatione alii sibi praeferantur. Rectene an secus, mox videbimus:

(k) *lib. II. rhetor. cap. X.*

mus: in eo manifeste errat, quod illustri loco natis & prospera praeditis fortuna tantum inuidiam tribuit, cum non minus frequenter in illis, qui humili loco nati, nec adeo prospera fortuna gaudent, conspiciatur. Namque figulum figulo, mendicum mendico inuidere, in prouerbium abiit. Eodem tendunt, quae idem porro asserit: οἱ φιλόδοξοι περὶ τι, φθονεροὶ περὶ τοῦτο, *qui aliqua in re honorem affectant, in eadem inuidi sunt.* Tralatitium quoque est, inuidiam gloriae esse comitem, quod & CORNELIVS NEPOS (1) ita effert: *Est hoc commune vitium in magnis liberisque ciuitatibus, vt inuidia gloriae comes sit, & libenter de his detrahant, quos eminere videant altius: neque animo aequo pauperes alienam opulentium intuentur fortunam.* Quae tamen, si recte expendantur, nostram potius confirmant sententiam. Inuidiam namque, exinde patet, in eos quoque cadere, qui tamen in comparationem cum illis, quibus inuident, non veniunt. Vulgus enim magni nominis magnaeque auctoritatis viris inuidere potest, comparari cum illis neutiquam. Huc nimirum discrimen, quod inuidiam inter & comparationis metum intercedit, redire videtur. Comparationis metus inter eos est, qui quodammodo, qua fortunam, qua virtutem, inter se sunt aequales: ceteroquin enim

(1) *XII. 3. 3.*

enim comparari inter se non possent: at inuidia inter aequales pariter ac inaequales obtinet. Metus comparationis respicit iudicia aliorum: ita quidem, vt comparationem metuenti perinde ceteroquin esset, quantacunque alterius aut gloria aut virtus esset, modo suae existimationi per eam nihil detraheretur, dum sua virtus aut gloria iudicio populi cum priori collata, inferior aut minor apparet: at inuidus non curat iudicia tertii, angitur, excruciatur, indignatur, bona quaedam alterum possidere, quae rectius a se possideri arbitratur. Hinc porro nouum discrimen elucescit, quod comparationis metus circa famam & existimationem conseruandam occupetur: inuido autem omnia alterius bona, cuiuscunque generis sint, displicent, opes, domus, agri, amicorum multitudo & nobilitas, corporis forma, honor, gloria, ipsa denique virtus. Praeterea inuidia per mortem eius, cui quis inuidet, fere extinguitur; gaudet namque inuidus, si oculis suis subtrahatur, cuius praesentia tantam molestiam, tot dolores sibi creauerat: at comparationis metus vel maxime locum habet, cum viuus contenditur cum mortuo, idque eo magis, quod mortuorum virtutes interdum tantum commemorari soleant vitiis praetermissis, cum viventium vitia aeque ac virtutes animis

oculisque mortalium obuersentur. Inuidia denique affectus longe turpissimus & malignus est, ex odio quippe profectus, nec vnquam excusabilis esse potest: metus vero comparationis, si in cautione, consistat & circumspectione, ne iniquo populi iudicio nostra existimatio imminuatur, nihil, quod reprehendi debeat, inuoluit, & ex sincero populi & reipublicae amore proficisci quandoque potest.

§. XXV. Quod vero diximus, vituperabilem semper inuidiam esse, in eo refragantem nobis habemus RENATVM CARTESIVM. Difficile enimuero cum esse intelligeret, inuidiam concipere, cui vitium non subesset, ita tamen hinc se expedire conatus est: (m) *sed cum fortuna alicui bona submittit, quibus reuera indignus, nec ideo invidia in nobis excitatur, nisi quod naturaliter amantes iustitiam, indignamur, eam non obseruari in distributione horum bonorum, zelus est excusabilis; praesertim, cum bonum, quod aliis invidetur, eius est naturae, vt in malum abire possit in eorum manibus, vt, si fuerit aliquod munus vel officium, in cuius exercitio male versari possint: immo, cum quis sibi ipsi appetit idem bonum, nec potest illud consequi, quod ab aliis, qui illo indigniores sunt, possideatur, ita redditur haec passio violentior, nec tamen ideo desinit excusabilis esse, modo odium, quod continet, solum respi-*

(m) *de passionibus, part. III. artic. CLXXXIII.*

respiciat prauam distributionem boni, quod inuidetur, & non personas, quae illud possident, aut distribuunt. Sed pauci admodum adeo iusti & generosi sunt, vt nullo odio prosequantur eos, a quibus praeueniuntur in acquisitione boni, quod pluribus communicabile non est, quodque sibi exoptauerant, etsi qui illud acquisiuerunt, illo sint aeque digni vel etiam digniores. Hic video afferri προφάσεις, quibus inuidi homines plerumque causam suam ornant, at, vt credam, inuidiam quandoque excusabilem esse, hisce rationibus neutiquam induci possum. Sed operae pretium fuerit, in CARTESII mentem paucis inquirere, vt palam fiat, summum istum virum in hisce turpiter interdum lapsum esse. Excusabile esse putat, indignari, si iustitia non obseruetur in bonorum distributione. Quis autem distribuit bona? quis iustitiam negligit? Fortuna, inquit CARTESIVS. *Cum fortuna alicui bona submittit, quibus reuera indignus est.* Quid igitur est fortuna? Num coeca illa gentilium fortuna bona mortalium distribuit? Impium est, hocce idolum, quod iam pridem ex orbe christiano proscriptum esse debebat, postliminio reducere: satius quoque esset, si christiani ipsa voce prorsus se abstinerent. Aut cum vulgo forte fortunam vocans, quid dicat, quidue sibi velit, nescit? De CARTESIO, claras & distinctas ideas vbique crepante,

hoc non est existimandum. Aut ipsam diuinam prouidentiam intelligit? Intelligenda est, cum fortunae vocem vsurpamus, aut subintelligenda, nisi, quod impium sit, aut ineptum, designare hac voce velimus. Nimirum, qui rerum omnium & circumstantiarum eam nanciscitur dispositionem, vt, quod cupit, feliciter ad finem perducere possit, illi fortuna fauere, qui tali rerum & circumstantiarum dispositione caret, illi fortuna aduersari dicitur: at hanc rerum & circumstantiarum dispositionem sine diuina Numinis prouidentia existere, quis diceret, nisi qui simul affirmare auderet, res hominum Deo curae non esse. Iam sensus CARTESII huc redit: *indignari inuidum, quod fortuna, hoc est, diuina prouidentia iustitiam in bonorum distributione non obseruet.* At quis hanc assertionem ab errore & impietatis nota absolueret? Istene zelus excusabilis est? Enimuero homini probo & prudenti persuasissimum est, diuinam prouidentiam accuratissime iustitiam obseruare in bonorum distributione, licet nobis pro mentis nostrae angustia & corruptione, ratio diuinae iustitiae non semper pateat. Tantum ergo abest, vt zelum aut inuidiam animo concipiat erga eum, quem indignum bonis, quae possidet, iudicat, vt potius ita rationes subducat: forte dignior est, quam tu credis,

aut

aut esto, indignum esse, sanctissimae iustissimaeque Deo causae sunt, cur hunc affluere bonis istis vult, optatque, vt in possidentis & aliorum salutem ea cedant. Ita in locum odii & inuidiae, amor succedet, qui character certissimus verae virtutis est. *At bonum*, inquit CARTESIVS, *quod aliis inuidetur, eius est naturae, vt in malum abire possit in eorum manibus.* Quid autem tum odium, quid indignatio & zelus proficit? Amor longe rectius hic suas partes agit. Dispicit enim, an malum illud declinari possit: & si non declinari potest, diuino arbitrio rem committit, certus, vtcunque res cedat, ad diuini Numinis gloriam, & hominum salutem, omnia tandem directum iri. Recte addit CARTESIVS, passionem tum violentiorem reddi, si quis eiusdem rei possessionem appetat. Existimauerim etiam, cum inuidia semper fere coniunctam esse possessionis istius cupiditatem, at, quod addit, *inuidiam ideo non desinere esse excusabilem*, falsum est. Cupiditas aliena sibi vindicandi excusabilis erit? Nonne diuinis legibus, illud, *non concupisces*, saepius ingeminantibus, talis cupiditas diserte est prohibita? Quomodo ergo licita? quomodo excusabilis erit? aut, si excusabilis non est, quomodo per eam inuidia non desineret esse excusabilis? Tandem addit: *Sed pauci admodum adeo iusti & gene-*

generosi sunt, vt nullo odio prosequantur eos, a quibus praeueniuntur in acquisitione boni. Rectius dixisset: nemo tam iustus & generosus est, scilicet per naturam. Etenim, diuina gratia adiutos quosdam tam iustos & generosos existere, dubitari nulla ratione potest. Sed de his CARTESIO sermo non est, qui naturae omnia tribuit. Hinc & antea dixerat, *quosdam naturaliter iustitiam amantes*, indignari, eam non obseruari in horum bonorum distributione. Ex dictis ergo liquet, infelicem admodum fuisse CARTESIVM, quando de rebus moralibus disseruit, & naturam affectuum explicare aggressus est: id quod & aliis iam pridem est obseruatum.

§. XXVI. Iam, vt in summam hactenus dicta conferamus, vituperabilem comparationis dicimus metum, qui ex ambitione aut auaritia, aut simili prauo affectu oritur, itemque, qui cum suspicione, aemulatione, atque inuidia coniunctus est. Affectuum namque, quos inter & metum referendum esse constat, duo esse genera, notum est. Nonnulli indifferentes sunt, & per se nec pro virtutibus, nec pro vitiis reputari possunt. Alii contra vitium secum trahunt, & in hominem virtuti deditum non ita cadunt, vt non cuouis modo eis repugnet ac reluctetur. Ad priorem classem metus pertinet: qui, licet

cet humanae quoque imbecillitatis sit argumentum, vt ceteri affectus omnes, excusabilis tamen euadit, quando homini, quem inuadit, finis actionum bonus est constitutus, nec alii affectus per se praui eidem sunt admixti, & denique, quando modum non excedit, nec rationis bonaeque mentis habenas excutit. Sed addendum tamen, vocabulum *metus* duplicem obtinere significationem. Interdum namque affectum denotat, ex imminentis mali repraesentatione ortum, quandoque vero cautionem saltem, circumspectionem & prouidentiam. Eleganter hoc explicat, SAMVEL PVFFENDORFFIVS. Etenim, cum is doceat, causam impulsiuam constituendae ciuitatis esse metum, vel, quod perinde est, securitatis studium, nonnulli, ex voce metus cauillandi occasionem arripientes, dixerunt, eos, qui se metuunt, ne conspectum quidem mutuum ferre posse, tantum abest, vt in societatem se coniuncturi sint. Hisce autem vir ille doctus ita respondet: (n) *quasi vero metuere significet solum fugam, ac non etiam diffidere, suspicari, cauere. Immo & hoc est metuentis, prouidere, ne probabilem metus causam habeas. Vnde, qui dormitum eunt, fores claudunt, quia metuunt fures; clausis foribus non amplius metuunt. Qui iter faciunt, cum telo sunt, quia latrones metuunt; bene*

(n) *lib. VII. de I. N. & G. cap. I. §. VII.*

bene armati eosdem non amplius metuunt, &c. Vtraque autem significatio hic in censum venit. Etenim, si cautio quaedam & circumspectio saltem hac voce denotetur, ea quin licita sit, dubium non est, modo cetera recte se habeant. At in homine sibi relicto, nec per virtutem emendato, vt ista cautio sine prauo quodam affectu sit, neutiquam existimandum est. Rursus, si isto metus vocabulo affectus denotetur, is, vt dixi, ceu humanae infirmitatis documentum tolerandus & hactenus excusandus est, sed vt iis, quos antea designauimus, limitibus circumscribatur. Hos enim si transiliat, excusari amplius nequit. Cumprimis in hocce negotio diiudicando dispiciendum est, quis ille sit, in quem comparationis metus cadit. Si vir probus sit & virtuti deditus, sique in eo praeter cautionem metus sit, imbecillitas erit, non vitium: sin improbus & prauis suis cupiditatibus seruiens, ex arbore erit aestimandus fructus. Satius equidem esset, si vir probus & sapiens & sine affectu atque metu cautus ac circumspectus esset, sed dandum aliquid interdum est humanae fragilitati. Hoc nimirum esse puto, quod sibi vult ARNOLDVS GEVLINGIVS, (o) dum *vitam christianam* definit per *actionem praeter passionem*, eamque opponit *vitae vulgi*, in qua est

(o) *in tract. eth. IV. p. m. 89.*

est *actio ex passione*, & *vitae philosophicae*, in qua est *actio contra passionem*. Nimirum, qui ex affectu agunt, naturaeque impetum sequuntur, Epicuri sunt de grege porci. Qui contra affectum agere videri volunt, in hypocrisin facile prolabuntur. Virtuti vero deditus agit ea, quae verbo diuino & rectae rationi consentanea deprehendit, neglecto affectuum impetu, quibus, quantum potest, resistit, suamque agnoscit lubens imbecillitatem. Saltem excusari non posset ab hypocrisi, qui actionem bonam intermittere vellet, obtendens, se hanc sine affectu peragere non potuisse.

§. XXVII. In affectibus praeterea modus tenendus. Constituendi illis sunt certi limites, quos transilire nefas sit. Stoici, vt alibi dictum, tres in affectibus gradus obseruant, *propensionem*, *consensum* seu συγκατάθεσιν, & ὁρμὴν seu *impetum*. Primum gradum euitare, vix in hominis, etiam emendatae voluntatis, positum est potestate. In secundum vir prudens se adduci non patitur, multo minus in tertium. Primo autem qui non obuiam eunt gradui, vix est, quod secundo aut tertio se resistere posse sperent. Hinc & suam secum vehunt poenam improborum cupiditates. Esto exemplum in comparationis metu, quo princeps suis cupiditatibus seruiens laboret. Quietem hic metus

non

non concedit, angit, excruciat, torquet. Documentum ita praebet, quod vituperabilis sit, simulque in cupiditatis prauae, ex qua oritur, poenam impositus. Ad quosuis enim principes, vitiis suis obrutos, pertinet, quod de Tiberio TACITVS dicit: (p) *Adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra*, ita pergit, *praestantissimus sapientiae* (Platonem innui putant) *firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus, & ictus; quando, vt corpora verberibus, ita saeuitia, libidine, malis consultis* (imo & metu) *animus dilaceretur.* Et est metus inter omnes affectus longe molestissimus, & ad animum mire cruciandum aptus, iustissimaeque adeo poenae loco illis est, qui in eum ambitione aut aliis cupiditatibus se coniici patiuntur.

§. XXVIII. Satis quidem ea, quae hactenus diximus, euincunt, metum comparationis in illis, qui voluntatem non emendarunt, vituperabilem affectum esse, minimeque excusandum. At clarius adhuc eius eluceſcet foeditas, si effectus, in quos erumpit subinde, consideremus. Inter hos vel primum merito locum obtinet, *turpissima hypocrisis.* Enim vero, cum vident, se cum aliis, virtute & rerum gestarum gloria se multum superioribus, in com-

(p) *annal. lib. VI. cap. VI.*

comparationem venire, simulque animadvertunt, se iis omnino virtutibus destitui, quibus iis aut praeferri aut aequiparari possint, haud raro promptissimam hinc se expediendi rationem esse arbitrantur, simulare virtutes, quas non habent, vitia contra, quibus obruti sunt, quouis modo dissimulare. Hinc auari liberales, ambitiosi modesti, crudeles benigni, ignaui fortes, videri volunt. Ipse Tiberius, in quo metum comparationis notauit TACITVS, maximus simul fuit *simulator* & *dissimulator*. Immo prò virtute hoc reputabat, dissimulare posse: *nullam aeque ex virtutibus suis, quam dissimulationem, diligebat.* (q) Quicquid autem alii de simulatione & dissimulatione disputent, hanc, qua virtutem improbus simulat, vitia autem dissimulatione tegit atque occultat, nihil aliud, quam foedam hypocrisin, a nemine, nisi improbo, excusandam, pessimique animi characterem esse, apud omnes harum rerum non prorsus imperitos, in confesso erit. Falluntur autem maxime, dum isti homines prudentes sibi esse videntur. Primo namque, calliditas & astutia non est prudentia. Deinde errant, si putant, se omnes & semper hac virtutis specie fallere posse. Demonstrauit hoc pluribus

(q) *annal. lib. IV. cap. LXXI.*

ERASMVS IOANNES BROCHMANDVS, (r) simulationem dissimulationemque, quantumvis callidam, quantumuis subtilem, suis tamen signis se prodere, & perspicacioribus, latentia sub virtutis specie vitia, mox conspici. Vnde rursus patet, inepte non minus & ridicule, quam impie, philosophari MACHIAVELLVM, dum asserit, sufficere, si vitiorum speciem & infamiam fugiat princeps, nec necesse esse, vt veris virtutibus sit imbutus, licet hoc optandum esset. Namque, cum virtutes pariter ac vitia, quibus principes placere maxime aut displicere subditis solent, enumerasset, subiungit: (s) *Nemo non fatebitur, scio, fore rem summis laudibus celebrandam, si omnibus his princeps fuerit ornatus, quae ex iam dictis bona existimentur. Verum, cum nec haberi, nec per aduersantem humanae vitae conditionem seruari possint:* (at per christianam tamen institutionem, gratiamque Numinis, & haberi & seruari possunt) *necessarium est, valere principem ea prudentia,* (calliditas haec est, non prudentia) *vt infamiam fugiat eorum vitiorum* (non infamia, sed ipsa vitia fugienda sunt, nec quaedam, sed omnia) *quibus illi imperium adimi possit. Caueat etiam ab iis, si fieri possit, & si non aufferant, si fieri non possit, quam minimo tamen detrimento omittantur.*

Haec

(r) *in specimine eth. histor. p. 427. seqq.*

(s) *in principe, cap. XV. §. II.*

Haec & alia ad principum hypocrisin firmandam MACHIAVELLVS, quae tamen digna non non sunt, quibus refellendis diu immoremur. Experientia eum hominem satis refutat, omnes condocens, contemtum tandem & ludibrium apud homines, poenas grauissimas a Deo referre, qui, ficta virtutis specie aliis imponere, pulchrum ducunt. Sed ex instituto quoque haec MACHIAVELLI commenta profligarunt THOMAS BOZIVS, libris de *imperio virtutis*, PETRVS RIBADENEIRA, opere de *principe christiano*, aliique, qui MACHIAVELLVM impugnarunt.

§. XXIX. Alter effectus, qui metum comparationis consequi solet, est *iniqua anteceſſorum obtrectatio*. Ignauis admodum placet haec emergendi via, qua, alios se superare posse, credunt, aut efficere, vt, in comparationem cum iis adducti, illis adaequentur. Hinc laudi anteceſſorum detrahere, rerum praeclare gestarum gloriam imminuere, aut, si gloriam non possunt, vtilitatem in dubium vocare, quae infamiam illis attrahere queant, prodere, eiusmodi hominibus perquam solenne est. Quod si anteceſſorum facta omni laude fraudari nequeant, frigide laudari solent, vt sensim admiratio illorum euanescat. Audies hinc saepius eiusmodi voces: fuisse equidem virum bonum, pium, fortem, sed plura tamen eum fortunae de-

bere, quam virtuti, famam virtute longe maiorem fuisse, aliter plebem, aliter accuratiores rerum existimatores de eo pronuntiare, & quae alia sunt eiusdem commatis. De Adriano Caesare AELIVS SPARTIANVS: (t) *Parthos in amicitia semper habuit, quod inde regem retraxit, quem Traianus imposuerat. Armeniis regem habere permisit, cum sub Traiano legatum habuissent. A Mesopotamiis non exegit tributum, quod Traianus imposuit.* Videmus, in plerisque Traiano anteceſſori contrarium fuisse Adrianum. Traianus regem Parthis imponit, retrahit Adrianus. Armenis legatum dat Traianus, regem concedit Adrianus. Mesopotamiis tributum imponit Traianus, Adrianus remittit. Recte autem iudicant, qui Adrianum aut inuidia, aut potius metu comparationis inductum censent, vt erga Traianum ita se gereret. Illustriora & praeclariora erant Traiani facinora. Nec habebat Adrianus, quo illi se aut aequaret, aut praeferret. Nec tamen cedere illi volebat. Nihil ergo aliud supererat, quam contraria statuendo damnare tacite Traiani facta, tanquam superflua, aut noxia etiam reipublicae. Nec dubitauerit hac de re, qui mores Adriani, iam supra a nobis atro lapillo notatos, secum expenderit. Haec & alia, quae ad anteceſſorum gloriam imminuendam

(t) *in Adriano, cap. XXI.*

dam & obscurandam quotidie suscipiunt, execrabitur, qui non omnem prorsus pietatis & honestatis sensum exuerit. Namque, in fama non minus & existimatione, quam rebus & corpore, alios laedi, constat: laedere autem quacunque ratione innocentem, nefas esse, vt ratio omnes docet, ita nec barbarae gentes abnuunt. Nec principum modo, aut res ciuiles tractantium, hi mores sunt. Vbique regnant. Eruditos quoque, & qui sapientes videri volunt, haud raro comparationis metus agitat, & ad foeda quaeuis atque indigna concitat. Vti enim inuidia & aemulatione, quae comparationis metum nunquam fere non comitantur, nihil apud eos est frequentius, ita obtrectationum, calumniarum, non alibi fere vberior seges, quam in eruditorum efflorescit republica.

§. XXX. Tertius effectus est *inepta imitatio*. Nulla namque imitatio est sine comparatione. Quotiescunque enim alios agere quid videmus, quod laude dignum putamus, aut moribus etiam gestibusque, qui forte placeant, eos praeditos esse, & vero nos hactenus ea non egisse, aut iis moribus non fuisse praeditos, intelligimus comparatione instituta, cumque, vt hisce in rebus iis similes fiamus, eadem agendo, similesque mores & gestus exprimendo, annitimur, tunc eos imitari dicimur.

Is, quem imitamur, exemplar velut quoddam est, ad quod quanto propius accedunt, tanto se putant imitatores perfectiores. Vnde, cum imitatione etiam semper studium maiorem perfectionem acquirendi coniunctum esse, patet. Ex quo confirmatur philosophorum quorundam sententia, imitationem ex philautia procedere, omnibusque hominibus velut innatam esse. Quod si ergo id, quod nobis placet, quodue exprimere nostris actionibus, moribus, gestibus conamur, reuera bonum est, laudeque dignum, nec nostrae naturae aut indoli repugnet, hoc eo modo a nobis fieri, imitatio bona & laudabilis vocatur. Contra, si vitia imitemur, si in rebus ineptis & ludicris praestantiam quandam & gloriam quaeramus, aut res ita comparata sit, vt alterius naturae & indoli sit conueniens, nostrae non item, quis hoc laudet? quis non potius illud HORATII: *O imitatorum seruum pecus!* in eos quadrare pronunciet? Κακοζηλίαν tamen potius & *prauam affectationem*, quam *imitationem*, hoc vitium vocare volunt eruditi. Eiusmodi vitii reus est:

- - si quis vultu toruo ferus & pede nudo
Exiguaeque togae simulet textore Catonem.

vt HORATIVS loquitur, (u) de quo tamen recte quaerit:

Virtu-

(u) *lib. II. ep. XIX.*

Virtutemne repraesentet moresque Catonis?

Eandem imitandi stultitiam notat Venusinus vates, si quis pallorem contraheret, vt illi similis videretur:

Pallerem casu, biberent exangue cuminum,

Affert & exemplum Hyarbitae cuiusdam, qui, dum Timagenis eloquentia praeditus videri voluit, contentionem eius nimiam in dicendo vel clamorem imitatus est, & contendendo clamandoque pene se dirupit:

Rupit Hyarbitam Timagenis aemula lingua,
Dum studet vrbanus, tenditque disertus haberi.

Notat quoque ineptam hanc imitationem POLYBIVS: (x) *multi virorum praeclarorum ἔργα aemulari non audentes ad πάθεργα exprimenda se conuertunt, hoc ipso iudicii sui inopiam velut in theatro prostituentes.* Nec πάθεργα modo, sed ipsa vitia interdum, praetermissis virtutibus, imitantur. Vnde rursus recte HORATIVS:

Decipit exemplar vitiis imitabile.

In magnis enim viris cum virtutibus interdum coniuncta sunt vitia quaedam, & haec citius se ad imitationem offerunt, quam illae, vnde fit, vt inepti imitatores, virtutibus omissis, sectentur vitia. Nonnunquam in moribus celebrium virorum aliquid deprehenditur, quod per se turpe non est, illosque etiam decet, quod naturae

(x) *in fragmentis.*

turae illorum hoc sit conueniens, at, quod dum alii vsurpant, turpiter se traducunt. Sic Crassus, vt CICERO auctor est, (y) orator excellens fuit, idemque vehemens in dicendo, & solitus interdum suppulsione pedum, strepitum excitare. Extitere autem multi eo tempore, qui, cum non possent eloquentiam Crassi imitari, suppulsionem pedum imitabantur. De aemulis Ciceronis QVINTILIANVS: (z) *Si quid modo longius circumduxerunt, iurant, ita M. Ciceronem locuturum fuisse. Noueram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud coelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent:* ESSE VIDEANTVR. Sed scribendus integer liber esset, si quis omnia ineptae imitationis exempla colligere vellet, quorum magnus tamen numerus ab aliis iam conuectatus est. (a) De principibus rerumque dominis res certa est, quod κακοζηλίας vitium quandoque admittant. Quando enim iudicio populi satisfacturi, in comparationem eos cum anteceſſoribus deducentis, vt his similes videantur, praetermissis virtutibus, externa imitantur, idem nomen vsurpantes, idemque forte vestitus genus, nonne ineptae imitationis rei

(y) *in dialog. de orator.* (z) *lib. X. instit. orator. cap. II.* (a) *vid. Piccartus, observ. hist. polit. dec. XIII. cap. VII. & Rappoltus comment. in Horatii l. c.*

rei sunt? nonne pro laude ludibrium a perspicacioribus referunt? Sed excusat tamen quodammodo eos populi vanitas iam supra * a nobis notata, ex hisce maxime capitibus interdum principes inter se conferentis. Proinde, si princeps eiusmodi quid facit, vt populi saltem voluntati morem gerat, non, quod ipse laudem in ea imitatione positam putet, si cetera recte se habeant, prudenter facit. Prudentiae namque est, aliorum stultitiam interdum in rem suam vertere, & ex ea occasionem, suam aliorumque & reipublicae maxime vtilitatem promouendi, capere.

§. XXXI. Longe funestiores adhuc effectus consequi metum comparationis solent, si non cum anteceſſore, sed cum aliis, qui adhuc in viuis sunt, ita se contendi credat princeps, vt inferior inde discedat. Tum enim haud raro in odium erga eum iramque concitati, omnem in innocentes furorem effundunt, pereundum est miseris, quibus pro crimine virtus aut fortuna est, & si aperte illos interficere non liceat, struuntur insidiae, parantur venena, aut quicquid male sana vindictae suppeditauerit cupiditas. Exempla iam supra ** adduximus, & pertinent huc omnino, quae passim de moribus tyrannorum disputari solent a pru-

* §. *VIII.* ** §. *XI.*

dentiae ciuilis magistris. Horum praecipuus enim fere character est, non posse ferre viros sapientiae aut virtutis laude conspicuos, aut opibus florentes, aut placentes populo. Vnicum tamen hic addere operae pretium ducimus, quod forte non perinde omnibus fuit obseruatum. Nimirum, vt metus comparationis in haecce scelera erumpat, ex accedente alia animi dispositione, corruptis per consuetudinem prauam moribus, temperamenti indole, similibusque prouenit causis, mirum tamen in modum augetur iste furor per antipathiam malorum erga bonos, quae tamen & ipsa pro effectu huius metus quodammodo recte reputatur. Fieri namque potest, vt homines, cetera improbi, speciem virtutis, fortitudinis, gloriamque inde resultantem habeant, vtque hisce metus comparationis, simulque aemulatio, inuidia excitetur, & ad grauiora tandem crimina prouocetur princeps. Sed longe tamen facilius irritatur, grauiusque irascitur, si cum vitio & improbitate vera & genuina virtus in contentionem veniat; quia tum eo magis improbitatis, manifestatur foeditas. Et hinc demum istam antipathiam bonorum & malorum oriri, puto. Recte namque ARNOLDVS GEVLINGIVS, (h) *virtus quidem*, inquit, *consistit in inten-*

(b) *tract. eth. IV. p. m. 144.*

intentione, seu proposito animi, quod quidem secundum se abstrusum est, & ad oculos aliorum hominum non pertinet: subinde tamen, praesertim in vultu & oculis (addere cumprimis debuisset facta) *nescio, qua suauitate & honestate se prodit, tum vero efficit in improbis multas passiones, quas auersationes, taedia, fastidia, contemtus, & vno verbo antipathias nominare possumus.* Ita est: latere non potest vera virtus, sed vbique sese prodit, quantumvis humili in loco constituta, aut sordido tecta pallio. Solis instar est, qui, vt omnibus se conspiciendum praebet, ita omnia quoque illustrat, & naeuos atque deformitates etiam aperit, vt neminem fugiant. Ita homo improbus, si cum virtute vera imbuto illi res sit, statim intelligit, non posse tegi vlterius vitia sua, prodi illa, & comparatione ista in lucem protrahi. Hinc istae lachrymae, hinc odium, hinc contemtus bonorum & alia mala. In quibus omnibus aut comparationis metum subesse, aut accedere, quilibet paulo accuratius haec considerans, facile intelliget. Confirmat hanc veritatem, quam ratio ipsa nos docet, ipse Christus seruator, de discipulis suis verba faciens: *Si vos mundus odit, illud cognoscite, quod me prius, quam vos, odit. Si mundani essetis, mundus amaret suum. Verum, quia mundani non estis, sed ego vos ex mundo elegi, ideo vos odit mundus, Ioh. XIV. 18. 19.*

Hoc

Hoc est, quod dixi, semper esse antipathiam bonorum atque malorum, quae, vt maxime ex comparationis metu originem ducit, ita eundem rursus auget & ad graviora crimina homines impellit.

§. XXXII. Singularem metus huius effectum in Tiberio notat TACITVS, quod *spectaculo se abstinuerit*. Secessus namque & latebras interdum quaerunt, & a conspectu hominum se remouent, qui comparationem metuunt. Primo namque, occasionem comparationem instituendi se, populo hoc ipso erepturos, sperant. Praesentia enim, vt sensus mouet, ita iudicia excitat, & comparationes. Praesertim in actibus solennioribus, in quibus ad principis gestus, vestitum, & alia curiosius attendere solent. Deinde multi in eam ingrediuntur sententiam, eo magis suam augeri auctoritatem & venerationem, quo rarius conspiciuntur. Noua hinc se occultandi causa. Comparandus, vt in multis aliis, ita quoque hac in re cum Tiberio venit Philippus II. Hispaniae rex. Vtrique ingenium triste, vafrum, suspicax. Vterque anteceſſorem nactus erat affabilem, humanum, magnificum, corporis habitu decorum & vel sola praesentia sua animum populi sibi conciliare aptum. Carolus, auctore THVANO, (c) aditu facilis, allo-

(c) *lib. CXX. ad a. 1598.*

alloquioque, priuati in modum demittebat se, securus vbique maiestatis suae, seque cuiusque gentis genio moribusque attemperabat: Philippus contra & esse & videri omnibus Hispanus, parce loqui, nec nisi Hispanice, *publico libenter abstinere, & quasi ex abdito venerationem intendere.* Causam non aliam fuisse, puto, quam metum comparationis. Nec enim tam imprudens erat Philippus, vt non intelligeret, se in multis, qua affabilitatem & externa reliqua, Carolo patre esse inferiorem, seque pro veneratione & amore odium & contemtum relaturum, si frequenter in ciuium oculis versando, comparationem sibi parum honorificam instituendi, praeberet, occasionem. Quid ergo factu opus? prudentiae erat, *abstinere publico, & ex abdito venerationem intendere.* Antiquis Assyriorum regibus in more itidem positum erat, nunquam aut raro admodum conspici. Ita, augeri putabant venerationem suam apud subditos: *vt rex quiddam a reliquis hominibus diuersum esse videatur, si coram ipsum intueri non liceat.* Ita loquitur HERODOTVS, (d) qui Deiocem Medorum regem huius moris auctorem facit. Causam fuisse metum comparationis, haud sine ratione asseuerauerim. Imperiorum magnorum conditores plerumque excellentibus corporis animi-

(d) *lib. I. cap. XXVII.*

animique dotibus praediti sunt. Solent vulgo heroes vocari. His vt plurimum succedunt ignaui principes, omnibusque in rebus illis multum inferiores. Horum naeuos & infirmitates si pernosceret populus, in magnum discrimen amittendi imperii adducerentur. Nihil ergo aliud supereſt, quam vt se tegant, abdant, occultent, vt populo fucus fiat, caligo obiiciatur, & isti vtcunque maiorum virtute parta retineant. Si quaeras, an ergo expediat ista occultatio? respondeam, expedire equidem, quousque meliori & feliciori ratione, se imperiumque conseruandi, destituuntur.

§. XXXIII. Et hactenus quidem de prauo & illaudabili comparationis metu diximus. Concesimus ergo, hoc ipso interdum eum metum reprehensioni obnoxium non esse. Idque duplici ratione, vt iam supra * indicauimus. Primo, cum cura saltem & circumspectio circa existimationem, idque reipublicae causa, hac voce denotatur. Deinde, quando affectus aliquis equidem se miscet, quod facile contingit, sed is ex vero & sincero reipublicae amore, aut studio ad diuinam voluntatem omnes actiones suas exigendi, proficiscitur, & intra limites terminosque praescriptos subsistit, nec ad aliorum perniciem, sed salutem potius tendit. In-

* §. *XXVI.* qua-

quacunque significatione vox ista capiatur, culpa caret metus comparationis. Priori modo fructus prudentiae est, nec vituperari potest, nisi ipsam prudentiam, veram videlicet, veraeque virtutis aut filiam aut comitem, reprehendere quis ausit. Posterior metus, vtut imbecillitatis humanae sit argumentum, non tamen est vituperabilis, nisi quis omnes ex aequo affectus damnet, hominemque Stoicorum more, plane ἀπαθῆ cupiat, quae iam pridem a piis & doctis philosophis explosa est sententia. Vt autem hoc eo rectius patescat, eundo per praecipua capita, discrimen eius a prauo isto & vituperabili comparationis metu paucis ostendemus.

§. XXXIV. Primo itaque *ipso principio* differunt. Demonstrauimus hoc iam supra * Homo nimirum, qui non dum emendauit voluntatem, ambitione, auaritia, aut voluptatis cupiditate semper se abripi patitur. Ex prauo hocce fonte, vt ceteri affectus, ita metus quoque comparationis oritur. Bonum itaque & laudabile esse nequit, quod ex corrupta profluit scaturigine. Secus hoc se habet in homine probo, virtutibusque imbuto. Imperium is in prauas istas tenet cupiditates, nec vnquam, quantumuis iugum quatere molientes, habenas illis laxat. Affectus si eius actionibus se ingerant,

* dicta §. *XXVI.* si me-

si metus accedat, ex honesti rectique hoc prouenit amore, iustamque ideo apud omnes promerentur excusationem. Deinde supra etiam ** obseruauimus, vituperabilem hunc metum esse, *si modum excedat*; animique tranquillitatem turbet. Alia itaque erit ratio istius metus, quem vitio carere diximus. Nec aliter se res habere potest. Vir sapiens nunquam eousque affectibus indulget: nec, quod peccati & criminis poena esse debet, cadere in virtutem potest. Effectus etiam longe diuersissimi vtrobique conspiciuntur. Recensebimus saltem praecipuos, qui bonum istum laudabilemque metum comitantur. Primus est *incitamentum virtutis*. Virtus enim vera, cum fundamentum sit bonae existimationis, eo acrius ad hanc colendam accenditur, quo magis sua & aliorum referre intelligit, hanc sartam tectamque esse. Non hoc ita capiendum, ac si vera virtus vocari possit, quae gloriae aut famae causa induitur, aut quae gloriam ac famam ceu praemium expectet. Virtus sibi ipsi maximum est praemium. Sed cum prodesse omnibus cupiat virtus, omniumque commodis inseruire, eo magis incenditur & augetur, quo quid ad commoda aliorum promouenda vtilius, magisque necessarium deprehendit. Sic, cum videat aliquem in munere constitutum, rite ad

aliorum salutem eo fungi, nisi salua existimatione, non posse, saluam hanc esse cupit vir probus, non, quod eius magnopere referat, quid alii de se iudicent, sed quod hoc necessarium videat, vt muneri suo praesit recte, aliorumque commodis consulat. Alter effectus est, *intensior amor populi.* Vt enim nec inuidia, nec aemulatio cum vera virtute consistere potest, ita alios, virtutibus aut sapientia, aliisque dotibus eminentes, non tantum ferre potest, sed tenero etiam complectitur amore, modo ordine iusto ad bonum cuncta dirigantur finem. Aliorum autem, comparationem instituentium, si metuit iudicia, ad amorem eo magis incenditur, quo certior est, hanc vnicam & tutissimam viam esse ad beneuolentiam populi acquirendam, qua si gaudeat princeps, firmissimum optimumque imperii sui obtinuit munimentum. Tertius succedat effectus, *maior in omnibus circumspectio.* Securitas incautos homines reddit, & negligentes. Contra metus, bonum aliquod amittendi, industriam & vigilantiam excitat. Et cum sapientum sit sententia, suis neutiquam carere commodis affectus, metus quidem praecipuam hanc vtilitatem esse, arbitror, quod cautos homines reddat. Imminens malum, quod metus repraesentat, sollicitos animos tenet, occasionibusque omnibus

illud declinandi, inuigilantes. Vnde meticulosos cum prudentibus vulgo confundi constat, communi quidem errore, cui tamen aliquid veri subest. Namque vt prudens omnino aliquis esse potest, qui non est meticulosus, ita plerumque tamen ferociores, inconsideratiores etiam, minusque adeo prudentes esse solent. Qui autem metuit, rationes euadendi malum, init, quod prudentiae initium esse, in confesso est apud omnes. Quartus effectus est, *imitatio in laude dignis*. Imitationem namque maximum acquirendae virtutis adminiculum esse, demonstrari facile posset, si nostri hoc instituti permitteret ratio. Hinc a maximis quibusque viris imitationem frequentatam & commendatam fuisse, nouimus. Quid multis? nonne Christi seruatoris propositum nobis exemplum est, quod imitemur, ad quod nos componamus? Ita enim Deus nostrae se attemperare imbecillitati voluit, vt, cum imitatione quam facillime proficiamus, nec hac ratione nobis deesset promptior quaedam & expeditior ad veram felicitatem via. Pono autem, vera eum virtute praeditum fuisse, quocum comparamur, vt eius exemplum imitatione quoque dignum sit. Hoc enim laudabilis & cautae imitationis caput est. Denique nec hoc praetermittendum, si quis dotes aut virtutes in

eo,

eo, quocum comparatur, deprehendat, quas ipse exprimere nequit, aut imitari, *aliis hoc veluti compensare virtutibus* vir probus annititur. Multa saepius natura honestis & probis viris denegauit, corporis formam, gestus decoros, affabilitatem, facundiam, & alia, quibus capi populus solet. Quaedam enim horum licet exercitatione comparari posse videantur, natura tamen in omnibus vtramque facit paginam. Immo si quis mores & gestus naturae repugnantes induere tamen cupiat, ridicula tandem inde oritur affectatio. Sapientis itaque viri est, haec omittere, & suis contra bonis vti, non cupere, quae sibi denegata videt, tanto autem diligentius eas virtutes excolere, ad quas nemini aditus est intercluſus. Praecipui isti sunt, non omnes, metus istius, quem vitii expertem diximus, fructus. Ex quibus id saltem constat, flecti per virtutem ad bona naturam hominis posse, vt felicitatis inde nobis sperandum sit incrementum; quod si cultura non accedat, miseriam hominis & calamitatem augere solet.

§. XXXV. Explicandum nunc esset, quo pacto expelli vituperabilis iste comparationis metus atque eiici queat, aut effici, vt bonus sit atque excusa-

bilis saltem, si non laudabilis. Dignum hoc esset, quod nos porro occuparet, argumentum. Sed ad finem properantibus, paucis haec res expedienda est. Non alia autem hic patet via, quam quae ad ipsam virtutem ducit. Emendata enim rite voluntate, praui affectus omnes tollentur, & quicquid porro in ea deprehenditur, aut laude, aut venia & excusatione dignum censetur. Quae ratio hic suppeditat, non sufficiunt. Diuinum Numinis accedat auxilium, precibus indefessis impetrandum, necesse est, vt tam firmiter radicatas, & per naturae corruptionem, consuetudinemque corroboratas propensiones coerceamus, infringamus, & frenum ferre doceamus. Deo omnes hic tribuendae partes, homini satis, si non resistat & reluctetur, sique ea diligenter euitet, quae impedire mediorum a Deo ipso constitutorum, efficaciam possunt. Quae educationis, consuetudinis, & quotidiani, quod cum aliis nobis intercedit, commercii vis sit, ad vitia aut corroboranda, aut infringenda, neminem fugit. Quam autem haec omnia, tum in aliorum, tum maxime principum moribus formandis insuper habeantur, longe quoque est manifestissimum. Quid ergo mirum,

quod

quod inter principes, rerumque dominos paucissima virtutis, vitiorum contra quorumcunque exempla longe plurima, conspiciamus? Quid mirum, quod isti quiduis sibi licere putant, deque suis potius cupiditatibus, quam populi salute, solliciti sint? Iam pridem enim salus populi & patriae in inanem titulum abiit, cui tum demum locus est, cum ad subditos opibus pecuniisque emungendos, sumendum aliquid est obtentui. Quae hinc porro consequantur mala, coecum esse oportet, qui non videat. De metu autem comparationis quid dicam? Illaudabilem hunc putent, qui caedes, adulteria, commessationes, bella iniusta, aut inter regnandi artes, aut inter licitas principibus recreationes referunt? Causae huius corruptionis multae. Praecipua, praua principum educatio. Haec, si quam optime comparata est, omnium rerum principi necessariarum habetur ratio, praeterquam religionis christianae, verae scilicet istius, ad mores mentemque corrigendam vnice comparatae. Et tamen, qui hac imbutus non est, non est vera virtute praeditus, non est bonus princeps. Ab eo contra, qui ad huius doctrinae praescriptum sanctiores induit mores, vt praeclara

quaeuis ſperanda, ita hoc quoque de eo ſolo nobis polliceri poſſumus, quod pravum comparationis metum, ſuſpicionem, inuidiam, aemulationem, & reliqua tyrannorum vitia non deteſtaturus modo, ſed ſerio procul a ſe remoturus ſit. Hanc mentem imperantibus omnibus rerumque dominis apprecamur.

S. D. G.

EXERCITATIO POLITICA

AN ALCHEMISTAE SINT IN REPVBLICA TOLERANDI?

HABITA HALAE SAXONVM

DIE XX. IVNII M DCC II.

RESPONDENTE

CAROLO THEOPHILO SCHLITTE,

HALBERSTADIENSI.

Σύνοψις.

Occasio dissertationis, §. *I. Alchemia iure canonico est prohibita*, §. *II. Legibus Anglorum prohibita, aliquando tamen praecepta fuit*, §. *III. Reiicitur & damnatur passim ab eruditis*, §. *IV. Scriptis integris impugnatur, & defenditur*, §. *V. Ob paupertatem & miseriam, eam profitentium, male audit*, §. *VI. Quae omnia tamen apud prudentiores parum ei nocent*, §. *VII. Rationibus quoque philosophicis, quod transmutatio metallorum contra naturam sit, probari nequit*, §. *VIII. Obscuritas scriptorum alchemisticorum num hanc artem suspectam merito reddat?* §. *IX. Ad experientiam & exempla itur: an in antiquissima Aegyptiorum philosophia, & mythologia Graecorum, artis huius vestigia reperiantur?* §. *X. Apud Graecos, Arabes, Chinenses, quaenam Alchemiae fata fuerint?* §. *XI. Arnoldus de Villanoua an transmutationis exemplum ediderit?* §. *XII. De Raemundo Lullio idem quaeritur*, §. *XIII. Testimonium Ioh. Francisci Pici comitis Mirandulani, de transmutatione metallorum, itemque Petri Gassendi, & Io. Baptistae Helmontii*, §. *XIV. Argumenta, quibus haec*

similiaue testimonia in dubium vocantur, refelluntur, §. XV. Fratres Rosaecruciani alchemiam probant, §. XVI. Theophrastus Paracelsus an ex ignobiliori metallo aurum fecerit? §. XVII. Ioannes Arndius an lapidem philosophicum possederit? §. XVIII. Recentissima experimenta alchemistae Berolinensis & Francofurthani adferuntur, §. XIX. Nummis quoque ex auro chemico confectis, idem videtur comprobari posse, §. XX. De eiusmodi nummis quid censendum? §. XXI. Quaestio denique, an alchemistae tolerandi sint in republica, proponitur, & in partes dispescitur, §. XXII. De veris alchemistis primo disputatur, & quod semper viri admodum pii videri velint, §. XXIII. Ad artem alchemisticam an improbis etiam aditus pateat? §. XXIV. De piorum prae improbis, in naturalium quoque rerum cognitione, praerogatiua, §. XXV. Priuatae sortis hominibus non est permittendum, vt, quantam velint, producant auri copiam, §. XXVI. An omnino alchemia sit licita, disputant interpretes iuris ciuilis: sententia Oldradi de Ponte, §. XXVII. Nicolai Siculi Panormitani, Andreae de Isernia, aliorumque hoc affirmantium, §. XXIIX. Angeli Clauasii negantis, §. XXIX. Qui tamen ab aliis iure-consultis est refutatus, §. XXX. De auri chemici bonitate, & an eodem in contractibus vti fas sit? §. XXXI. Altera alchemistarum classis est impo-

impostorum: vbi de variis impostiurarum modis & exemplis, §. XXXII. Interdum dubium esse atque incertum, sitne aliquis verus alchemista, an impostor: vbi prolixe de Francisco Iosepho Burrho, §. XXXIII. Nonnulli alchemistae videri volunt, ne ob diuitias subito partas suspecti fiant, speciatim de Nicolao Flamello, §. XXXIV. Manifesti impostores quo pacto puniendi sint, §. XXXV. Prudentiae est, ab eiusmodi hominibus sibi cauere, §. XXXVI. Quid denique de illis censendum, qui non dolo, sed nimia curiositate hic peccant: vbi & de principum quorundam studio alchemistico, §. XXXVII.

§. I.

NOndum memoria nostra excidit rumor, qui per omnium ante paucos menses circumuolitabat ora, de quodam transmutatoriae artis perito, qui conuersi in aurum ignobilioris metalli, si non plura, vnum certe edidisse exemplum dicebatur. Multis ea res sermonibus, vt fieri assolet, & disceptationibus, occasionem & argumentum praebuit, quibusdam rei veritatem pertinaciter in dubium vocantibus, aliis, quid crederent, quidue respuerent, haesitantibus. Multi, qui famae tam constanti, & virorum fide dignorum testimoniis comprobatae, reluctari diutius non aude-

audebant, iam longe aliam rerum humanarum faciem animo concipiebant, quam ex crescente insigniter auri copia secuturam sibi, haud vanis, vt putabant, rationibus inducti, persuadebant. Est enim mens mortalium ad sperandum pariter ac metuendum admodum prona: hinc mox felicia quaeuis & fausta, & aurea plane secula sibi pollicebantur; mox nescio quam rerum confusionem, ex imminuto ob abundantiam, auri pretio, aut imperiorum etiam mutationes, si vni forte principum tantum hac arte consuleretur, extimescebant. Hinc ad commoda incommodaue, quae ex arte ista redundare in rempublicam possent, aliorum deuoluta est disputatio; quae cum non omni prorsus vtilitate carere videatur, nostram quoque peculiari commentatione hac de re exponere mentem, nobis visum fuit.

§. II. Habuit autem iam pridem ista res principes rerumque dominos, & legum conditores, sollicitos. Et in iure quidem canonico extat constitutio Ioannis XXII. Romani pontificis, quae poenas severissimas in alchemiam exercentes sancit: *Spondent*, inquit, (a) *quas non exhibent, diuitias pauperes alchemistae: pariter, qui se sapientes existimant, in foueam incidunt, quam fecerunt.*

(a) *extr. com. lib. V. tit. VI. de crimine falsi cap. vn. spondent &c.*

runt. Nam haud dubie huius artis alchemiae alterutrum se professores ludificant, cum suae ignorantiae conscii eos, qui supra ipsos aliquid huiusmodi dixerint, admirentur: quibus cum veritas quaesita non suppetat, diem cernunt, facultates exhauriunt: iidemque verbis dissimulant falsitatem, vt tandem, quod non est in rerum natura, esse verum aurum, vel argentum, sophistica transmutatione confingant: eoque interdum eorum temeritas damnata & damnanda progreditur, vt infidis metallis cudant publicae monetae characteres, fidos oculos, & non alias alchemicum fornacis ignem vulgum ignorantem, eludant. Haec itaque perpetuis volentes exulare temporibus, hac edictali constitutione sancimus, vt, quicunque huiusmodi aurum vel argentum fecerint, vel fieri secuto facto mandauerint &c. verum tanti ponderis aurum vel argentum poenae nomine inferre cogantur in publicum, pauperibus erogandum, quanti alchemicum existat &c. Supponens itaque pontifex, non dari metallorum transmutationem, eosque omnes, qui hanc artem profitentur, ab impostura prope abesse, eiusmodi quid in alchemistas sanciuit. Hinc & speciatim clericis alchemia interdicitur ibidem: *& si clerici fuerint delinquentes, ipsi vltra praedictas poenas priuentur beneficiis habitis, & prorsus reddantur inhabiles ad habenda.*

§. III. In Anglia quoque olim legem fuisse, ne cui sine permissu principis, sub

sub poena capitis, alchemiam exercere liceat, auctor est MARTINVS DELRIO. (b) Cui tamen contrariam legem oppossuit in eodem regno Henricus IV. quatuor edictis sanciens, vt omnes & singuli incolae praeparando lapidi philosophico operam darent, quo aere alieno exire posset respublica. Et lepida est ratio, qua sacerdotes ad prosequendum chrysopoeiae studium impellit: *Quod, cum sint adeo felices in pane & vino in corpus & sanguinem Christi transsubstantiandis, facile etiam ignobilius metallum in nobilius conuertere possint.* Mentionem horum edictorum iniicit IO. PETTVS, Anglus (c) ex quo haec refert GEORGIVS PASCHIVS, (d) qui & MORHOFFIVM (e) huius rei testem addit, cui hanc in rem inquirenti a custode regiorum diplomatum responsum sit, ipsa autographa hodieque supereſſe in archiuo. Cumque vix credendum sit, regem in publicis edictis atque legibus iocari voluisse, arbitror, ob specimina artis, a Raemundo Lullio in Anglia

(b) *lib. I. disquis. mag. cap. V. quaest. IV. add. tamen Morhoffius, de transmut. metallorum sect. XII. p. 286.* (c) *in fodinis mineralibus, or the history, lavvs and places of the chief, mines and mineral Works in Engeland &c. part. I. cap. XXVII.* (d) *de inuentis nou-antiquis cap. VI. p. 332.* (e) *l. c. p. 287.*

Anglia edita, de quibus deinceps, regem inductum fuisse, vt sibi persuaderet, pronum omnibus esse, hanc facultatem, transmutandi sibi comparare. Nec tamen prudenter satis omnibus promiscue hoc concesit & iniunxit, cum ita facile ob nimiam auri copiam pretium eius imminui potuisset: parum felicitamen cum successu, cum ne vnus quidem inuentus sit, qui voluntati regis morem gesserit, aut forte gerere potuerit.

§. IV. Sed, vt, misis tandem proculque remotis ambagibus omnibus, ad rem ipsam veniamus, de ipsa prius alchemia disputiendum, quam definiamus, quae ex hac arte in rempublicam redundent, commoda aut incommoda, adeoque an isti, qui eam profitentur, sint tolerandi. Hic vero statim ingens illorum video agmen, qui magno ore clamitant, impostura, meram esse alchemiam, fumumque vendere, qui eam exercere dicuntur, praetereaque nihil: vel, vt nonnemo eam descripsit, artem esse sine arte, cuius principium sit mentiri, medium laborare, finis mendicare. HENRICVS CORNELIVS AGRIPPA hac de re ita pronunciat: (f) *alchemistica, siue ars, siue fucus, siue naturae persecutio dici debeat, profecto insignis est, eademque impunis impostura, cuius vanitas eo ipso se facile prodit, cum*

(f) *de incertitud. & vanit. scientiar. cap. XC.*

cum polliceatur, quae natura nullo modo pati poteſt, attingere, cum tamen ars omnis non poſſit naturam ſuparare, ſed illam imitatur, & longis paſſibus ſequitur, & multo fortior ſit vis naturae, quam artis. Eiusmodi iudicia, vel conuitia potius, magno numero pasſim inueniuntur, vt facile eſſet ingentem iis complere librum, ſi quis colligere omnia vellet. De AGRIPPA tamen mirum mihi videretur, eum ita de alchemia ſentire, cum alibi, in opere ſcilicet de *occulta philoſophia*, (g) omnino pretium aliquod eidem ſtatuat, immo diſerte aſſerat, ſpiritu auri, aut potius eiusdem forma & parte puriore, imperfecta metalla & argentum viuum in argentum verti poſſe, ſeque id vidiſſe & nouiſſe, niſi conſtaret, eum in hoc libro multa ingenii potius oſtentandi cauſa, quam ex animi ſententia diſſerere. Addit tamen etiam eo ipſo in loco, vbi contra alchemiſticam diſputat, hanc artem ſibi non admodum inimicam eſſe, ſeque de ea multa adhuc dicere poſſe, niſi iuratum eſſet (quod, inquit, facere ſolent, qui myſteriis initiantur,) de ſilentio. IVLIVS CAESAR SCALIGER, (h) affirmare non dubitat, ſe chemiſtas odio odiſſe plusquam Vatiniano. Sunt enim, inquit, noctuae ad aucupia crumenarum, a quibus aurum, quod

(g) *lib. I. cap. XIV.* (h) *exercit. XXIII. contra Cardanum.*

quod postea pollicentur aliis, sibi captent prius. PHILIPPVS MELANCHTHON eam *sophisticam quandam impostoram* nominat; PETRARCHA, *mentiendi & fallendi artem*; PEVCERVS, *daemonis praestigias*; & quis omnia enumeraret?

§. V. Scriptis quoque integris multi labefactare alchemisticae artis auctoritatem, eiusque demonstrare vanitatem conati sunt, nec tamen causam deferentibus alchemistis, sed pro mysteriis suis tanquam pro aris & focis dimicantibus. Hic ad alchemistas debellandos omnes copias suas in aciem educere videas AVBERTVM, ERASTVM, ALEXANDRVM CARRERIVM, FENETTVM, THOMAM MORESINVM: quibus non minori exercitu instructi obuiam eunt: QVERCETANVS, MVFETVS, SEVERINVS, PENOTVS, GASTOCLAVEVS, & qui plures simul aggreditur, LIBAVIVS, aliique. Longe acerrimum quoque & implacabilem fere hostem aureae artis cultores experti sunt in ATHANASIO KIRCHERO, in *mundo subterraneo*, de quo DANIEL GEORGIVS MORHOFFIVS (i) pronunciat, quod nemo acerbius ac immodestius, sed & indoctius, hanc artem eiusque assertores tractauerit. Totam enim, inquit, vt impostoriam reiecit. Historias transmutationum sine discrimine pro fabulis habet. Vbi solida argumenta ex-

(i) *de transmutat. metallor. p. 274.*

pectes, perpetuae leguntur eius in impostores chemicos declamatiunculae. Quos vt tales demonstret, farraginem praeparationum sophisticarum, quales passim ab agyrtis circumferuntur, in medium producit. Constat tamen, refutatum eum esse a VALERIANO BONVICINO, libro singulari, quem *Lancem peripateticam, qua vetus arcani physici veritas appenditur, & auctoris mundi subterranei noua obiecta reuocantur ad pondus,* inscripsit, itemque a SALOMONE DE BLAVENSTEIN in *interpellatione breui ad philosophos contra alchemisticum mundum subterran.* Certe si ex multitudine, sententiam aut defendentium aut impugnantium, documentum veritatis capere fas esset, incertum ambiguumque valde esset, ad quam partem in hac controuersia transitura esset victoria. Licet enim multi sint, qui alchemiam reiiciunt, haud pauciores tamen esse, qui eam defendunt, vel ex catalogo satis prolixo, quem sistit IO. DANIEL MYLIVS, (k) intelligere licet. Ipsa autem alchemistarum scripta P. BORELLVS, (l) atque OLAVS BORRICHIVS (m) exhibent.

§. VI. Offendit multos & nihil praeclari admodum de tota hac arte sperare iubet

(k) *in tract. III. Basil. chem. praef. l. I.*

(l) *in biblioth chem. Paris. a. 1654. edita.*

(m) *in conspectu scriptor. chem. illustr. Hafniae a. 1677. edito.*

bet misera sors plerorumque eam profitentium. Nimis multis contingit, vt praediis, mercibus, patrimoniis omnibus in cinerem ac fumum conuersis, dum longi laboris praemia & nascituros foetus aureos, perpetuamque cum reiuuenescentia sanitatem sibi molliter pollicentur, deuoratis multo tempore & sumtibus, tum primum vetuli, annosi, pannosi, esurientes, semper sulphur olentes, & inter carbones atra fuligine sordidi, assiduaque argenti viui contrectatione, paralytici, solius nasi affluentia diuites, ceterum adeo miseri, vt pro tribus caseis etiam animam venalem habeant, quam metallis inferre conabantur, metamorphosin in se ipsis experiantur, effecti iam ex alchemistis cachemici, ex medicis mendici. Ita, quem supra laudaui, AGRIPPA eorum fata exprimit. Exempla quam plurima, quibus hoc comprobari potest, passim extant; maxime tamen memorabile est BERNHARDI PENOTI, e portu S. Mariae Aquitani, alchemistae, longe celeberrimi, qui circa initium seculi decimi sexti vixit. Hic enim deditus nimium alchemiae omnia decoxit bona, ita vt, quemadmodum in extremo senio, anno scilicet aetatis nonagesimo octauo, sic etiam in extrema paupertate & miseria in Nosocomio Yuerduni in ditione Bernensi, circa mensis Augusti

finem diem suum obierit. Constat hoc ex epistola, quam amicus A. M. DC. XVII. ad DANIELEM SENNERTVM (n) perscripsit, in qua haec porro referuntur: *Guilielmus Fabritius, chirurgus ille clarissimus, hoc anno bis ipsum (*PENOTVM*) inuisit & hortatus est, vt, si quid arcani adhuc sibi suisque reseruasset, boni publici causa communicaret. Sed praeter animum ibi nihil. Ex relatione Fabritii habeo, dixisse aliquando Penotum, se, si alicui male vellet, quem aperta vi aggredi non auderet, saltem auctorem ipsi futurum, vt chemico studio totum se traderet.* Et tamen PENOTVS iste multa satis magnifice de lapide philosophico scripsit, vt, qui haec legit, facile in eam inducatur sententiam, omne mysterium ei penitus fuisse perspectum. Extant quaedam eius opuscula sub titulo sequenti: *Tractatus varii de vera praeparatione & vsu medicamentorum chemicorum, auctore & collectore Bernhardo G. Penoto e Portu S. Mariae Aquitano: editio quarta prioribus emendatior: in hac postrema editione auctor annum aetatis agens nonagesimum septimum addidit duos tractatus de lapide philosophorum &c.* Basileae A. M. DC. XVI. in 8. Et in priori quidem libello de lapide philosophico, post summam singulorum capitum indicatam, haec extant verba: *Si vis intelligere totum opus, lege & relege pluries, miranda*

(n) *vid. Sennertus de chem. cum Arist. & Galen. consensu ac dissensu, cap. II.*

randa videbis &c. Nihilosecius haec, quae miranda PENOTO visa sunt, ipse postea, ceu inutilia & vana, immo noxia, damnauit. Simile quid prorsus refertur de quodam DV CLOS, de quo extat epistola cuiusdam CLEMENTIS, (o) in qua dicitur, quod, cum omnem vitam in studio alchemisto transegisset, eandem tandem imminente morte repetierit confessionem, quam ediderat PENOTVS.

§. VII. Licet autem superuacaneum videatur, plura hac de re addere, facere tamen non possum, quin hic subiiciam versus lepidissimos elegantissimosque, quibus NATALIS COMES (p) alchemistarum fata & fallacias describit:

Ars fallax, inuisa bonis, dulcedine captos
Iucunde vt perimis? dementibus improba Siren.
Naturam superare putas te posse per ignem?
Stulta quid insanis? te longis passibus illa
Deserit, ac tandem nil perficis, illa colorum
Te fallit, rerum te fallit mille figuris.
Sic fertur Protheus se in multas vertere formas,
Cum fieret serpens dirus, cumque vnda vel ignis.
Vris opes, properans quas fumus portat in auras.
Inde ardens miseris torquet praecordia virus,
Exitialis amorque auri, saeuique dolores,
Quos semel insanae fallacia ceperit artis.

(o) *dans les nouvelles de la republique des lettres, A. M. DC. LXXXIV. mens. Octobr.*

(p) *lib. II. mythol. cap. VI.*

Occupat haec nulli misero vesania mentem,
Ne pro peccatis hominum sator atque Deorum,
Supplicia, ingentesque paret mox sumere poenas.
Mendici fiunt, semper caligine barba
Squalet, & immodico turpantur pallia fumo;
Et noua quaerentes semper mendacia iactant,
Defeciſſe sibi vires, vbi noua reperta est,
Mercurium, ratio, qua possint sistere in aurum.
Ad notos homines inde haec contagia serpunt.
Si quenquam arripient, qui stultas praebeat aures,
Non prius effugiet, quam & sit perpessus eandem
Fortunam, scopuloque ratem confregerit vno.

Ita nec poëtarum iocos salesque effugere possunt, qui plerumque suo satis miseri sunt fato. Sed haec vulgi maxime argumenta sunt, quibus alchemisticam se profligare posse artem putant. Quae, quod non diffitendum, omni prorsus priuantur efficacia, si quis ostendat, abusum non posse ipsum tollere vsum, & a veris artis magistris impostores & pseudo-alchemistas probe esse discernendos. Quare paulo accuratius in rem istam inquirere iuuabit.

§. VIII. Ad rationes itaque philosophicas confugiunt, qui eruditiores inter alchemistarum hostes videri cupiunt, quibus euincant, non posse dari eiusmodi metallorum transmutationem. Omnes istas aut recensere, aut sub examen reuocare

care, instituti nostri legibus repugnat: nonnullas tamen, & maxime quidem communes, afferre, haud absre fuerit. Naturae itaque vim inferre clamitant, qui hanc transmutationem impugnant, quam domare & sibi subiicere velle, res sit, quae hominum vires multum superet. Ad quod tamen, qui secus sentiunt, respondent, alchemiam nihil contra naturam, sed cum natura agere: cum reuera alchemia naturam saltem adiuuet, vt perfectiorem operationis suae gradum attingat. Non aliud alchemistas in rebus metallicis agere, quam quod hortulani & agricolae quotidie in rebus vegetabilibus praestant, vt semina iam a natura parata magis excolant, augeant, ornent, quos tamen nemo ideo reprehenderit, ac si naturae vim inferant. Rursus contendunt alchemistarum aduersarii, aurum iam esse perfectissimum, adeoque nulla arte posse corrumpi, resolui, aut in meliorem naturam redigi. Ad quod regerunt chemicae artis cultores, esse quidem aurum in suo genere perfectissimum: sed hoc non obstare, quo minus adhuc perfectius quid ex eo extrahatur, quod polleat vi, materiam aptam, & ad hoc praeparatam, ita subigendi, vt aurum inde euadat. Destrui autem omnino & resolui aurum posse, si quid, quod ista vi praeditum est, auro adiungatur, cuiusmodi

quid se scire, chemicorum schola profitetur. Species hinc atque formas crepant antagonistae alchemistarum, & audacter, illas converti posse, negant: tantam metaphysicorum canonum sanctitatem sibi esse, persuadentes, vt pro atheo continuo habendus sit, qui, eos in dubium vocare, sibi non duxerit religioni. At enim vero formas istas & species, cum toto vocabulorum nihil significantium choro, iam pridem proscripsit, honestamque illis sedem in spatiis mundi imaginariis concesit sanior physica, vnde non est, vt scrupulum hinc sibi iniici patiatur alchemiae cultor. ATHANASIVS KIRCHERVS, se vnico ictu prostraturum alchemistarum copias, putat, quando ita rationes subducit: si μεταμόρφωσις ista in metallis fieri possit, fieri etiam in animalium ac vegetabilium genere posse e. g. si puluis ex absynthio confectus supra aridum mortuumque absynthii caulem proiiceretur, pari ratione id in herbam resuscitaturum: idem & de puluere ex animali combusto facto, & in cadauer eiusdem vel alterius animalis coniecto, dicendum esse: item si vini septies & amplius destillati gutta dolio aquae infunderetur, aquam in vinum abituram. Ad quod tamen recte respondet MORHOFFIVS, (q) rationem

(q) *de transmut. metallor. sect. IX. p. 276.*

nem subiectorum non esse eandem, nec eodem modo in omnibus naturam operari. Materiam metallorum proximam communem esse, non item vegetabilium & animalium. Metalla e paucis paribus misceri, ac simpliciorem texturam habere: vegetabilia & animalia tot disimilibus partibus constare, ac alio plane modo produci. Cetera, instituti mei memor, mitto. Mihi autem si exponenda sit mea sententia, ita arbitror, frustra hic disputari sine experientia. Haec si non accedat, nec affirmare, nec abnuere pronum est, an detur metallorum transmutatio. Natura enim rerum omnium atque essentia, adeoque & metallorum, nobis incognita est. Operationem & proprietates experientia addiscimus, naturam ignoramus. Quicquid philosophi de essentia rerum comminiscuntur, coniecturae sunt, praetereaque nihil: quae eadem reiiciuntur facilitate, qua proferuntur. Recte hac de re pronunciat 10. CLERICVS: (r) *Non videmus quidem vllam contradictionem, quae, aurum fieri ex argento, repugnet; sed, cum eorum formatio atque intima natura ignotae sint, nihil ea de re definire possumus.* Omnia ergo ad experientiam redeunt: & si vel vnicum saltem mutati in aurum ignobilioris metalli exemplum

(r) *phys. lib. II. cap. IV. §. 22.*

produci possit: omnes hoc negantium ratiocinationes explodendae sunt, & exsibilandae.

§. IX. Sed, de experientia priusquam videamus, de obscuritate, quam alchemistae affectant, aliquid dicendum est, quippe qua totam artem multis suspectam reddunt. Namque non infrequens est in eruditorum gente, res nihili & commenta plusquam puerilia speciosis & sesquipedalibus verbis commendare, & his velut inuolucris tegere, vt rudiores, maxima sub iis latitare mysteria, credant. Sic & in alchemistarum scriptis nihil videas, nisi aenigmata, de leone viridi, de ceruo fugitiuo, de aquila volante, de stulto saltante, de dracone caudam suam vorante, de bufone inflato, de capite corui, deque illo nigro nigrius nigro, de sigillo Hermetis, de luto sapientiae, & quae alia sunt eiusmodi fere innumera. Quaesitus, quid sit lapis philosophicus? respondet frater ELIAS DE ASSIZIO, *Lapis noster est ex quatuor elementis, eum habent tam diuites, quam pauperes, inuenitur, vbique & assimilatur rebus omnibus, componitur ex anima, corpore, & spiritu, & conuertitur de natura in naturam, vsque ad vltimum suae perfectionis gradum.* ARNOLDVS autem VILLANOVANVS: *Lapis est non lapis, spiritus, anima, corpus, volatilis, albus, vt lachrymae oculi; si dicis, eum aquam esse, verum dicis,*

dicis, si dicis, aquam non esse, mentiris. De materia & modo praeparandi quaesiti, promti sunt ad respondendum: *accipite,* inquiunt, *viridem leonem, fumum album, & aquam foetidam, deinde solue, fac calcem, fige, signa, sublima, donec seruus rubicundus fuerit, cum candida vxore, nam cum calx facta albescit, cum sublimatum euolat, opus perfectum est.* Nihil certius. Cum omnia in fumum abeunt, opus perfectum est. Alii maximopere hic suum CORSVFFLE commendant. Quaesiti, quid ergo barbara ista vox, quae castae latinitatis cultoribus facile animi deliquium attrahere possit, sibi velit, vt homines admodum officiosi sunt alchemistae, & ad explicanda obscura faciles, statim respondebunt: CORSVFFLE *est caput huius operis, non initium: verum post complexum rite ita vocatur. Quapropter* CORSVFFLE *est totum compositum, quod oportet septies assari, & tunc omne corpus tingit, & vocatur nummus, aeris flos vel auri, aut ferri flos, etiam plumbum, stannum, & mille nominibus a philosophis nominatur.* Si alii haec intelligant, gratulabor eis hanc felicitatem. Me nihil istorum capere, lubens profiteor, quod nemo quoque mihi vitio vertet, qui animum hisce mysteriis non imbutum habeo. Interim, si quis se eiusmodi deliciis pascere cupiat, is adeat scripta alchemistica, vti sunt: *Propositiones seu maximae artis chemicae: Turba philo-*

philosophorum: Turbae philosophorum alterum exemplar: Allegoriae super librum Turbae: Aenigmata & visiones Aristaei: Exercitationes in Turbam: Aurora consurgens: Rosinus ad Euthyciam: idem ad Saratantam episcopum: Liber definitionum eiusdem: Mariae prophetissae practica; Liber secretorum Calidis filii Iazichi; liber trium verborum: Aristoteles de lapide philosophorum: Auicenna de conglutinatione lapidis: Expositio epistolae Alexandri regis: Ignotus auctor de secretis lapidis: Rachaidibi de materia lapidis; Auicennae tractatulus de Alchemia: Semita semitae: Clangor buccinae: Correctio fatuorum: incertus auctor de arte chemica. Item: *Bernhardi Treuirensis responsio ad Thomam de Bononia de mineralibus, & elixiris compositione, Roberti vallensis tabulis illustrata; Liber de arte chemica incerti auctoris: Scala philosophorum: Ludus puerorum: Rosarium: Arnoldi Rosarium cum figuris: item Nouum lumen, vt & Flos florum ad regem Arragonum, eiusdem epistola super alchemia ad regem Neapolitanum: Rogerius Baco de mirabili potestate artis & naturae:* quae omnia coniunctim edita sunt duobus voluminibus in 8. sub titulo: *Ars aurifera, quam chemiam vocant: Basileae A. M. D. XCIII.* Extat & alia collectio scriptorum quorundam alchemisticorum, sub titulo: *Philosophiae chemicae quatuor vetustissima scripta, (1.) Senioris Zadith filii Hamuelis tabula chemica; (2.) innominati philosophi expositio tabulae chemicae; (3.)*

Her-

Hermetis Trismegisti liber de compositione; (4.) Anonymi veteris philosophi consilium coniugii, seu de massa solis & lunae libri tres &c. Francofurti A. M. DC. V. in 8. Vt nunc de theatro chemico, museo Hermetico, theatro chemico Britannico ab ELIA ASHMOL edito, similibusque collectionibus, nec de BASILII VALENTINI aliorumque scriptis, quae infinita ad hoc comprobandum suppeditant exempla, nihil commemorem. Quid ergo dicendum? Num credere par est, hos omnes velut conspiratione inita inter se consensisse, vocabulis nihil significantibus, & aenigmatibus inanibus, decipere orbem? esto, quorundam tantam fuisse prauitatem; omnium eandem fuisse mentem, nefas est existimare. Cauti scilicet isti & prudentes homines, maximum forte reipublicae imminere periculum, videbant, si ars ista vulgaretur, hinc tegendam eam atque inuoluendam his aenigmatibus censuerunt. Quo ipso, si ponamus, haec ita se habere, mitiorem equidem promerentur sententiam; reprehensionem omnem tamen vix effugient, cum ita satius fuisset, orali traditione arte cum paucis communicata, haec arcana propagare, quam scriptis obscurissimis aliis illudere, & multis occasionem, cum mente bona fortunas perdendi, subministrare. Nec tamen ideo apud cordatos ipsa ars alchemistica

in

in impostvrae veniet svspicionem, cum, perinde inania, ac solida, ludicra commenta & vera arcana, inuolucris quibusdam, occultari, & profanorum hominum oculis subduci queant.

§. X. Sed, vt conticescere aduersarios suos iubeant alchemistae, hoc vnicum illis saltem agendum est, vt vel vnico exemplo comprobent, transmutationem, eiusmodi peractam esse. Efficacissimum namque hoc esse argumenti genus, expertus dicitur CORNELIVS MARTINI, haud incelebris philosophus: qui, cum in academia Iulia contra lapidem philosophicum, disputaret, surrexit quidam e corona nobilis, & carbones ac plumbum sibi afferri iussit, & tincturam quandam liquato metallo iniiciens, eius virtute liquatum plumbum in aurum transtulit, & exclamauit, aurum adhuc calidum Cornelio porrigens, *solue mihi hunc syllogismum.* Qua re inductus priorem mutauit sententiam. Avctor huius narrationis ZVVOLFFERVS, (s) ex quo alii eam certatim repetunt. Hoc certum, CORNELIVM istum MARTINI in *analysi sua Logica* (t) χρυσοποιΐαν defendisse. *Tot, tamque praestantium virorum*, inquit, *inter quos sunt doctissimi philosophi, iureconsulti, medici, etiam theologi, nec non viri principes, qui libris editis sancte affirmant, se oculis suis vidisse, & mani-*

(s) *in mantiss. spag. f. 328.* (t) *cap. VIII.*

manibus non tantum palpasse, sed & confecisse transmutationem vnius metalli in aliud, ego fidem derogare nequeo, hoc enim imprudentis esse videretur, non philosophiae studiosi. Hic de sua equidem ἀυτοψία nihil refert? tot tamen exemplis, quae passim a viris fide dignis commemorentur, refragari nefas ducit. Ego hactenus plane illi subscribo, imprudentis esse, existimans, & in fidem historicam palam iniurii, qui omnia sine discrimine reiicit. Peccant tamen rursus & alchemiae cultores & defensores, quantum ego iudico, dum regni sui nimis dilatare fines, iisque non Arabiam modo, sed Graeciam antiquam, ipsamque Aegyptum comprehendere annituntur. Disputatum quidem ea de re iam pridem est inter viros eruditos, HERMANNVM CONRINGIVM, atque OLAVM BORRICHIVM, quorum ille regni alchemistici limites contrahit, hic dilatat, quod etiam THOMAS REINESIVS facit in defensione chemiatriae. IACOBVS TOLLIVS, vir cetera doctus, vbique sibi artem χρυσοποιητικὴν deprehendere videtur, certioremque hac de re orbem eruditum reddidit, edito A M. DC. LXXXV. libro, cui titulum fecit: *Fortuita, in quibus praeter critica nonnulla, tota fabularis historia Graeca, Phoenicia, Aegyptiaca ad chemiam pertinere asseritur.* Eodem spectat MICHAELIS MAIERI liber, editus sub titulo: *Arcana arcanissima, h. e. hierogly-*

roglyphica Aegyptio-graeca, vulgo necdum cognita, ad demonstrandum falsorum apud antiquos Deorum, Dearum, Heroum, animantium & institutorum pro sacris receptorum originem, ex vno Aegyptiorum artificio, quod aureum animi & corporis medicamentum peregit, deductum, vnde tot poëtarum allegoriae, scriptorum narrationes fabulosae, & per totam encyclopaediam errores sparsi, clarissima veritatis luce manifestantur, suae tribui singula restituuntur, sex libris exposita. Eiusdem argumenti & alium composuisse librum, idem auctor perhibetur, sub titulo: *de Theosophia Aegyptiorum &c.* quem propria ipsius manu scriptum extare perhibent in Bibliotheca Paullina academiae Lipsiensis. (t) Immo omnibus fere chemicis hoc in more positum est, artis suae incunabula ab Aegytiis repetere, & eiusdem cultores apud Chaldaeos, Ebraeos, Graecos, aliosque populos quaerere, vt antiquitatis opinionem inuentis suis concilient: id quod cumprimis etiam agit IOSEPHVS QVERCETANVS, haud ignobile in chemicorum gente nomen. (u) Ex recentioribus, vt nunc alios taceam, eandem causam tuetur DANIEL GEORGIVS MORHOFFIVS, (x) qui

(t) *vid. Georg. Paschius de inuentis nou-antiquis cap. VI. p. 333* (u) *in responsione ad anonymi cuiusdam phantasmata, t. b. II. p. m. 289. seqq.* (x) *de transmutat. metallor. sect. X. p. 279.*

qui tamen negare nequit, ea, quae vulgo hic afferuntur, antiquitatis argumenta, omnia esse coniecturae plena & incerta: BORRICHIVM interim in rerum istarum tenebris ita versatum putat, vt non exiguam antiquitati chemiae intulerit lucem. Quae e fabulosis Enochi scriptis petuntur documenta, aut quae BOCHARTVS de Chamo eius auctore coniicit, recte, tanti non esse, iudicat, vt aliquem morari debeant. Hermetem aliquem fuisse, huiusque scientiae quaedam tradidisse, non negat, nec tamen omnia, quae sub nomine eius circumferuntur, ab illo profecta esse, asserere audet. Tabulae Smaragdinae, quae illi adscribitur, originem esse incertam, fatetur; mentiri tamen KIRCHERVM, qui ante Lullii tempora eam extitisse negat, cum IO. DE GARLANDIA, qui Hortulanus alias dicitur, ac seculo decimo, teste BALAEO, vixerit, iam tum commentarium in eam scripserit. KRIEGSMANNVM illam lingua Phaenicia edidisse, sed, vnde illam habeat, non indicasse. Veritatem ergo rei in suspenso esse. Hactenus bene. Sed nunc ita pergit MORHOFFIVS: *Apud Aegyptios hanc artem inter arcana habitam, multa argumento sunt. Nam, quanquam nil diserte proditum literis sit, hieroglyphica tamen illa quaedam huius condidisse videntur. Neque enim credibile est, homines illos, non profecto stupidos ac inertes, fallendi tem-*

poris gratia, has quasi cucurbitas pingere voluisse, aut morales quosdam, aut alios vulgares sensus sub iis occultasse, cum occultandi nulla causa esset. Seruare his monumentis sapientioribus maiora quaedam naturae arcana voluerunt. Quae argumenta exiguam habent verosimilitudinis speciem, & in hac causa parum proficient. Namque primo hieroglyphicorum, vt omnium schematum, atque imaginum, dubia admodum & ambigua est interpretatio, vt nihil certi ex iis colligi queat. Et, si quae interpretatio totam velut imaginem exhaurit, illi cur alia praeferenda sit, non video, nisi euidentibus argumentis comprobetur, hoc potius, quam aliud, auctores imaginis indicare voluisse. Deinde, non plane stupidos & inertes fuisse veteres Aegyptios, facile concedo: haud raro tamen contingit, vt sapientiores peritioresque, nimio antiquitatis amore abrepti, eos fingamus, quam reuera fuerunt. Multo minus asseruerim, eos fallendi temporis gratia has figuras pinxisse: sed plane mihi persuadeo, eos sub hisce inuolucris sapientiae suae partem exhibuisse. Ergone autem statim inde colligendum, quod chemica arcana hisce symbolis texerint? cur non theologica? cur non moralia? cur non politica? Scilicet haec tanti non sunt, quanti arcana chemica aestimanda. At hic error est alchemistarum, magno studio

profli-

profligandus, qui tamen multorum animos occupauit, res ceteras faciles esse, & leuiori studio tractandas, alchemistica autem arcana digna demum, in quibus operam quis studiumque collocet. Scilicet! At quid opus erat, res morales & ciuiles occultare? Ego vero quaero, quid opus erat, doctrinam alchemisticam occultare? Deinde, cum res morales & ciuiles, simplici docendi genere propositae, facile euilescant, viri sapientes, ad hominum attentionem & industriam excitandam, variis subinde inuolucris, & quibusdam velut vehiculis, vsi sunt, vt veritas, ita suauior reddita, altius in animum descenderet. Hinc symbolorum, parabolarum, schematum, aenigmatum, apologorum, fabularumque, quas sequiori aetate, Romanenses vocarunt, frequentissimus apud veteres erat vsus, eundem plane in finem comparatus. Sed pergit MORHOFFIVS: *Quid in mensae Isiacae figuris sibi volunt leones lunati? facile interpretabitur, qui in chemicorum veterum aenigmatibus non plane hospes est. Quid significent serpentes cum capite accipitrino aliud, quam naturam fixam volatilem? Cui respondet istud chemicorum effatum: Bufo gradiens super terram, & aquila volans, est mysterium nostrum.* At negare nequit, quicunque haec consideraverit, hieroglyphica ista aliam quoque admittere interpretationem; cur ergo

necessario ad chemica haec trahenda? Deinde, cum chemici varia symbola conquirerent, facile potuerunt ex Aegyptiorum hieroglyphicis quaedam arripere, quibus disciplinam suam obscuriorem redderent. Hinc, quod vtrobique, apud chemicos & Aegyptios, aut eadem, aut similia symbola occurrant, mirandum non est; multo minus inde inferendum, Aegyptios sub hieroglyphicis suis occultasse chemica arcana. Qui vero in mythologia Graecorum chemica arcana quaerunt, quod praeter antea allegatos, VIGENERIVM facere in *commentario in Philostrati tabulas*, & PETRVM IOANNEM FABRVM in *pan-chemico suo*, idem MORHOFFIVS nos condocet, non certiori innituntur fundamento. Et testantur hoc diuersissimae virorum doctorum interpretationes, quae in omnium versantur manibus: quorum alii in mythologia vbique Mosen, alii Iosuam, alii doctrinam moralem, alii ciuilem, alii naturalem, alii aliud quid sibi inuenisse visi sunt. Ego eadem facilitate & metaphysicam & logicam hinc exsculperem, & quicquid saltem alicui in mentem venire posset, cui antiquitatis conciliare opinionem operae esset pretium.

§. XI. Apud Graecos extitisse quosdam, qui artis, si non alchemisticae, stricte sic dictae, certe chemicae notitia instructi

ſtructi fuerunt, non videtur prorſus negandum. Ipſum DEMOCRITVM huc referre non dubitant, qui antiquitatem artis huius aſſerunt. Ex cuius ſcriptis duo adhuc extare dicuntur: Δημοκρίτȣ βίβλος προφωνηθεῖσα λευκηπῷ; item, Δημοκρίτȣ φυσικὰ καὶ μυστικὰ, vterque, inquit OLAVS BORRICHIVS, (y) temporum iniuria & incuria librariorum oppido mutilus, & male ſibi cohaerens, neque plane reiiciendus tamen, quod in vno quandoque dicto adhuc ſaluo clavis totius magiſterii deliteſcat. Sed de hiſce & ſimilibus ſemper inquirendum reſtat, primo, qualis notitia chemica illis tribuatur, deinde, an vera ſint & genuina iſta ſcripta, num vero ſuppoſititia. Etenim, artem fundendi atque ſoluendi metalla veteribus Aegyptiis frequentatam, & ab illis ad Graecos aliasque gentes propagatam fuiſſe, negari nequit: ipſeque id fatetur HERMANNVS CONRINGIVS. (z) At vero hanc tanti eſſe, vt caput omnis ſapientiae veterum conſtituerit, nemo temere ſibi perſuaſerit. Chemiam vero, quam recentiores intelligunt, inprimis ſpecialem artem χρυσοποιητικὴν, Aegyptiis & Graecis ante Chriſtum natum cognitam fuiſſe; id enimvero eſt, quod luculentioribus, quam ha-

(y) *in conſpectu ſcriptorum chemicorum illuſtr. §. V. p. 5.* (z) *de hermet. medic. lib. I. cap. III. & lib. II. cap. IV.*

ctenus factum, comprobandum est argumentis. Democriti autem, quae laudantur, scripta χρυσοποιητικὰ suppositicia esse, & a recentioribus conficta, is, quem laudauimus, CONRINGIVS, rationibus tam validis demonstrauit, vt dubitem, an quicquam illis reponi queat. (a) Atque ex hisce probe obseruatis facile intelligitur, quid de illis sentiendum, qui & HIPPOCRATEM & ARISTOTELEM chemicis annumerare non dubitarunt, quod OTTO quidem TACHENIVS & ANT. GVNTHERVS BILLICHIVS fecerunt, quorum ille A. M DC LXVI. libellum edidit sub titulo: *Hippocrates chemicus*; hic vero in libro de *vanitate medicae chemicae* in eo est, vt probet, ex Aristotelis quoque scriptis cognosci posse operationum chemicarum principia, formas, artis obiectum, aliaque huc pertinentia. Extat quidem liber, qui alchemistis in pretio est, sub titulo: *de perfecto magisterio*, item *practica philosophici lapidis*, qui ARISTOTELIS CHEMICI nomen praeferunt, quos tamen neutiquam Aristoteli Stagiritae tribuendos esse, lubens agnoscit OLAVS BORRICHIVS, (b) cum auctor profiteatur ingenue, ab Arabibus philosophis, immo ab ipso Auicenna, se didicis-

(a) *l. c. lib. I. cap. III. p. 29.* add. tamen *Borrichius in Hermet. Aegypt. & Chemic. sap. cap. III. §. XV. p. 6.* (b) *l. c. §. XX. p. 14.*

diciſſe. Scriptorem tamen doctum & methodo perſpicuae inſiſtentem vocat BORRICHIVS, qui multum illi tribuit, & hoc eius effatum: *Fac pacem inter inimicos, aquam & ignem, & habebis magiſterium*, plurimum habere in receſſu, ſibi perſuadet. De Graecis autem ſcriptoribus, qui poſt Chriſtum natum de arte χυσοποιητικῆ commentati ſunt, & circa Conſtantini M. tempora, ſequentibusque ſeculis vixerunt, vt ZOSIMO PANOPOLITA, SYNESIO, OLYMPIODORO ALEXANDRINO, THEOPHRASTO IVNIORI, HIEROTHEO, ARCHELAO, HELIODORO, ceterisque, nihil nunc addo. In confeſſo enim eſt, eos alchemiſticam profeſſos eſſe: nec a vero abludit illorum ſententia, qui, in Aegypto quidem, ſed forte poſt Chriſtum natum demum, artem hanc excogitatam, & ita ad Graecos iſtos philoſophos propagatam fuiſſe, contendunt. Quo ipſo confirmatur & mea, quam antea propoſui, alchemiſtas hieroplyphica Aegyptiorum ad ſuum inſtitutum accommodaſſe: id quod eo facilius credere licet, ſi cogitemus, in Aegypto artis huius natales eſſe quaerendos. A Graecis hiſce ad Arabes ſtudium χυσοποιητικὸν translatum, nonnulli aſſerunt: forte ab ipſis Aegyptiis hoc acceperunt Arabes: certe tanto ſtudio excoluerunt, vt Graecos pariter ac Aegyptios ſuperarent. Ab Arabibus autem recentio-

res alchemistas & chemicos sua accepisse, notius est, quam vt pluribus euinci debeat. HERMANNVS CONRINGIVS auctor est, (c) ab Arabibus ad Chinenses quoque, hanc artem peruenisse. Hoc refellere MORHOFFIVS (d) annititur, producto ex MARTINII Atlante Sinico sequenti testimonio: *Scribunt de Yotan paruo lacu* (loco) *ad Pukiang, quod in eo Hi. angxius arti chemicae, vulgo alchemiam vocant, operam dederit, idque bis mille quingentis eoque amplius annis ante Christi nativitatem.* Et tum porro addit: *Quare habent etiam hic, vnde antiquissimos natales suae scientiae atque artis accersant chemicorum filii, potius, quam a fabuloso Mose, aut Maria eius sorore, ac Pythagoraeis, vti a suppositiis illis Graeculis decoctoribus factum, vidimus.* Non accuso fidem MARTINII: credo, eum retulisse, quae in annalibus Chinensium deprehenderat. Sed, num statim pro vero & indubitato accipiendum, quicquid Chinenses, mendacissimi homines, de gentis suae & artium suarum antiquitate comminiscuntur? Digni certe essemus iudicio vanissimae gentis, sibi duos, Europaeis vnum oculum tribuentis, si crederemus statim, quicquid narrare illis in mentem venerit. Quicquid vero huius sit, artis aut antiquitas aut nouitas apud cordatos rerum existimato-

(c) *med Hermet. lib. II. cap. XIV.* (d) *sect. X. p. 281.*

matores pretium eius nec augebit magnopere, nec imminuet Quare id tandem superest, vt disquiramus, an in tanto, chemiam, aut alchemiam potius profitentium, numero, extiterint, qui mutati in aurum ignobilioris metalli exempla posteritati reliquerint?

§. XII. ARNALDVS DE VILLANOVA, discipulus Gebri, Morieni, Auicennae, Eximaei, Algazelis, praeceptor autem Raymundi Lullii, floruit circa annum Christi M CCC. magnamque famam & celebritatem consecutus est inter chemicos. Laudatur passim ob ingenii praestantiam, licet ob errores, qui illi imputantur, theologicos, apud haeresium scriptores male audiat, vt vel in compendio videre licet apud NATALEM ALEXANDRVM (e). De eo IO. ANDREAE, haud incelebris iuris canonici interpres, testatur, eum in curia Romana praesentibus multis cardinalibus, aes in virgulas auri commutasse: mox discedentem permisisse, vt probationi subiicerentur. Subinde ipse huius rei iniicit mentionem, & speciatim in additionibus ad GVILIELMI DVRANTIS speculum iuris: (f) *Plus*, inquit, *nostris diebus habuimus magistrum Arnaldum de Villa Noua, in curia Romana summum medicum & theologum, de quo scripsi de obseruat. ieiun.*

Kk 5 con-

(e) *H. E. tom. VII. p. 102.* (f) *ad tit. de crimine falsi.*

consilium, qui & magnus alchemista, virgulas auri, quas faciebat, consentiebat omni probationi submitti. Idem deinceps alii saepius repetiuerunt, speciatim ALBERTVS BRVNVS, (g) qui, cum idem totidem verbis retulisset, addit de ARNALDO: *Et fecit in illa scientia librum vnum, qui mille homines depauperauit, aut quia non verum, aut quia non intelligitur.* Posterius videtur verosimilius, cum alchemistarum proprium sit, non velle intelligi. Glossator equidem iuris canonici (h) veritatem huius rei in dubium vocat, hunc in modum scribens: *Io. Andreae ad spec. cit. tit. in rubr. dicit, se vidisse virgulas veri auri hac arte factas, quod ego non credo.* At ad veritatem narrationis impugnandam hoc: *ego non credo*, nondum sufficit. Comprobat, vero suo calculo relationem IO. ANDREAE GVIDO quoque PANCIROLLVS, (i) vt nunc alios taceam. OLAVS BORRICHIVS, (k) dum huius rei meminit, addit, quod testimonio IO. ANDREAE nemo vnquam contradixerit. Quod tamen forte ita capiendum, quod nemo praegnantibus instructus hoc fecerit rationibus. Contradixisse enim

(g) *de augment. & diminut. monet. praesupp. prim. n. 13. 14.* (h) *ad tit. de crim. falsi.* (i) *de rebus memorabil. recens invent. tit VII.* (k) *in consp. scriptor. chemicor.* §. *XXII.*

enim quosdam, negari nequit, & exemplo glossatoris iuris canonici patet.

§. XIII. Arnaldi, vt diximus, discipulus fuit RAYMVNDVS LVLLIVS, vir doctissimus & celeberrimus, cuius vitam SYMPHORIANVS CAMPEGIVS, CAROLVS BOVILLVS in epistola ad RAYMVNDVM BOVCHERIVM, VINCENTIVS MVTIVS, aliique dederunt. Hic quod ignobiliora metalla in aurum commutauerit, variis historicorum traditum est monumentis. *Comperio*, inquit ROBERTVS CONSTANTINVS, *apud Anglos re quidem vera praestitisse, quod suis libris profitetur, & in arce Londinensi, iussu regis verum aurum confeciſſe: mihique genus vmmai ostensum est, quod adhuc vocant Nobile Raymundi, auri scilicet puri & obryzi, summaeque iudicaturae* Quod post CONRINGIVM, BORRICHIVM, aliosque, allegat GEORGIVS PASCHIVS, (1) qui & cum istis ex EDMVNDO DICKINSONIO docet, non vixisse LVLLIVM in coenobio Westmonasterienſi ingratum hospitem. Nam pluribus ab eius discessu annis, reserata, quam incoluerat, cellula, multum adhuc pulueris chrysopoei in cistula repertum, magno inuentoris architecti emolumento. His addunt proprium ipsius LVLLII testimonium, in *vlt. testamento*, asserentis: *conuerti vna vice in aurum ad L. millia pondo argenti viui, plumbi & stanni, Londini.*

Et

(1) *de inuent. nou. antiquis cap. VI p. 331.*

Et certe fama huius rei constantissima percrebuit, plurimisque Anglicorum, aliorumque historicorum, testimoniis comprobatur, quos inter & GABRIEL NAVDAEVS est, qui huius rei iniicit mentionem in eo libro, quo contra magiae suspicionem LVLLIVM quoque nostrum cum aliis defendit (m). IO. SELDENVS autem, auctoritatem GVILIELMI CAMBDENI secutus, existimat (n) ab hocce auro chemico profectum esse monetae genus, quod *rosas nobiles* vocare vulgo solent, quodue in Anglia ortum constat. In colloquiis mensalibus SELDENI, quae Anglica lingua (o) A. M DC LXXXIX. prodierunt, simile quid narratur de GEORGIO RIPLAEO, celebri itidem alchemista, cuius opera chemica A. M. DC. LXIX. iunctim edita sunt, epistola autem ad Eduardum IV. Angliae regem, a quodam IRENAEO PHILALETHA, eiusdem notis illustrata, Londini A. M. DC. LXXVIII. luci publicae exposita, & Germanice etiam Lipsiae A. M. DC. LXXXV. excusa est. Sed videtur ibi per errorem pro Lullio positus Riplaeus, cum Riplaeus centum annis Eduardo III. sit iunior, quippe qui teste FRISIO in *bibliotheca* sua, floruit A. M. CCCC XC. Eduardum III. autem ab A. M CCC XXV. ad A. CCC LXXVI. regni tenuisse

(m) *cap. XIV.* (n) *maris clausi lib. III. cap. XXV.* (o) *sub titulo: Table-Talk p. 22.*

nuisse habenas, constat. Sed ad LVLLIVM nostrum reuertimur, de quo magnis adhuc animorum motibus inter eruditos disputatur. Cumprimis namque huic relationi obstare videntur temporum rationes. Plerique enim historicorum tradunt, contigisse hoc sub Eduardo III. qui cum mortuo iam LVLLIO ad regnum peruenerit, nascitur hinc nonnullis argumentum totam hancce historiam in dubium vocandi. Sed OLAVS BORRICHIVS (p) probare conatur, contigisse hoc sub Eduardo I. rege. De hoc enim constat, quod, parente adhuc viuo, magnas in Syria res gesserit, & denuo regno potitus, sacram expeditionem molitus fuerit, cui ne sumtus deessent, LVLLIVS magnam istam ignobilioris metalli vim in aurum commutasse dicitur. Consentiunt porro, vti putat, temporum rationes. Namque eadem aetate vixerunt Carolus atque Rupertus, reges Neapolitani, Eduardi I. affines, ad quos varias epistolas scripsit RATMVNDVS. Et Eduardus quidem ex Sicilia reuersus benefice exceptus est a Carolo I. Siciliae rege, fratre Ludouici sancti. Huius Caroli filius Carolus II. patri succedit A. M CC LXXXII. Romaeque a Pontifice coronatur, A. M CC LXXXIX. liberatus tandem e carcere Arragonio per Eduardum I. In huius Caro-

(p) *in conspect. scriptorum chem. §. XXIV. p. 18.*

Caroli II. demortui locum surrogatur Robertus A. M CCC IX. sex annis ante mortem LVLLII. Is namque A. M CCC XV. octuagenarius circiter, dum religionem christianam Bugiae in Africa doceret, martyr lapidibus obrutus dicitur. Confirmat denique hoc BORRICHIVS testimonio THEODORI MVNDANI, quem sapientissimum philosophum vocat, in responsis ad EDMVNDVM DICKINSONIVM, ita differentis, *inculpatae fidei registris innotescit, quod patriota vester Riplaeus per multos annos successiue centies mille libras equitibus Rhodiensibus misit ad sustentandum bellum aduersus Turcas: & Raymundus Lullius Eduardo primo Angliae regi sex myriadas aureas in sacro bello terra sancta gesto expendendas ministrauit; quas ipse in aede S. Katharinae prope turrim Londinensem fecerat.* MORHOFFIVS autem, (q) licet de veritate huius rei non dubitet, nulla tamen BORRICHIVM adactum fuisse necessitate, existimat, vt contra vnanimem Anglicanorum historicorum consensum ad tempora Eduardi I. hoc reiiceret. Induxisse equidem hunc praecipue, vt hoc faceret, VINCENTIVM MVTIVM Hispanum, qui in libro, cui titulus: *Historia del regno de Malorca*, hoc praecipue vtatur argumento, ad χρυσοποιίας Lullianae famam eleuandam: sed, cum constet, in Anglica

(q) *de transmutat. metallorum sect. XII. p. 287.*

Anglica historia plane hospitem esse Mutium, verosimile etiam esse, & in Lulliana illum impegisse. Et si vel maxime admittatur, quod Mutius aliique asserunt, natum esse LVLLIVM A. M CC XXXV. potuisse tamen eum adhuc viuere sub Eduardo III. A. M. CCC XX VII. ad imperium Anglicanum euecto. Certe iuxta VVOLF. IVSTVM in *chron. med.* vixisse adhuc LVLLIVM A. M CCC XXXI. sedente ad clauum imperii in Germania Ludouico Bauaro. Immo ipsum LVLLIVM alicubi (r) de se narrare, se Mediolani A. M CCC XXXIII. cum sociis quibusdam suis lapidis philosophici opus absoluisse. Idem eum confirmare circa finem testamenti sui nouissimi: *factum habemus testamentum per virtutem Dei in insula Angliae terrae, in ecclesia S. Catharinae apud Londinenses, versus partem Castelli, ante Cameram, regnante Eduardo per Dei gratiam, in cuius manibus ponimus in custodia per voluntatem Dei praesens testamentum anno post incarnationem, millesimo trecentesimo trigesimo secundo, cum omnibus suis voluminibus.* Quae huic sententiae porro obiici possent, idem vir doctissimus ibidem erudite diluit. Et conuenit cum hac sententia testimonium illorum, historicorum, qui, sub Eduardo III. aureum istud monetae genus, quod *rosas nobiles* vocant, primum in Anglia cusum, per-

(r) *lib de Mercuriis cap. XL.*

perhibent. Ex his nunc duos tantum in medium producere animus est, THOMAM VVALSINGHAMVM & HENRICVM KNYGHTONVM, quorum ille ad A. M CCC XLIII. scribit: *Hoc anno ad turrim Londonianam iussit rex florenos fieri, scilicet denarium, obulum & quadrantem.* Hic autem ad A. M CCC XLIV. ita: *Eodem tempore nobile, & obulus & Ferthinus de auro coeperunt florere in regno.* Hoc autem de isto, quod significauimus, aureae monetae genere intelligendum esse, nemo, rei monetariae Anglicanae peritus, dubitauerit. Et hactenus quidem omnia satis sibi constant, nullamque video praegnantem satis rationem, cur in dubium, quod a tot tantisque asseritur auctoribus, vocari debeat. Certe, quae HERMANNVS CONRINGIVS obiicit, (s) non adeo magni momenti sunt. Mirum namque illi videtur, si haec ita se haberent, a multis doctissimis viris illius aeui constanter χρυσοποιήσεως veritatem impugnatam, immo ab ipso pontifice Ioanne XXII. aurum alchemisticum falsi damnatum. Quasi vero viri doctissimi quotidie non apertissimas reiiciant & impugnent veritates: quasi nec impostores & pseudo-alchemistae ea aetate existere potuerint, quorum fraudes obtentui illi sumserint, qui pontificem ad eiusmodi legem sanciendam induxerunt. Quod vero nonnulli plane

(s) *lib. II. cap. XV.*

plane in dubium vocare volunt, an vnquam in Angliam venerit LVLLIVS, id eiusmodi est, vt temerarium censeri queat, cum eos, qui hoc faciunt, optimorum historicorum sollicitare fidem oporteat. Facit autem hoc LVCAS VVADDINGVS, vt obseruat HENRICVS VVARTHONVS (t), qui & ipse non procul abesse ab hac sententia videtur. *Apud concilii (*Viennensis*) Patres*, inquit, *omnimodo sategit, vt studia linguarum vbique extruerentur, vt ex omnibus ordinibus militaribus vnicus conflaretur, vt sacrum bellum indiceretur, vt Averrois scripta damnarentur. Nihil tamen obtinuit. A concilio reiectus ad reges christianos se contulit, quos ad sacrum bellum sollicitare non desiit. Aulas itaque regias Galliae, & Hispaniarum circumuagatus, tandem in Angliam deuenit, ibique artem chemicam exercuit. Parum tamen fidei meretur, quod Ioannes Imperialis, ipse etiam dubitabundus, ex aliorum auctoritate refert, pilas quasdam aeneas huius operа in auri substantiam versas, ad haec vsque tempora in regis Britanni atrio asseruari. Verum iter istud Anglicanum, multis argumentis in medium prolatis, dubium reddit Lucas Waddingus annal. minor. t. III. ann. 1315. n. 3.* Haec vero argumenta VVADDINGI an tanti sint, vt receptam hactenus euertere sententiam

(t) *in append. ad Wilhelmi Caue histor. literar. scriptor. eccles. p. 5.*

queant, videant, quibus datum est, ex instituto hanc in rem inquirere.

§. XIV. Rem susciperem infiniti laboris, si omnia, quae passim circumferuntur, hic conuectare mutati in aurum vilioris metalli exempla, aut de iis, qui hanc calluisse artem dicuntur, verba facere vellem. Praetermittere tamen nullo modo possum luculentum admodum IO. FRANCISCI PICI, comitis Mirandulani, testimonium, quod in compendio exhibere, demtis, quae ad nostrum institutum non faciunt, operae fuerit pretium. *Obiit*, inquit (u) *ante paucos annos Nicolaus Mirandulanus, sacerdos ex Minorum ordine, senex, nobis notus, integer vitae &c. Is & Bononiae argentum, & carpi aurum fecit ex aere, multorum testimonio. Fecit & Hierosolymis, vbi multos annos versatus est: vbi ipsum aurum feciſſe, viuit adhuc, qui conteſtatur. Praeterea fuit inter mortales aetate nostra Apollinaris, ex ordine Praedicatorum sacerdos, boni nominis: qui non dubitauit amicis affirmare, se modos plus viginti constanter tenere, quibus verum aurum conficeret. Romae publico in templo scriptum erat:* AVRI EX PLVMBO COLLECTORI. *Fuit ante paucos annos Venetiis, qui publico multorum nobilium virorum testimonio, ex re paruula, quae nec piperis grani quantitatem excederet, magnum satis auri pondus ex vero argento fecerit. Fuit in ditione mea,*

(u) *lib. III. de auro, cap. II.*

mea, qui tribus testimoniis ex re tritici granum aequante, argenti viui vnciam vertit in probatissimum argentum: atque vnum ex his, qui viderunt, cum alloquerer, audiui dicentem: se diligenter conuersionem inspexisse, colorisque cinerei fuisse medicinam. Viuit adhuc vir mihi notus & amicus, qui plus sexagies suis manibus ex rebus metallicis aurum & argentum confecit, me praesente, nec vna tantum via, sed multis id est consecutus. Vidi in confectione aquae metallicae, in qua nec argentum, nec aurum, nec sulphur, nec hydrargyrus poneretur, ex insperato simul aurum & argentum generatum. Vidi, aquarum vi ex aere argentum extrahi. Est alius, qui, quoties libuerit, suis ex furnulis promitur aurum, quod publicis officinis pro purissimo vendit: cui satis amplae sunt opes &c. Viuit adhuc, cui non desunt opes, cuius manibus vidi aes conuersum in argentum & aurum succo quodam plantae. Quidam inops, monstrata sibi in somnis aqua, aurum fecit: qui item ferrum bis in aurum vertit, ex auripigmento ter quaterue fecit. Vidi alium, qui duobus modis in verum argentum mistum auro vertit argentum viuum. Vidi ex cinnabari, adiectis quibusdam rebus, excluso auro & argento, simul aurum fieri, simul argentum. Vidi, ex mera cinnabari, olei cuiusdam simplicis admistione, aurum & argentum, sed parui momenti, fieri. Vidi saepenumero hydrargyron, qui erat ex plumbo & aere detractus, in argentum & aurum transformari. Superioribus diebus & oculis

vidi, & manibus contrectaui aurum, quod me inspectante factum fuit ex argento, trium circiter horarum spatio, nulla prius facta argenti mutatione, nec in hydrargyrum, nec in aquam. Vidi non semel vnius decima parte horae, disiici metallum, sic vt sulphur alta petierit, hydrargyros ima. Vidi prioris metalli forma prorsus abolita subito nouam, id est, auream, solertia artis imponi. Ego seorsim aurum, seorsim argentum, diuersis granulis effici vno eodemque pharmaco: itemque simul & aurum & argentum eodem tempore eodemque pharmaco, saepenumero sum intuitus &c. Memorabile etiam inprimis est exemplum EDVARDI KELLAEI, quem Pragae coram imperatore Rudolpho tinxisse, praeter alios refert PETRVS GASSENDVS, (x) & cuius historiam pluribus exponit, MORHOFFIVS, (y) qui & alia, non prorsus contemnenda, documenta, idem comprobantia, congesit. Ego saltem testimonium IO. BAPTISTAE HELMONTII addo, qui de seipso fatetur: (z) *Cogor credere, lapidem aurificum & argentificum esse, quia distinctis vicibus manu mea vnius grani pulueris supra aliquot mille grana mercurii viui feruentis proiectionem feci, adstanteque multorum coetu omnium eum titillante admiratione, negotium in igne succesit, prout libri promittunt. Ille vir peregrinus vnius vesperi ami-*

(x) *de metallis, cap. VII.* (y) *de metallorum transmutatione, sect. XIII. p. 296.*

(z) *in tract. de arbor. vit. opp. p. 793.*

amicus, qui mihi aurum dedit (dabat autem forte semigranum, cum quo vncias IX. atque ¾. mercurii transmutaui) habebat saltem & ad minimum eius tantundem, quantum ad ducenta millena librarum auri commutanda sat forent. Idem & alibi HELMONTIVS confirmat, (a) de quo nonnulli referunt, eum arcani huius fuisse conscium, id quod tamen neutiquam affirmauerim. Per liquorem enim aut puluerem χρυσοποιητικὸν, ab aliis acceptum, transmutare metalla possunt, qui tamen ipsi lapidem philosophicum conficere nequeunt. Sed & de filio eius, FRANCISCO MERCVRIO HELMONTIO, idem fama vulgavit: quo iure, definire non audeo. Plura autem, & maxime quidem singularia, qui desiderat exempla, is legat obseruationem PHILIPPI IACOBI SACHSII A LEVVENHEIMB, de auro chemico, (b) qui diligenter recentiora huius rei documenta collegit.

§. XV. Non equidem nescio, quid ad haec & similia regeri & possit, & vulgo soleat. Testes namque istos & suspectos esse, nec tantae auctoritatis, vt illorum standum sit effatis. Nonnullos amore artis istius & affectu forte abreptos narrare, quae nunquam contigerint. Aut si

(a) *de vit. aetern. circa f. p. 743. it. in tract. dem. thesis §. 58. seqq. p. 671.* (b) *in ephemerid. naturae curios. dec. 1. num. 1. p. 59.*

vel maxime in dubium non sit vocanda illorum fides, vix tamen quenquam tam cautum esse atque circumspectum, cui non impostores inter alchemistas callidissimi offundere caliginem queant. Infinita & subtilissima esse fraudum genera, quibus isti homines vtantur, vnde nec illis, qui vel iuramento asserunt, se vidisse ignobilius metallum in aurum transmutatum, hactenus fidem esse adhibendam, vt non dubitandum sit, annon in errorem inducti sint ab eiusmodi impostore. At haec & reliqua eiusdem commatis, si locum inuenirent argumenta, quid quaeso esset, quod non dubium reddi posset atque incertum? Esto, quosdam, immo multos inter alchemistas aut falli aut fallere, num ideo omnes fallunt, decipiunturue? Quis credat, tot homines, tantis terrarum spatiis, tot seculorum interuallis remotos, velut conspiratione inita, in hoc consentire potuisse, vt orbem genusque humanum fallerent? Non assero, hoc fieri nullo modo posse; difficulter admodum fieri posse, contendo, adeoque istum consensum non, nisi gravissimis praegnantibusque rationibus, posse eludi. Quae vero demum sunt istae rationes, quae alchemiae osores ad sollicitandam tot hominum fidem inducunt? Leuissimae vtique, & nullius profecto ponderis. Natura forte repugnat? At hoc non-

nondum probatum est, vt supra obseruauimus. Multi decepti sunt. Quid tum? Ergone omnes? Vel puerum, tam inepte rationes subducentem, non ferret plagosus orbilio. Ipsi non viderunt. Egregie. Forte nec Americam vidisti: cur ergo non dubitas, nouum huncce existere in rerum natura mundum? Namque, qui multa de America narrant, consentire itidem inter se ad alios decipiendos potuerunt. Aut si ipsis non credis alchemistis, cur illis fidem denegas, qui alchemistarum experimenta suis vsurparunt oculis? Decipi & illi, inquis, potuerunt. Quid si omnem adhibuerunt circumspectionem, ne deciperentur? Hoc non constat, ais. Sed sunt, qui hoc asserunt, & tum de se, tum de aliis affirmant. His non credo, inquis. Cur non credis? quia nolo iis credere: huc enim tandem omnia redeunt: vt pertinacia & quiduis potius, quam iustis rationibus suffulta dubitatio sit, si quis omnia sine discrimine alchemistarum experimenta, historicasque, quae de iis circumferuntur, narrationes repudiet.

§. XVI. Sed nefas esset, silentio hic praeterire fratres rosaecrucianos, qui tantum alchemisticae quoque artis professione, in orbe excitarunt strepitum. Etenim inter societatis huius, siue verae, siue fictae, arcana, metallorum quoque relatam fuisse

transmutationem, constat. Immo, si PETRO GASSENDO credimus, omnia huc collimarunt. *Visae mihi sunt*, inquit, (c) *magia, cabala, alchemia, confraternitas roseа, vna prorsus & eadem siue res siue chimaera esse, ac proinde, qui sint vere magi, cabalistae, alchemistae, fratres cruciroſei, ad vnum scopum omnes tendere, eandemque artem omnes profiteri.* MICHAEL MAIERVS, rosaecrucianorum haud incelebris hyperaspistes, RADTICHIVS BROTOFFERVS, eiusdem societatis impugnator, idem aperte confitentur: ille quidem in libro, cui titulus: *silentium post clamores:* hic autem in *elucidario maiori super reformationem totius mundi F. R. C.* vt nunc de scriptis illis, in quibus ex instituto hoc agi videtur: vt CHRISTIANI ROSENCREVZII *nuptiis chemicis*; item RODOPHILI STAVROPHORI *raptu philosophico:* de IOSEPHI STELLATI *pegaso firmamenti*, siue *introductione in veterem sapientiam, quae olim ab Aegyptiis & Persis magia, hodie vero a venerabili fraternitate roseae crucis pansophia recte vocatur &c.* & similibus, nihil dicam. Adderem & AGNOSTI *thesaurum fidei, speculum constantiae, clypeum veritatis*, & reliqua, nisi iam pridem eruditis innotuisset, auctorem, quisquis etiam sit, defensorem se & laudatorem huius societatis simulando, talia promere, quae & magnam

(c) *in exam. Fludd. philos. art. I. tom. III. op. p. 249.*

gnam illi conflare inuidiam, & omnium exponere ludibrio apta erant. Equidem, quod ad totam istam societatem attinet, suboluit itidem iam pridem viris doctis, & probatum quoque haud contemnendis argumentis est a GOTHOFREDO ARNOLDO, (d) lepidorum ingeniorum commentum, ad impios seculi nostri mores exagitandos comparatum esse, quicquid de ista societate fratrum roseae crucis traditur. Nec displicet mihi eiusdem coniectura, theologum celeberrimum IO. VALENTINVM ANDREAE totam hancce scenam instruxisse. Praeterquam enim, quod ex variis haud vanis documentis hoc colligitur, nec a moribus & ingenio, nec ab instituto istius viri, satyrico sale perfricandi hominum ineptias, nec a stylo denique, hoc alienum esse videtur. Quicquid huius sit, enata hinc est medicis quibusdam occasio, serio alchemisticum studium cum pansophia chemica defendendi & commendandi, quos inter eminet ille, quem supra iam laudauimus, MICHAEL MAIERVS, in libro: *silentium post clamores:* cuius & extant leges societatis istius, editae sub titulo: *themis aurea, hoc est, de legibus fraternitatis R. C. tractatus, qua earum cum rei veritate conuenientia, vtilitas publica & priuata, nec non*

(d) *in histor. haeres. part. II. lib. XVII. cap. XVIII.*

causa necessaria, euoluuntur & demonstrantur &c. Eandem quoque causam ROBERTVS FLVDDIVS seu A FLVCTIBVS, IO. HEIDON, IVLIVS SPERBERVS, HENRICVS NOLLIVS, scriptis quam plurimis, & quidem serio egerunt, chemicam vel alchemisticam philosophiam aperte profitentes, frementibus quidem & indignantibus reliquis medicis, praesertim ANDREA LIBAVIO, qui, ipse licet chemicae artis haud imperitus, ad rosaecrucianos debellandos omnia sua consilia, omnesque ingenii contulit vires.

§. XVII. An autem inter istos rosaecrucianos quisquam arcani istius ita particeps fuerit, vt transmutare in aurum ignobiliora metalla potuerit, mihi non constat. Namque de societatis istius defensoribus medicis nemo dubitauerit, eos chemicae artis peritos fuisse: quibus tamen neutiquam statim δύναμις χρυσοποιητικὴ tribui potest. Interim de THEOPHRASTO PARACELSO, magno chemicae artis restauratore, & parente velut rosaecrucianorum, a nonnullis hocce diserte asseritur. Colligunt hoc ex eo, quod alicubi IO. OPORINVS, Paracelsi discipulus, scripsit: *Pecuniae erat prodigus profusor, & ea ita saepe destitutus, vt ne obolum quidem ei superesse scirem. Crastino statim mane rursum crumenam bene instructam se habere ostendebat. Vt non raro admiratus fuerim, vnde ei fuisset suppeditata.* HERMAN-

MANNVS CONRINGIVS, (e) paulo iniquior in Paracelsum, quam tantum decebat virum, varia ad hocce testimonium regerit. *Verum hoc quidem*, inquit, *nihil ad hanc rem. Nec enim potuisset latere Oporino famulo, adeoque omnium, quae gesfit Paracelsus, conscio, arte aliquid auri confectum fuisse.* At nihil hac responsione vir doctissimus proficit. Solent enim studio artem suam occultare alchemistae: vnde & de Paracelso admodum est verosimile, eum absente famulo istam commutationem suscepisse, ne arcanum homini innotescceret, quem forte non dignum iudicauit, cum quo istud communicaretur, certe, qui, se omni fauore & beneuolentia domini sui indignissimum fuisse, pessima quaeque de Paracelso comminiscendo, satis demonstrauit. Pergit CONRINGIVS: *Vnde (dixeris) ergo statim illa copia signati auri potuit venire, nisi ex commutatione non signati? At innotuisset & hoc Oporino. Illi ergo nihil huius innotuit, eoque admiratus est.* Nullam rursus video causam, cur Oporino hoc innotescere debuerit. Infirmo itaque haec innituntur talo. Tandem itaque concludit: *Alio igitur modo illi accepta fuit nummorum copia: largitore scilicet illo, quem coluit homo magus.* Hoc vero demum erat, nodum secare, non soluere. Non equidem ignoro, superstitionem artesque magicas

(e) *de Hermet med. lib. II. cap. XIII. p. 386.*

gicas illi vulgo exprobrari. Mirifice enim in se concitauit primo medicorum, deinde & theologorum animos, cum fastum & ignorantiam, in scholis passim regnantem, acerbius, quam illi ferre poterant, perstringeret. Hinc non satis erat, errores, quales habet PARACELSVS, & quidem grauissimos, refellere, sed &, quicquid congeri conuitiorum potuit, prompte a plerisque arreptum, & ad alios propagatum est. Non desunt equidem, quae veri speciem habent, quibus videtur sententia illorum confirmari posse, qui eiusmodi quid ei obiiciunt. Namque in fine libri, de philosophia occulta, scribit: *Medicus non omnia, quae posse & scire debet, in academiis discere & cognoscere potest; sed opus est, vt interdum vetulos, Zigeunos, nigromanticos, agyrtas, seniores rusticos & similes adeat, atque ab iis discat. Nam tales de talibus rebus plus habent cognitionis, quam omnes academiae.* Alibi autem, scilicet *in praefat. paraguani & thesauro alchemist.* refert: *se literas a Galeno ex inferno accepisse, & disputasse cum Auicenna in vestibulo inferni de suo auro potabili, tinctura physicorum, quinta essentia, lapide philosophorum mithridatio, theriaca &c.* Sed, qui vltimum hocce effatum κατὰ ῥηθὸν & proprie intelligendum autumauerit, eum oppido in Paracelsum iniquum esse oportet. Scilicet Galenus in inferno literas scribere, potuit,

potuit, quas mitteret Paracelso: aut Auicennam, in inferno licet constitutum, incedere cupiditas, de lapide philosophorum & theriaca disputandi cum Paracelso. Ad prius autem quod attinet testimonium, hoc de magia naturali intelligendum esse, forte contendent discipuli atque defensores Paracelsi. Sed addunt tamen hisce testimonia quaedam, qui Paracelsum magiae accusant. Cumprimis ad GEORGIVM VETTERVM prouocant, cuius etiam nititur auctoritate THOMAS ERASTVS, (f) qui, *nuper*, inquit, *mihi vir pius, doctus, industrius D. Georgius Vetterus, Paracelsi amans & studiosus, asseuerantissime affirmauit, eum magiae nefandae perquam studiosum fuisse, & cacodaemonem haud aliter, quam socium, nominare consueuisse. Nihil magis, inquiebat, metui, quotiens ebrius erat, (erat autem frequenter) quam vt agmina diabolorum accerseret, quod saepenumero facere voluit (specimen artis suae editurus) sed a me rogatus omisit. Cum sobrium monerem, vt missa isthaec faceret, quod Deum grauiter offenderet, quodque ad extremum triste stipendium solitus esset persoluere famulis suis diabolus, respondebat, se non multo post receptui cantaturum esse.* Et alibi idem ERASTIS, (g) *contuli*, inquit, *cum eo semel & iterum de rebus variis, etiam theologicis vel religionis. Sed ex omnibus eius sermonibus pietatis nihil intelligere*

(f) *part. II. p. 2.* (g) *part. I. p. 239.*

gere licuit, magiae vero, quam ille nescio quam fingebat, plurimum. Suffragatur CONRADVS GESNERVS in epistola ad 10. CRATONEM: *Theophrastus impius homo & magus fuit, & cum daemonibus communicauit: Oporinus Basileae olim discipulus Theophrasti & familiaris fuit: is mira de eius cum daemonio commercio praedicat.* Et in libello de chirurgiae scriptoribus: *Paracelsus daemone vtebatur familiari, vt ex eius discipulo audiui.* His ANDREAE LIBAVII, aliorumque testimonia accedunt, quae diligenter & magno studio collegit HERMANNVS CONRINGIVS (h). Sed cuncta tandem redeunt ad fidem VETTERI atque OPORINI, quorum si quis stare hic renuat auctoritate, cetera, quae contra Paracelsum, vt magiae convincatur, proferuntur, lubrico inniti fundamento, nemo inficias temere iuerit. Certe praeter rosaecrucianos, praesertim FLORENTINVM de VALENTIA, qui in *rosa*, vt vocat, *florescente*, Paracelsi causam contra Menagium egit, alios quoque viros doctos Paracelsum a magiae suspicione liberasse, constat (i). Nostra equidem hoc parum refert; cum, si vel maxime concedatur, commercia cum daemone Paracelso inter-

(h) *de Hermet. medic. lib. II. cap. IV. p. 215. 216. & cap. XII. p. 374. seqq.* (i) add. *Olaus Borrichius in Hermetis, Aegyptiorum, & chemicorum sapientia &c. cap. VIII. §. VI.*

intercesisse, nondum tamen sequatur, daemonem tantam vim auri ei suppeditasse. Immo cum plerique, qui magiae accusantur, in summa constituti sint paupertate, dubitant omnino nonnulli, an cultores suos locupletare, extraordinaria quidem ratione, daemon possit? Accedit pro peritia χρυσοποιητικῆ Paracelsi, testimonium cuiusdam FRANCISCI, cuius epistolam germanice geographiae suae MICHAEL NEANDER, latine a se versam libro secundo *defensionis alchemiae transmutatoriae contra Guibertum*, ANDREAS LIBAVIVS inseruit. Hic enim diserte adfirmauit, visam sibi Basileae a Paracelso prope libram integram argenti viui in aurum transmutatam (k). Quid ad hoc CONRINGIVS? si verum hoc esset, non potuisse hoc praeterire Oporinum, putat, iam tum Paracelso familiarissimum. Fieri etiam non potuisse, vt illa fama non emanauerit tum in vulgus Basileae. Non peruenisse autem vel ad Oporini vel ad aliorum eius vrbis aures, argumento esse, quod neque ille, neque Basileensium alius quisquam id memorauerit, etiam cum versantur in Paracelsi laudibus. An Franciscus ille, ita pergit, decipere Neandrum voluit? Fac, noluisse. Forte ipse deceptus est. Vel vero aliunde Paracelso fuit pulvis aliquis χρυσοποιὸς, perinde, vt aliis non-

(k) *add. Borrichius l. c. cap. VIII. §. 8.*

nonnullis parandi pulueris illius ignarisſimis contigiſſe, notisſimum eſt, forſan genio aliquo nonnunquam illum ſuppeditante: ex cuius liberalitate, vereor, vt etiam ſubinde nactus ſit Paracelſus crumenas illas nummorum plenas (l). At hae coniecturae eiusmodi ſunt, vt, ſi illis locus concedatur, iam nullum prorſus transmutati in aurum ignobilioris metalli exemplum proferri poſſit. Ecquod enim ita comparatum exemplum eſſe queat, vt non in promptu exceptio ſit, veritatem eius in dubium vocare volentibus: vnius aut quorundam non ſufficere teſtimonium: decipi illos potuiſſe, modo iis conſtitutum non ſit, alios decipere: infernalem genium pulverem χευσοποιὸν ſuppeditare potuiſſe, & quae alia ſunt eiusdem commatis. Faceſſat ergo procul omnis fides hiſtorica: nihil enim tam certum erit, quod teſtimoniis aliorum innititur, quod non labefactari hac ratione atque infringi queat.

§. XVIII. IO. ARNDIVM, theologum non minus vitae ſanctitate puritateque morum, quam eruditione venerandum, itidem nonnulli & inter roſaecrucianos, & lapidis philoſophici poſſeſſores referunt. Vtrumque, num recte fiat, dubitari poſſet. Ego certe, cur roſaecrucianis annumerandus ſit, non video; cum nullibi ſuum

(l) *de Herm. med. lib. II. cap. XIII. p. 386.*

ſuum inter eos nomen profiteatur, nec, quantum mihi conſtat, aperte inſtituta & conſilia huius, ſiue verae, ſiue fictae, ſocietatis laudet. Notam interim illi totam hancce ſcenam fuiſſe, nec prorſus diſplicuiſſe, ex amicitia ſingulari, quae optimo viro cum IO. VALENTINO ANDREAE interceſſit, nonnulli colligunt. Quod autem magni iſtius arcani particeps fuerit, ex ſumma eius erga pauperes quosuis beneficentia probari ſolet: cui opes eius non fuiſſe pares contendunt, niſi aliunde, per artem ſcilicet transmutatoriam, tantas ſibi comparaſſet diuitias. At hi forte non intelligunt, quantum vectigal ſit parſimonia: & quam facile per vitam frugalem tantae hominibus probis ſuppetant opes, vt nunquam, quod pauperibus impertiant, deſit. Quicquid huius ſit, hoc certum, chemicae philoſophiae magnum pretium ſtatuiſſe ARNDIVM, & ipſius quoque Paracelſi ſubinde cum laude meminiſſe. Patet etiam ex libello eius de *myſterio incarnationis*, eum lapidem philoſophorum non prorſus reiicere, ſed ex eo exemplum creationis, regenerationis & ſanctificationis petere, hominisque cumprimis mutationem, quam experiuntur, qui regenerantur, cum metallorum comparare transmutatione. (m)

(m) *p. m. 34. 35.*

Hinc & a nonnullis (n) vna cum 10. GERHARDO, haud incelebri itidem theologo, inter alchemisticae artis fautores numeratur. Quod illis quidem neutiquam fraudi esse potest: praesertim, cum constet, vtrumque sibi a commixtione chemicorum principiorum cum dogmatibus theologicis, diligenter temperasse.

§. XIX. Sed ad certiora reuertimur exempla: quae, vt nulla fere, ita nec nostra defuerunt aetate. Berolinensis istius alchemistae iam in ipso dissertationis exordio meminimus. Huius fama vt per omnium volitauit ora, ita, quae ex viris fide dignis de eo resciscere potuimus, huc redeunt. Natus is est Magdeburgi, patre rei tormentariae operante. Ab eo, honestissimo viro, Dn. Zornio, pharmacopolae Berolinensi, traditus est, vt pharmacopoeam ibi addisceret artem. Sed alchemiae amorem cum statim prae se tulisset, libros huc spectantes, Theophrasti scilicet Paracelsi, Basilii Valentini, aliorumque sibi comparauit, & paulo diligentius euoluere coepit. Accidit autem, vt quidam ex Heluetia oriundus aliquando ad eum accederet, qui, cum in sermonem de rebus alchemisticis incidissent, inter alia

(n) *auctor metallurg. Boehm. praefat. add. Arnoldi hist. eccles. & haeres. part. II. lib. XVII. cap. XVIII. §. XXII.*

alia dixit, se libellum manuscriptum olim de ea arte habuisse, quem, si modo reperire posset, ei esset oblaturus. Stetit promissis: multumque noster ex eo profeciſſe sibi visus est, vt domicilio sibi conducto, tentare artis experimenta, magno cum labore, nec tamen irrito successu, inceperit. In spem haud vanam erectus, conferre se in academiam aut Hallensem, aut Wittebergensem, ad medicae artis peritiam sibi comparandam, secum constituit: priusquam autem discederet, a pristino domino suo ad conuiuium inuitatus, praeclarum artis edidit specimen. Aderant quoque clarissimi doctissimique viri, Dominus Winkler & Dominus Borst, vterque verbi diuini minister, ille Magdeburgi, hic Malchouiae. Cumque, vt fieri solet, variis de rebus sermones sererentur, de alchemia quoque disputari coeptum. Noster audacter: se reipsa dissentientes conviecturum. Paratur statim, quicquid operi peragendo necessarium. Vnus quatuordecim nummos, quorum singuli duorum grossorum valorem aequabant, offert. His ita, vt decet, emollitis & praeparatis, massam coloris fusci, sed pellucidam tamen, produxit, vitro antimonii non absimilem, eaque in metallum ignobilius immissa, in optimum istud transmutauit aurum. De pondere metalli nihil detra-

ctum, aurum quoque omnes explorationis gradus subiit. Particulam huius massae puero, suo quondam in eodem pharmacopolio socio, dono dedit, addito monito, vt in argentum viuum eam coniiceret, si alia praesto non essent metalla: id quod cum puer iste fecisset, res ex voto succesit. Hoc optimorum virorum testimoniis comprobatum, tam certum est, vt rationem eiurasse censeatur merito, qui illud in dubium vocare sustinuerit. Sed non minus memorabile est alterum artis huius experimentum, quod non ita pridem quidam alchemista Francofurti ad Moenum edidit. Producam autem, ne vllus dubitandi locus hac de re superfit, verba testis oculati, honestissimi viri, Nicolai Saltzvvedelii, cuius hac de re ad me ab amico quodam missae sunt litterae: *Elapso proxime abhinc trimestri nonnemo arti pharmacopoeae addictus me conuenit, operas suas tum in vicinia cuidam locaturus. Attulit is secum tincturam fusci coloris, ac odorem fere ad modum olei cornu cerui de se spirantem, quam sibi abs cognato quodam suo, artem medicam olim professo, instante mortis suae termino, in vltimum amoris pignus datam esse asseruit: addens, illius beneficio, mediantibus quatuor guttis, drachmam plumbi in optimum transmutari posse aurum. Et ne id frustra dixisse videretur, semel atque iterum eius rei nobis experimentum dedit,*

dedit, plumbo, cui guttas primum superfudit, modico igni liquefacto. Nec detrectans, quo minus & ipse ego in culina mea periculum, quod & felicissime succesit, facerem. Ad bonitatem vero & praestantiam auri producti quod attinet, deprehensum fuit, marcam ad 23. carath & 7½. gran. auri puri assurgere, ceu ex annexa videre est schedula. Francof. ad Moen. 12. Maii, 1702. Quid desiderari amplius ad certitudinem artis transmutatoriae demonstrandam possit, ego equidem non video. Certe illis, qui nihil nisi veritatem quaerunt, haec facile sufficiunt, ceteris nec haec, nec aliae quantumuis euidentissimae probationes.

§. XX. Priusquam autem hinc discedam, facere non possum, quin nummorum quoque ex auro chemico confectorum iniiciam mentionem. Videntur enim hi ad dissentientes conuincendos vel maxime apti esse. Collegit autem iampridem eiusmodi nummos, & in argumentum artis χρυσοποιητικῆς adduxit, SAMVEL REYHERVS, iureconsultus haud incelebris, in peculiari dissertatione iuridico-philosophica, de *nummis quibusdam ex chemico metallo factis.* Et primo quidem is exhibet (o) nummum aureum, in cuius priori disco imago Suecorum regis Gustaui Adolphi conspicitur, addita inscriptione: GVSTAV. ADOLPH. D. G. SVEC. GOTH. VAND. R. Alterum

(o) *cap. I. p. 3.*

rum latus, insignia Suecica continens, characteres sulph. & mercurii, nec non annum Christi 1634. sistit, cum epigraphe: PR. FINL. DVX ETHON. ET CAREL. DOM. INGERM. Cumque subinde in gazophylaciis curiosorum eiusmodi nummi iisdem signis sulphuris & mercurii insigniti, reperiantur, rem omnem ex MONCONNYSII itinerario (p) REYHERVS ita ediſſerit: Mercatorem quendam Lubecensem, satis negligenter negotia sua curantem, tingendi plumbum & illud in purum transmutandi aurum calluisse artem, eumque Suecorum regi Lubecam permeanti, centum librarum illius auri massam obtulisse, ex quo auro rex postea aureos, siue ducatos, cudi curauerit, quodque sciret, aurum illud ex plumbi transmutatione ortum esse, ad latera insignium regiorum, quae in altera aurei facie apparent, sulphuris & mercurii characteres positos esse. Exhibet deinceps alios eiusdem commatis nummos, & inter reliquos binionem, A. M DC XXXIII. quo corpus Gustaui Adolphi ex Germania transuectum est in Sueciam, signatum. In huius facie primaria conspicitur cranium humanum * ossibus impositum, ex quo non tantum serpentes aliqui prorepunt, sed etiam vitis cum palmitibus vuiferis excrescit, cum tali epigraphe: EZECH.

AM

(p) *part. II. p. 381. * figur. II.*

AM XXXVII. CAP. VND AM VI. NOVEMB. 1632. Extimum limbum haec ornat inscriptio: GVSTAVVS ADOLPHVS D. G. SVEC. GOTH. VAND. RE. Altera facies prae se fert insignia regum Sueciae, cum anno 1633. appositis duobus signis sulphuris & mercurii; omnia haec ambiunt sequentia verba: DV MENSCHENKIND MEINST. AVCH. DAS DIESE BEINE VVID. LEBEN VVERD. In extimo limbo hae visuntur literae: PR. FINL. DVX ETHON. ET CAREL. DOM. INGE. Qua quidem imagine, pariter ac scripturae oraculo non ad arcana chemica, sed ad resurrectionem mortuorum respici, satis, puto, res ipsa docet. Et REYHERVS quidem, plures adhuc eiusdem commatis, ex argento quoque, vt putat, chemico confectos, adducit, quibus recensendis nunc non immorabimur. Facere autem non possum, * quin hisce addam nummum aureum GOTHANVM, iisdem characteribus chemicis notatum, quem vir suo merito celeberrimus, VVILHELMVS ERNESTVS TENZELIVS exhibuit. (q) Primaria scilicet facies sistit effigiem Friderici I. ducis Gothani, Romano vestimenti genere ornatam, cum inscriptione: FRIDERICVS D. G. DVX. SAX. I. C. ET MONT. Altera facies pentagonum radiis vestitum, diuinitatis symbolum sistit, ad cuius dextram sol, ad sini-

* *figur. III.* (q) *in colloqu. mensir. a. 1692. p. 47.*

ſtram luna conſpicitur, radiis in triangulum coëuntibus, & in aquilam coronam ſuperbientem & igni inſidentem, ore quoque circulum tenentem, in cuius medio tres iſti characteres chemicorum, ſal, ſulphur & mercurius conſpiciuntur, deſcendentibus. Addita eſt inſcriptio: A NVMINE LVMEN SVSCIPIO ET REDDO. * Nec abludit hinc nummus Ferdinando III. exhibitus, cuius hic itidem dabimus ectypum, ne eius prolixius immorari deſcriptioni neceſſe ſit.

§. XXI. At enim vero, ſi non praegnantioribus argumentis cauſam ſuam defendere poſſent alchemiae cultores, quam chemicis iſtis nummis, inferiores haud dubio ex hoc certamine diſcederent. Enimvero, quod ad iſtos attinet, qui Guſtaui Adolphi praeferunt imaginem, & ex auro chemico confecti dicuntur, iam pridem vir ob ſingularia in artem medicam pariter ac elegantiores literas merita illuſtris, GEORGIVS VVOLFFGANGVS VVEDELIVS, magni momenti dubia oppoſuit, (r) quibus ſolvendis nemo hactenus par fuit. Primo namque, ipſum Guſtauum Adolphum, hoſce nummos non curaſſe confici, ex temporum colligit rationibus. Nullum, nam-

* *fig. IV.* (r) *in analectis ad ephemer. natur. curioſ. annum quartum & quintum. p. 297. 298.*

namque nummum eius indolis reperiri, qui ante annum trigesimum quartum decimi septimi seculi cusus sit: cum tamen vel pueris notum sit, Gustauum Adolphum, mense Nouembri A. M DC XXXII. in praelio Luzensi occubuisse. Et nihilosecius MONCONNYSIVS asserit, quod ipse rex hosce nummos ex auro chemico confici curauerit. Ego hoc addo, quod nunquam Lubecam rex Suecorum adierit, vt illis, qui rerum ab eo gestarum haud plane rudes sunt, constat. Vnde tota ista narratio suspecta redditur. Addit autem vir summus, VVEDELIVS, si quis vel maxime hoc mitius interpretari vellet, obstare tamen, quod iam duodecim annis ante, quam nummi hi aurei excusi sint, moneta argentea ciuitatis Erfurtensis inueniatur, cui eadem signa mercurii & sulphuris impressa sint. * In cuius rei fidem grossum argenteum exhibet, cuius effigiem aeri incisam ex eodem repetere, operae duximus pretium. Originem vero & causam horum characterum in istis nummis clare exponit. Fuerunt circa annum M DC XXII. Erfordiae duo monetarii, Ziegler & Weismantel, quorum posterior, vt grossos a se cusos ab alterius grosis discerneret, sulphuris atque mercurii signa, ceu notas & symbola probitatis, suis nummis indidit:

* *figur. V.*

vnde & duorum generum visuntur grossi Erffordienses, absque sulphuris & mercurii signis, & cum iisdem, quorum illi minoris bonitatis esse dicuntur. Sed ante hosce monetarios Erffordiae alium fuisse, qui hisce symbolis vteretur, quibusdam obseruatum, & virorum fide dignorum testimoniis comprobatum est (s). Post mortem itaque Gustaui Adolphi, cum Suecici exercitus duces officinam monetariam Sedino Erffurtum transtulissent, monetario illi, cui moris erat, sulphuris & mercurii characteribus monetam suam insignire, munus monetam Suecicam cudendi imposuerunt. Hinc itaque patet, cur post mortem Gustaui Adolphi demum nummi, eius imaginem praeferentes, & chemicis, vt videtur, signis notati, cusi sint. Regerit quidem ad hoc nonnulla SAMVEL REYHERVS, sed quae rem plane non conficiunt. Primo namque, quod iam ante annum trigesimum quartum proxime elapsi seculi eiusmodi nummi cusi sint, probat exemplo istius nummi, quem figura secunda hic sistit. Quod tamen parum ad rem facit. Namque & istum nummum post mortem Gustaui Adolphi cusum constat, & ipse fatetur: adeoque ex eo probari nequit, ipsum regem iussisse, vt eiusmodi nummi cuderentur,

(s) *Tenzelius in colloqu. menstr. a. 1692. p. 468.*

rentur, quod tamen asserverat MONCONNYSIVS. Alterum, quod mouetur, dubium, regem Sueciae per vrbem Lubecam non transiisse, maioris momenti esse, dicit, sed „ad hoc tamen ita respondet: Verum nihil „aliud inde colligitur, quam pharmacopo„lam Ratisbonensem errorem admisisse in „nomine vrbis, vbi tale aurum regi obla„tum est. Erffurti autem, inquit, vbi sae„pe laudatus, nunquam vero satis laudan„dus rex sine dubio fuit, tale quid accidis„se, ex fama apud Thuringos adhuc du„rante colligi potest, dum ferunt, regi a „ciue quodam, chrysopoeiae perito, tres „aureorum myriades (300000) fuisse obla„tas. Hanc famam haud parum confir„mare videntur nummi Erffordienses, ob „signa sulphuris & mercurii notabiles, pau„lo ante descripti. Esto autem, insignem istum errorem, quo cum Erffordia Lubeca petmutatur, narrationem istam non reddere suspectam: ex fama quod petitur argumentum, nimis infirmum est, vt aliquis adduci queat ad fidem huic rei adhibendam. Praeterea, cum iamdiu ante regis in Thuringiam aduentum, Erffordiae nummi istis characteribus notati cusi sint, virorumque fide dignorum testimonio certo constet, monetariorum haec fuisse symbola, quicquid dicitur de Erffordiensi isto alchemista, sua sponte corruit. Maximope-

re

re mihi placet ingenuus VVEDELII candor, qui aperte agnoscit, hac ratione causae alchemistarum consuli non posse: & quid de toto hocce negotio sentiendum sit, in compendio edisserit in eruditissimo de nummis caduceatis programmate, (t) hunc in modum: *Quod vero in recentioribus quoque nummis mercurii signum reperitur, vt in quibusdam aureis diui Gustaui Adolphi, Suecorum regis glorioſissimi, etiam post mortem eiusdem cusis in inclutae etiam ciuitatis Erffordiae aliquibus, maioris & minoris moduli, cum signo sulphuris vna, in argenteis binariis Ludouici Gustaui, comitis ab Hohenlohe, non putandum est aeque, notari cusos ex auro vel argento, arte chemica ex metallo ignobiliori transmutatis, quod sane, si nullum daretur aliud artis argumentum, debilius fuerit, pro lubitu monetarii, vel alias effictis talibus notis.* Iam, quod attinet ad nummum Friderici I. ducis Gothani, vti & illum, qui Ferdinando III. imperatori oblatus dicitur, illi quidem nemini negotium temere faceſſent. In laudem enim & commendationem artis chemicae eos cusos esse, res ipsa docet: ex auro chemico confectos esse, id vero luculentioribus demonstrandum erit argumentis.

§. XXII. Rem susciperem infiniti laboris, si reliqua, de quibus disputari solet, artis

(t) *exercitat. medico philolog. dec. VI. exercit. V. p. 31.*

artis χρυσοποιητικῆς colligere exempla aut documenta vellem. Et cui etiam bono? cum, si vel myriades exemplorum & experimentorum proferrentur, ad ea omnia eludenda, antagonistis alchemiae illud: *non credo*, sufficiat. Sed istis quidem hominibus vt libertatem non credendi neutiquam ereptam cupio, ita ab illis etiam libertatem credendi, fieri posse metallorum transmutationem, mihi concessum iri, existimo, saltem tamdiu, donec euidenter fuerit probatum, nullo modo talem transmutationem fieri posse. Ad exempla enim quod attinet, luculenter, puto, ex dictis constare, nec admittenda omnia esse, nec omnia prorsus reiicienda. Esto itaque, dari homines artis χρυσοποιητικῆς peritos: num illi in republica tolerandi sunt? Hoc enim vero est, quod nobis discutiendum restat. Hic ergo, vt ordine procedamus, triplex ego alchemistarum genus constituo. Primo sunt nonnulli artis istius reuera periti, vt, quod pollicentur, ipso opere praestare queant. Saltem tales dari, nunc supponere liceat. Deinde alii se tales fingunt, cumque impostores sint turpissimi, id saltem agunt, vt splendidis promissis suis opulentiores pecunia emungant. Denique nonnulli artis ipsius equidem sunt expertes, nec vnquam in animum, alios decipere, inducunt,

ducunt, nimio tamen artem inueniendi eoque inconsulto desiderio abrepti, bona sua opesque dilapidant, seque tandem in summam paupertatem, extremasque praecipitant angustias. De singulis hisce alchemistarum generibus ordine dicendum est.

§. XXIII. Ad veros itaque adeptos quod attinet, isti quidem cum mortalium videantur sapientissimi, fouendos potius & in maximo pretio habendos, tantum abest, vt eiiciendi sint atque puniendi, facile quis existimare possit. Accedit, quod, non nisi hominibus probis, Deumque timentibus, & a seculi labe procul remotis, arcani huius notitiam obuenire, contendant. Et haec ipsa ratio est, cur, qui hanc notitiam adepti sunt, tantopere eam occultent, serioque haec arcana reuelare prohibeant, immo iureiurando eos, qui his mysteriis initiantur, ne ea prodant, obstringant: ne improbi scilicet & indigni homines ad tanti thesauri perveniant possessionem. Hinc in rosario philosophorum legitur: *Qui reuelat secretum artis, maledicetur & morietur apoplexia.* Et RAYMVNDVS LVLLIVS in practica: *sub anathematis poena prohiberis, ne alicui discooperias, nam a Deo maledictus est, qui discooperit. Et ideo philosophi sic celauerunt, & Deo dante celabunt futuris temporibus.* Et in testamento novissimo:

visimo: *Ne thesaurum indignis dispergas, ne Deus iudicium a te deposcat.* Itemque in theoria: *iuro tibi supra animam meam, quod, si ea reueles, damnatus es: nam a Deo procedit, & ei debetur.* Denique in aquario sapientum dicitur: *si cuiquam indigno aut impio arcanum reuelaueris, aeternae salutis facies iacturam.* Haec & similia passim apud eos occurrunt: eaque consilio non vituperando ab illis proferri, prorsus existimo. Etenim quis dubitet, viros probos, tum reliquis rebus omnibus, tum maxime diuitiis, rectius vsuros, quam improbos? Cur itaque, si ad artem istam auriferam aditus mortalibus conceditur, non illis potius pateret, quam his? Id vero nunc in quaestionem non venit, & dubio etiam apud prudentes rerum existimatores caret. De eo potius disquiritur, an probi homines tantum artis huius capaces sint, vt illis singulari numinis beneficio innotescat, a qua ceteros sua arceat improbitas, nisi forte a perito magistro eam edoceantur. Etenim nonnullos ex rosaecrucianis ita sentire video, ad naturae arcana non aliam patere viam, quam per christianismum: immo hanc arcanorum naturae peritiam velut consequens aliquod esse istius perfectionis, ad quam per christianam religionem homines sint perducendi. Qua de re quid

quid sentiendum sit, vt paucis exponamus, operae fuerit pretium.

§. XXIV. Ego ita arbitror, cum singularis & accurata rerum naturalium notitia consequens aliquod fuerit imaginis diuinae, qua ante lapsum homo gauisus est, eandem etiam notitiam vna cum reliquis perfectionibus homini prorsus restitutum iri, cum plene ista imago diuina & in summo perfectionis gradu restaurabitur. Ista vero restauratio licet statim initium capiat, cum homo serio resipiscit, & regeneratur, & deinceps per sanctificationem magis magisque indies perficiatur, complementum tamen & vltimam velut perfectionis lineam post resurrectionem demum a mortuis accedere, & scriptura sacra & ipsa quoque experientia quotidiana testatur. Etenim cum inter consequentia etiam & fructus imaginis diuinae fuerit immortalitas, ecquis est, qui asserere ausit, eousque restaurari in hac vita diuinam imaginem, vt immortalis etiam homo euadat? Quod enim nuper Anglus quidam peculiari scripto hoc asserere conatus est, id, nescio, an eo forte consilio ab eo factum sit, vt ostenderet, nihil tam absonum esse, quod non conquisitis vtcunque rationibus possit defendi. Cum rerum naturalium notitia eodem modo comparatum est, quam nobis restitutum in hac vita

vita iri, nullibi in scriptura sacra legitur. Producunt equidem quidam pseudo-alchemistae scripturae quaedam oracula (u) pro lapide suo philosophico: vti illud Pauli, *II. Cor. IV. 7. habemus thesaurum in testaceis vasculis*; immo quoties vel aquae, vel lachrymarum, vel lapidis scriptura sacra meminit, toties lapidis philosophici iniici mentionem sibi persuadent. Fuit etiam quidam ex illorum numero tanta audacia, vt palam assereret, Deum lapidem philosophicum omnibus veris christianis promittere: (x) rogatusque, vt hoc probaret, ad *Apocalyps. II. 17.* prouocauit, reiectaque versione Lutheri: *Ich vvil ihm geben ein gutes Gezeugnüs*: vertendum contendit: *ich vvil ihm geben einen Weisen Stein*: cum tamen in graeco textu legatur: δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, quae, si ad verbum reddenda sint, non per *lapidem sapientem*, sed *lapidem album* vertenda erunt. Sed hi quidem, qui talia proferunt, indignatione an commiseratione digniores sint, incertum est. Adeoque procul eos facessere iubemus, luculentiora ab illis expectantes, qui nobis persuadere cupiunt, arcanorum naturalium notitiam singularem, partem christianismi constituere.

(u) *vid. Gregorius Michaelis ad Gaffarelli curios. inaud. p. 2.* (x) *vid. Pilherri elector. lib. III. cap. XXI.*

§. XXV. Nec tamen ideo nulla piorum, in rerum quoque naturalium cognitione, prae impiis est praerogatiua. Immo vero maxima est, vt in reliquis omnibus. Primo namque cum praeiudicatae opiniones, quae animos mortalium occupant, maximum in veritatis inuestigatione adferant impedimentum, & vero his locum non temere concedant, quibus voluntatem purgare atque corrigere cura est, cum in voluntate fons & scaturigo sit omnium praeiudiciorum: manifestum est, longe ad veritatem vbique inuestigandam aptiores esse probos, quam improbos. Deinde, cum negari nequeat, Deum hominibus quaedam, ad rerum etiam naturalium notitiam spectantia, reuelare, huius certe reuelationis iterum longe capaciores probi sunt, quam improbi. Licet enim vero Deus per facultatum naturalium singularem directionem quaedam hominibus reuelet: adeoque & harum ad hoc certa requiratur dispositio: interim tamen, si vtrobique, in probo & improbo homine, eadem dispositio inueniatur, ex singulari beneuolentia, qua probos prae improbis Deus complectitur, haud difficulter colligas, eum illis potius, quam his, pro instrumentis vsurum, per quae magna hominum generi beneficia conferat. Denique & vsus, vt omnium artium, omnisque eruditionis, ita

& ar-

& artis χρυσοποιητικῆς tantum in probis recte se habet: cum improbi contra non possint non inuentis omnibus, quantumuis praeclaris, ad suam aliorumque perniciem abuti. Namque dum & ad suam & ad aliorum voluptates, ambitionem, auaritiam, aliasque cupiditates prauas omnia referunt, non possunt non hoc ipso sibi aliisque nocere pessime, tantum abest, vt verum aliquod inde percipiant commodum. In ceteris autem par hactenus proborum improborumque est conditio, vt, si res aliqua ingenii viribus, industria, atque labore inuestigari debeat, illi ad eam pateat aditus, qui, quam maxime ingenio valet, industriamque & laborem, adhibita debita circumspectione, ad certum studiorum genus adfert. Et eo modo etiam in alchemia sese res habet, vt, in quantum humani ingenii naturalibus facultatibus ars ista inueniri potest, in tantum vtriusque sortis hominibus concessum sit, arcana haec introspicere. Ex quibus omnibus tandem concludo, alchemistas, & quidem adeptos, probos posse esse viros: neutiquam tamen omnem alchemistam seu adeptum necessario esse probum. Adeoque cum per se alchemia crimen non inuolvat, nemo ideo puniri potest, quod sit alchemista: sicut contra nemo, quod ad alias actiones attinet, ideo, quod alche-

mista est, insons scelerumque purus declarandus est.

§. XXVI. Rursus tamen nec promiscue illis permittendum, vt, si fieri posset, tantam auri copiam, quantam libuerit, conficiant. Ego quidem ita censeo, admissa artis transmutatoriae veritate, non tamen statim tantam inde auri vbertatem sperandam, quantam aut optant, aut sibi pollicentur homines. Dabimus tamen aliquid opinioni vulgi, & ponamus, posse hac arte tantum auri produci, quantum quisque optauerit, prudentis tamen principis est, hoc neutiquam permittere. Etenim per nimiam copiam, pretium auri tandem euilesceret, qua ex re magna omnium rerum, praecipue commerciorum, oritura esset conturbatio. Causa namque pretii non minus in raritate, quam vtilitate rei quaerenda: immo si in rationem, cur pretium rerum intendatur, inquiramus, raritatem vtramque facere paginam, deprehendemus. Nec aliter per stultas hominum esse potest cupiditates. Namque non tantum iis rebus, quae voluptati inseruiunt, vitaeque commodis, pretium statuunt, sed ambitio quoque, quae mortales vexat, efficit, vt ea praecipue aestiment, quae cum paucis se communia habituros credunt. Hinc passim, quae vulgata sunt & vbiuis obuia, sordere videas

videas hominibus, laudem ex eo captantibus, quod posſideant, quae apud alios fruſtra quaeſiueris. Stultitia ergo hominum vera cauſa eſt, cur cara ſint, quae rara ſunt, nec vbiuis obuia. Vnde & inter arcana mercaturae a nonullis refertur, vltro procurare earum rerum raritatem, quarum intendi cupiunt pretium. De Aegyptiis STRABO: (y) *non permittunt, biblum multis in locis naſci: quo fit, vt penuriae pretium imponentes, prouentum quidem augeant, communem vero vſum atque commoditatem violent.* De Batauis SAMVEL PVFENDORFIVS (z) refert, eos in multis partibus Indiae arbores caryophillorum & nucum myriſticarum extirpare, prohibendae aromatum iſtorum nimiae copiae. Egregie prorſus SEXTVS EMPIRICVS: (a) *Quae rara ſunt, habentur in pretio: at ea, inter quae viuimus, & ea, quae ſunt in medio poſita, nequaquam. Nam ſi aquam raro reperiri imaginamur, quanto ea pretioſior nobis videatur omnibus, quae in pretio habemus?* De auro autem, quae idem porro ſubiungit, prorſus mentem noſtram exprimunt: *aut ſi imaginemur, multum auri temere humi iacere proiectum, perinde atque lapides, cui adeo pretioſum ipſum fore exiſtimabimus, aut a quo tam ſollicite incluſum & aſſeruatum iri?*

(y) *lib. XVII.* (z) *de I. N. & G. lib. V. cap. I. §. VI.* (a) *Pyrrhon. hypotyp. lib. I. cap. XIV.*

Atque posset hoc facile tandem in aliis rebus tolerari, quarum siue augeatur, siue imminuatur pretium, perinde esse videtur. At ad aurum quod attinet, cum materiam pretii eminentis constituit, cui vsui non aeque omnes res inseruire possunt, eo minus certe permittendum, vt de eius pretio nimium detrahatur. Etenim qui, temere, & sine praegnanti causa, metalla nobiliora, vt pretium eminens sustinerent, adhibita fuisse, arbitrantur, falluntur turpiter. Res ipsa docet, materiam pretii eminentis ita debere esse comparatam, vt primo ob raritatem in se pretium contineat, vt alias res pretio gaudentes cum ea permutare homines non detrectent. Vti enim nemo fideiussorem accipit, (b) nisi virum spectatae fidei & locupletem, in vili autem homine parum cautionis putatur: ita pro re vbique occurrente, puta pro manipulo terrae aut arenae, nemo rem suam erat permutaturus, quae ipsi magno labore aut industria fuerat comparata. Constare itaque nummum oportebat ex materia, quae & ad custodiam esset habilis, & in quam propter raritatem, multarum rerum pretia velut constipari possent. Accedit, quod compacta quoque & solida, ne vsu & contrectatione facile deteratur, & in

(b) *vid. Pufend. de I. N. & G. lib. V. cap. I. §. XII.*

& in minutas particulas comminui idonea, vt varias pretii mensuras subire possit, esse debeat materia pretii eminentis. Quae omnia & reliqua, quae commerciorum vsus requirit, cum iunctim nulla temere in alia re, quam in metallis istis nobilioribus, auro & argento, reperiantur, quivis sua sponte intelligit, non tantum prudenter egisse, qui eminens iis imposuerunt pretium, sed necesse quoque esse, vt hoc pretium eminens iis conseruetur, adeoque operam dandam, ne per nimiam copiam metalla ista euilescant, suoque adeo priventur valore. Simul etiam ex dictis patet, maximopere falli, qui maiorem felicitatem in ciuilibus, & aurea plane secula, sibi ex magna auri abundantia pollicentur. Immo confusio commerciorum, & pauperies inde metuenda foret, quam vlla speranda felicitas. Recte THOMAS CAMPANELLA pronunciat, (c) *melius fuisse, diuitias noui mundi non fuisse inuentas, mundum enim nouum perdidisse veterem, mentibus hominum auaritiam inferendo, & mutuum amorem inter homines extinguendo, propter auri amorem, quod produxerit magnam inaequalitatem inter homines, reddens alios nimis diuites, vnde insolentia, vel alios pauperes, vnde auaritia & latrocinia.* Idem namque de multiplicata per chrysopoeiam auri copia dici potest. Est vero hoc mortalium

(c) *de monarch. Hispan. cap. XVI.*

talium vitium, quod vbique se prodit, vt causam miseriae, qua circumsepti sunt, in omnibus rebus aliis potius, quam in se ipsis, quaerant, cum nullibi tamen eas, quam in se ipsis, inuenire possint. Qui paucis contentus est, qui caduca haec & cito transitura spernere didicit, Deoque fide vera adhaeret, aut pauper non est, aut paupertatis molestiam non sentit. Contra si quis suas domare non didicit cupiditates, illi nec Croesi sufficient opes; nec felicem se reputabit, licet vel solo attactu omnia mutare in aurum posset. Exempla vero etiam docent, feliciores fuisse respublicas auro & argento destitutas, quam in quibus maxima omnis generis diuitiarum fuit copia. Inter Lycurgi leges, quibus rempublicam Spartanam instruxit, hae quoque fuere: (d) *Emi singula non pecunia, sed compensatione mercium, ius sit: auri argentique vsum velut omnium scelerum materiam sustulit.* Spartana autem republica, quid felicius fuit, quamdiu Lycurgi stetit legibus?

§. XXVII. Non potest vllum hac in re cuiquam superesse dubium, nisi forte quorundam iuris canonici & ciuilis interpretum auctoritas aliquod moueat, qui, an omnino alchemia licita sit? disputant. Plerique tamen, quod licita sit, pronunciant.

(d) *vid. Iustinus, lib. III. cap. II.*

ciant. Praecipuus, quem omnes fere sequuntur, inter eos est OLDRADVS DE PONTE Laudensis, qui anno M CCC XX. floruit, & ad quaestionem: an alchemista peccet, vel an alchemia sit ars prohibita? rationes in vtramque partem affert. (e) Et videtur, inquit, quod sic, & quod ars alchemiae sit prohibita: (1.) quia dicit *textus 26 q. 1. 6. episcopi*, & quod quisque credit, posse fieri aliquam creaturam, aut in melius, mutari, aut transferri in aliam speciem, aut in aliam similitudinem, nisi, ab ipso creatore, infidelis est & pagano, deterior. (2.) Praeterea isti alchemistae, sunt multa discentes, & ad veritatem, scientiae nunquam peruenientes, *25. q. 5. nec mirum*; & sic dant occasionem multis, deceptionibus, (3.) Nec est scientia, quae, ducat ad pietatem, vt consueuit dici de, astrologia, *arg. 37. dist. si quis & no. iun. extr. de sortileg. c. qui.* Non enim posset fieri sine auri decoctione, quae videtur a iure, prohibita, *C. de auri pub. persecut. l. 1. lib. X.* Hisce rationibus tamen, quae certe pueriles sunt, & vix dignae, vt a quoquam recenseantur, nondum se induci passus est OLDRADVS, vt alchemistas prorsus e republica proscriberet. In contrarium, inquit, videtur (1.) quod isti, qui e stanno, vel plumbo, vel alio vili metallo producunt

(e) *consil. XXXIV. de sortileg. n. 1.*

„ducunt aurum vel argentum, (dum ta-
„men hoc non faciunt per artem magicam
„vel aliam legibus odiosam, vt dicit *lex c.*
„*de thes. l. 1. lib. X.*) non sunt reprehenden-
„di, sed potius laudandi. (2.) isti sunt,
„metallarii, qui labore proprio sibi & rei-
„publicae commoda comparant, *C. de me-*
„*tall. l. 1. lib. XI.* & iura propter publicam
„vtilitatem, quae ex eorum officio videtur
„resultare, fauent eis. Nam possunt inui-
„to domino ingredi fundum alienum ad
„metallum inquirendum. *C. de metallariis l. 2.*
„*& l. quosdam & ibi no.* quod alias non liceret
„*l. 3 §. 1. ff. de acqu. rer. dom.* (3.) Nec ipsi dicunt,
„vnam speciem mutari in alteram (vt eis
„imponitur) quia hoc non est possibile: sed
„dicunt, quod ex vna specie metalli (scil.
„stanno) potest altera species metalli (scil.
„aurum) produci. (4.) Nec hoc est incon-
„veniens. Nam & videmus, quod quan-
„doque ex re mortua producitur viua: vt
„videmus in vermibus, ex quibus produci-
„tur sericum, & aliis pluribus. Et ex her-
„ba producitur vitrum: multo magis ex
„metallis, in quibus est maior conuenien-
„tia & similitudo. (5.) Nam (vt ipsi tra-
„dunt & habetur in libro *de proprietatibus*
„*rerum in C. de alchemia*) omnia metalla
„procedunt ex eodem principio, scilicet
„ex sulphure & argento viuo: sed ex vir-
„tute elementorum quaedam habent ma-
„iorem

iorem influentiam in vno loco, quam in alio, in vna minera sit stannum, in alia argentum, in alia aurum, & sic de aliis. (6.) Cum ergo ars imitetur naturam, *vt ff. de adopt. l. si adoptio*, non videntur isti alchemistae peccare, si per virtutem istam, quae est in herbis vel lapidibus, vel elementis, volunt de stanno facere argentum. (7.) Nam cum sint quasi ex eodem principio & similia, in habentibus symbolum facilior est transitus. *Inst. quib. mod. toll. oblig. §. 1.* multae enim sunt virtutes insitae herbis & lapidibus *16. q. fin. c. fin.* insunt enim (vt dicit B. Augustinus) rebus corporeis per omnia elementa quaedam occultae seminariae rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & causalis, prorumpunt in species debitas suis modis & finibus *26. q. 5. nec mirum circa fin.* si ergo ipsi hoc attribuant Deo, non videntur peccare.

§. XXVIII. Prolixius haec ex OLDRADO ideo referre voluimus, quod ceteri, qui eum insecuti sunt, iureconsulti, non iisdem modo rationibus, sed verbis etiam, causam eam disceptauerint. Secutus autem eum praecipue est NICOLAVS SICVLVS, (f) qui vulgo PANORMITANVS vocari solet, eo, quod Panormi in Sicilia archiepiscopus fuit, quiue circa initium seculi

(f) *super cap. extrav. 2. de sortileg.*

culi decimi quinti floruit: itemque IO. ANDREAE, haud incelebris itidem seculi decimi quarti iure-consultus, qui, cum iisdem & argumentis & verbis & allegatis, quibus OLDRADVS, quaestionem hanc decidisset, (g) de ARNOLDO VILLANOVANO ea subiicit, quae nos supra retulimus. Nec a recepta & communi sententia abit ANDREAS DE ISERNIA, qui feudorum summus interpres vulgo audit. *Quaeritur secundo*, inquit, (h) *quid de alchemia? adde, vtrum liceat facere alchemiam? dic secundum Oldradum in consiliis suis: quod sic: dummodo non fiat per artem magicam, vel per aliam artem legibus odiosam.* BALDVS DE VBALDIS, Perusinus, qui itidem seculo decimo quarto floruit, ANDREAE DE ISERNIA sententiam suo itidem calculo approbat: (i) *Andr. de Isern. quaerit hic, de his, qui faciunt alchemiam, & dicit, quod, si impenditur tantum pro tanto, & tale pro tali, sine aliqua falsificatione formae vel materiae, non punitur alchemista: quia est ars perspicaci ingenio inuenta, & tanquam a philosopho.* Vbi cumprimis notatu digna est ratio, quod alchemia sit *ars perspicaci ingenio inuenta & tanquam a philosopho.* Quam, vti & reliqua antecessorum, more istis hominibus vsitato, repe-

(g) *in addit. ad Guilielmi Durantis spec. iur. ad tit. de crimine falsi.* (h) *ad tit. feud. quae sunt regalia.* (i) *ad tit. feud. quae sunt regalia, num. 5.*

repetit FABIANVS DE MONTE S. SAVINI, (k) cuius tamen hoc non prorsus contemnendum monitum extat, quo istam disceptationem finit: *Ex his patet, omnes, qui chemiam damnant, per aurum alchemicum intelligere aurum sophisticum, siue falsum, nec credere, naturaliter ignobiliora metalla in verum aurum & argentum mutari posse. Alii contra experientia conuicti chemiam non tantum absoluunt, sed insuper etiam laudibus extollunt.* Et patet tum ex hoc, tum ex reliquis iure-consultorum, quae partim adduximus, partim porro adducemus, effatis, multos olim extitisse, qui, experientia conuicti, non dubitauerint, posse per artem alchemisticam verum aurum produci. DE ALBERICO DE ROSATE, qui itidem seculo decimo quarto vixit, & celeberrimis iure-consultis annumeratur, non est, vt quicquam dicamus. Licet enim prolixe hanc de alchemia quaestionem tractet, (l) nihil tamen agit aliud, quam vt bona fide exscribat Oldradum. ALBERTVS BRVNVS, Astensis Hispanus, inter alia scripsit librum de *augmento & diminutione monetarum*, in quo, reliquorum insistens vestigiis, eandem quaestionem pertractauit. (m) Repetit etiam ibi IO. ANDREAE, DE ARNOLDO VILLANOVANO testimonium, vt iam supra

(k) *de empt. & vend. q. 5 n. 8* (l) *in dictionar. v. alchemia.* (m) *praesupp. I. vum. 13. 14.*

pra indicauimus, & tandem sequentia subiicit: *Et cum haberem quendam socium in legibus, multum insudantem in illa arte, volui videre vnum mirabile experimentum ad effectum, vt plura scirem. Nam habuimus nobiscum vnum antiquum alchemistam, pauperrimum tamen. Et me praesente ille meus collega reduci fecit vnam vnciam argenti pretiosissimi ad instar auri in pondere, fusione, cum malleatione saluo colore, quia non erat croceus, sed mutatus ad instar quasi plumbei coloris. Et ille collega meus habebat modum dandi colorem ei croceum. Et illa materia patiebatur & sustinebat aliqua experimenta, sed non extremum experimentum, & admixta cum tantundem auri pretiosi, si videbatur aurum viginti characterum (caractarum) & plus & minus: secundum quod illa materia erat melius disposita. Et quidam magnus Praelatus, & multi antiqui alchemistae mirati fuerunt de illo experimento, & vnus antiquus alchemista, putans se diuitem, putabat reducere illam materiam ad veram speciem auri: & non potuit. Putauitque ipsam artem illusoriam, maxime, ex quo tot viri in quadraginta aut quinquaginta annis non viderant tam nobile experimentum quod nihilominus erat sophisticum, ita vt aliud experimentum videre noluerim.* Sed vna hirundo non facit ver. Adeoque si vnum experimentum male cedat, non statim omnia aut reiicienda sunt, aut in dubium vocanda. Quanquam hoc ipsum, quod auctor ipse

refert

refert, eiusmodi sit, vt facile demonstret, non prorsus vanam esse istam, quam alchemistae profitentur, artem. De GVIDONE PAPA, iureconsulto Gallo, qui seculo decimo quinto floruit, IO. DE PLATEA, Bononiensi, aliisque videatur SAMVEL REYHERVS, (n) qui & eos, quos hactenus nominauimus, ex theatri chemici volumine primo attulit.

§. XXIX. Et isti quidem, quos hactenus recensuimus, iure-consulti omnes vnanimi consensu statuunt, haud illicitam esse artem alchemisticam, licet ratiuncula ista, quod nefas sit, species rerum permutare, quae tamen nullius est momenti, nec tam prolixam disquisitionem promerebatur, illis aliquid facessiuerit negotii. ANGELVS tamen CLAVASIVS, qui summam Angelicam scripsit, Argentinae A. M D XIII. editam, contrariam tuetur sententiam, rationibus tam frigidis, vt cordatioribus grauedinem moueant atque tussim. Recensitis namque argumentis, quibus pro alchemia iure-consulti vti solent, & quae ex dictis constant, quaeue satis quoque ieiuna sunt, hac de re ita pronunciat. (o) Sed his non obstantibus, credo, quod sit, illicita, tum (1.) quia nullus inuenitur, qui habeat veram huiusmodi artem, li-

(n) *de nummis ex chemico metallo factis, cap. XIII. vsque ad XXIII.* (o) *v. alchemia.*

cet dicatur de multis, sed falsum expe-„
rientia; tum quia videmus, quod com-„
muniter ipsam facientes multa consu-„
mant, & a communiter accidentibus est„
standum. (2.) Vnde de ipsis dicitur II.„
Tim. III. semper addiscentes & nunquam„
ad veritatis scientiam peruenientes: expe-„
rientias multas faciunt, & nunquam ad„
perfectum attingunt, tempus vitamque„
consumunt; nec id, quod operantur, ha-„
bet veritatem cum auro vel argento, sed„
solum apparentiam, ideo simpliciter sunt„
condemnandi alchemistae. (3.) Ex hoc„
euidenter probatur, quia nemo in publi-„
co eam vult facere, vt appareat, quod„
male agant, quia odiunt lucem. (4.) Et„
si aliquando aliquid veri faciunt, aut fit„
cum damno computatis expensis, vel ex„
aliqua deceptione, imponendo aurum„
verum vel aliqua fallacia diabolica, quae„
vt eos attendere faciat huiusmodi, facit„
eis verum aurum ex appositione auri ve-„
ri occulte aliquando. (5.) Cum ergo sit„
tale exercitium contra vtilitatem publi-„
cam, vt patet ex consumtione rerum, &„
quia (vt communiter) faciunt ex his mo-„
netam falsam. Ideo simpliciter sunt„
condemnandi eam facientes. Egregie
scilicet. Sed quid aliud ab homine bar-
baro expectari poterat? *Nullum*, putat, *in-
veniri, qui habeat veram huiusmodi artem, licet*
dica-

dicatur de multis. At hoc in quaestione erat: nec adeo tam audacter ab homine rudi & imperito negandum. Si quidam hic fallunt aut falluntur, nondum sequitur, quod de omnibus ita sit pronunciandum. Sed est hic valde familiaris ratiocinandi modus nostro: vnde & ex hoc capite artem alchemisticam damnat: *quia videmus, quod communiter ipsam facientes multa consumunt.* Scilicet, quod multi faciunt, id faciunt omnes. Ridiculum autem prorsus est, quando illud apostoli: *quia semper addiscentes nunquam ad veritatis scientiam perveniunt*, obtorto velut collo ad alchemistas trahunt, quod tamen de pseudo christianis ille pronunciauit. Quod vero nemo ex alchemistis ad veritatis cognitionem peruenerit, id rursus comprobandum erat. Eiusdem commatis est, quod porro addit: *experientias multas faciunt, nec vnquam ad perfectum attingunt*: item: *qui tempus vitamque consumunt, nec id, quod operantur, veritatem cum auro & argento, sed solum apparentiam habet.* Postulata haec sunt, quae de veris alchemistis nemo concesserit. Et tamen haec tanquam certa & euicta ponuntur, id quod sophistae est & malitiosi calumniatoris, non autem doctoris veritati litantis. At, inquit, tenebras quaerunt, lucemque fugiunt, vel vt ille satis barbare: *quia nemo in publico eam facere vult, vt appareat, quod*

male agunt, quia odiunt (oderunt dicere debebat*) lucem.* Etenim, quae iustis de causis occultantur, non statim mala sunt. Equidem, quae mala sunt, plerumque occultari solent, si poenae metus accedat: sed inde non sequitur, ergo, quaecunque occultantur, sunt mala. Accedit, quod artis auriferae periti interdum in publico, multis inspectantibus, artis suae specimen ediderint. Pergit: *si aliquid veri faciunt, computatis expensis cum damno fit.* Quid tum? sufficit, quod metalla mutari possint, siue cum damno, siue cum lucro fiat. Interim quod semper cum damno fiat, id enimuero iterum nondum est demonstratum. Quae sequuntur, ad impostores pertinent, quorum nemo aut laudabit aut excusabit fraudes: at veros ideo proscribere aut condemnare alchemistas, nefas fuerit.

§. XXX. Fuerunt itaque ex iureconsultis, ANGELVM DE CLAVASIO insecutis, quibus haec eius sententia se neutiquam probauit, quos itidem, quem iam laudavimus, SAMVEL REYHERVS refert. (p) Et, praeter HIERONYMVM quidem ZANETINVM, cumprimis THOMAS ARFONZINVS receptam iureconsultorum sententiam, adeoque & alchemiam defendit (q). Et initio quidem

(p) *l. c. cap. XXIV. seqq.* (q) *in responso, quod ex volumine I. theatri chemici repetit Reyherus l. c.*

dem auctoritatibus pugnat, vnius sententiae integram doctorum cateruam opponens: quod argumenti genus olim in scholis iure-consultorum frequens, hodie vix locum inuenit, licet auctori *fundamentum adamantinum* audiat. Erudite ceteroquin hanc quaestionem pertractat, & initio bene obseruat, licet lucrum non adferat alchemia, ex eo tamen non sequi, eam esse illicitam. Probata deinde ex SVIDA alchemiae antiquitate, exemplis plurimis, scilicet salis, electri, argenti vivi ostendit, naturam arte posse iuuari. Ex CARDANO etiam refert, pharmacarium quendam Treuisanum coram principe & senatoribus reipublicae Venetae, argentum vivum in aurum conuertisse. Id quod SCALIGER equidem negat, hac potissimum nixus ratione, *si Veneti hoc vidissent, qui tanta sunt auaritia, vt etiam cum Turca hoste christiani nominis foedus faciant, nunquam pharmacarium illum dimisissent: sed tormentis coëgissent artem suam reuelare &c.* Quod certe ieiunum prorsus & frigidum est argumentum. Sed ARFONCINVS noster subiicit: *illud constat, innumeros & superioribus seculis fuisse, & nunc esse graues viros, qui eam artem factitarunt, & sibi quaestuosam fuisse praedicarunt.* Quos inter ab illo nominantur Albertus magnus, Comes Treuisanus, Augurellus, Auicenna, Geber, Lullius, Bonus Ferrariensis

Morienus, ac Tolod, & praesertim Arnoldus de Villanoua. Hisce ita praemissis ad ipsam quaestionem accedit, & ita rationes secum subducit: si prohibita est alchemia, aut diuina aut humana lege eam prohibitam esse oportet. Non diuina, quia nulla proferri potest: nec humana, quia itidem nulla in corpore iuris ciuilis hac de re extat. Ad constitutionem autem pontificis Ioannis XXII. quod attinet, quamue supra ex iure canonico attulimus, respondet, eam non de veris alchemistis, sed de impostoribus, siue de illis, qui aurum vel argentum sophistica transmutatione confingunt, intelligendam esse. Quod vero pontificibus non prorsus improbata sit alchemia, ex eo colligit, quod 10. AVGVRELLVS, haud incelebris alchemista & poëta, Leoni X. pontifici librum suum de alchemia consecrauerit & obtulerit, pontifice quidem, haud ingratum sibi illud munus esse, significante. Prouocare etiam alchemiae osores solent ad illud iuris canonici effatum: (r) *Quisquis credit, posse fieri aliam creaturam, aut in melius aut in deterius transformari in aliam speciem, vel aliam similitudinem, nisi ab ipso creatore, qui omnia fecit, infidelis est.* Desumtum hoc est ex concilio Aquileiensi, non *Anquirensi*, vt quidam rerum historicarum plane rudes perhibent, cum

(r) *c. episcopi 26. q. 5.*

cum eiusmodi concilium nullibi gentium existat, sermoque ibi est de mulieribus sortilegis, quae, in varias animalium species se transformari, primo quidem sibi persuadent, deinde & aliis persuasum cupiunt. Cui errori quo iure hac ratione obuiam iuerint concilii istius patres, ego quidem non video: at turpiter se traducere apud omnes, qui ad alchemistas hoc trahunt, longe puto esse manifestissimum. ARFONCINVS tamen operae pretium putauit, hoc quoque remouere dubium, & tandem hoc etiam subnectit, quod praetermittere nefas duco, quia illis, quae supra a nobis dicta sunt, lucem affundere potest: *Restat illud argumentum, quod multi alchemistae faciunt falsam monetam: multi etiam fuerunt sortilegi, impii, athei, necromantici. Dicitur etiam, quod Raemundus Lullius & Paracelsus fuerunt magicis artibus inquinati.* Ad hoc recte equidem respondet auctor, artificum vitia nequaquam arti imputanda esse. Sed addere tamen debuisset, nondum haec, quae vulgo alchemistis obiiciuntur crimina, esse euicta. Intelligimus autem inde, imperitis hominibus in more semper positum fuisse, si clarissima experimenta aliter eludere non potuerint, statim magicas artes, & nescio quae commercia cum daemone, innocentibus obiicere. Possem his denique GVIDONIS PANCIROLLI, HENRICI SAL-

MVTHI, ARNOLDI REYHERI, IOACHIMI SCHEPLITII, aliorumque testimonia adiicere: sed satis iam ex dictis constat, cuiusmodi sint, quae hac de re in scholis iure-consultorum disputantur, & exhibet etiam cetera diligenter collecta saepe iam nobis laudatus SAMVEL REYHERVS. (s)

§. XXXI. Non minus autem disputari etiam solet in iure-consultorum scholis, de auri chemici bonitate, & an fas sit, eodem in contractibus, speciatim in emtione & venditione, vti. Quae res omni equidem difficultate caret. Si enim per omnes explorationum gradus constiterit, aurum verum esse, non video, cur in contractibus, omnique commerciorum genere non adhiberi debeat. Qui autem aurum falsum pro vero venditauerit, ille, quin ex dolo malo, & ad damni dati restitutionem, & ad poenam insuper teneatur, nemini dubium esse potest. Quid autem de illis, qui aut per ignorantiam, aut per negligentiam hoc modo alteri damnum intulerint, sentiendum sit; ex notissimis philosophorum & iure-consultorum scitis, de ignorantia, deque culpa, tam manifestum est, vt actum agere videatur, qui plura hanc in rem congerere velit. Et huc redeunt omnia, quae iuris interpretes THOMAM DE AQVINO, (t) secuti,

(q) *l. c. cap. XXVI. seqq.* (t) *in 2. 2. q. 77. art. 7.*

cuti, de auri chemici vsu pronunciant. Ita ANDREAS DE ISERNIA rem expedit: (u) *dic, quod si faciunt, (alchemistae) aurum sophisticatum, non debere vendere pro puro, quia est falsitas: nec liberatur sophisticatum soluendo ff. de pign. act. l. eleganter §. qui reprobor. electrum non est aurum ff. de leg. 1. l. 4 Si vero faceret verum aurum, non, quod cuderet pecuniam principis, inde sine iussu principis, hoc aurum esset facientis.* FABIANVS DE MONTE S. SAVINI, (x) eodem modo ad quaestionem hanc respondet. Discrimen autem, ex quorundam sententia, inter aurum verum & chemicum explicaturus, dicit: *multas proprietates inesse in vero, quae non sunt in alchemico, vt lactificandi & multas infirmitates depellendi.* Sed si in ceteris aurum chemicum recte se habeat, hae quidem virtutes si desint, ideo non desinet pro auro vero haberi. Eadem tamen habet ALBERICVS DE ROSATE, (y) atque ALBERTVS BRVNVS. (z) Sed quid attinet plures addere, praesertim in re clara & euidenti. Ex recentioribus tamen IOACHIMVM SCHEPLITIVM iungam, & qui ob eruditionem pariter ac pietatem singularem primo nominari loco de-

(u) *ad tit. feud. quae sunt regalia.* (x) *de emt. & vend. qu. 5. n. 8.* (y) *voc. alchemia.* (z) *de augm. & dim. mon. praesupp. prima num. 13. 14.*

buisset 10. BRVNNEMANNVM: quorum ille (a) diserte cum THOMA DE AQVINO (b) & LAMBERTO DANAEO (c) respondet: *Si a chemicis fiat verum aurum, rebus & mediis naturalibus adhibitis, illud aurum non esse damnandum, modo ne cudant monetam:* hic autem suam de auro sententiam ita exponit: (d) *Sed quid, si alchemisticum aurum pro vero vendatur? Quodsi autem illud a chemicis elaboratum verum aurum est, vt defendit Sennertus, de chemicorum & Galenicorum consensu cap. II. & vt artifices aiunt, nonnullis qualitatibus tantum distat, emtionem valere, consequens est l. 10 ff. de contr. emt. vt tamen venditor teneatur in id, quanti interest, emtorem deceptum non esse, l. 45. ff. h. t.*

§. XXXII. Accedimus nunc ad alterum alchemistarum genus, impostores scilicet illos, qui magnam arcanorum notitiam prae se ferunt, vt incautos circumveniant, auro, quod aliis suis fraudibus eripiunt, semet locupletaturi. Variae autem multiplicesque horum hominum sunt artes & decipiendi alios modi, quos omnes recensere, instituti repugnat legibus. Et fuerunt quoque iam pridem, qui integris hoc praestiterunt libris, sicut nonnulli suarum

(a) *consuetud. Marchicar. p. 4. t. 4. s. I. n. 24.*
(b) *l. c.* (c) *eth. christ. lib. II: cap. XVI. p. 267.* (d) *exercit. Iustinian. XX. ad pr. inst. de emt. & vendit. n. 9. seqq.*

rum esse duxerunt partium, adhortari omnes, ne ab eiusmodi hominibus sibi imponi patiantur. Spectat praeter MICHAELIS MEIERI *examen fucorum pseudo chemicorum detectorum* huc liber editus sub titulo: *Fegefeur der Alchemisten*: item alius, qui A. M DC XC. editus est sub titulo: *Von den grausamen verführischen Irrvegen der Alchemisten, dadurch sie selbst, vnd viele Leute neben ihnen verführet vverden*. Anno etiam sequenti editi sunt tres tractatus chemici, videlicet 10. DE TETZEN seu TICINENSIS processus de lapide philosophorum, versibus latinis leoninis scriptus, sed a chemico quodam in germanicos translatus: ANTONII DE ABBATIA epistola de transmutatione metallorum, ab editore in linguam germanicam versa: & denique, quidam EDVARDI KELLAEI de hac arte libellus: cui praefationem editor praemisit contra sophistas & impostores: *Warnungs-Vorrede vvider die Sophisten vnd Betrüger*. In compendio etiam nonnullas eiusmodi impostorum strophas & fallacias exhibet PHILIPPVS IACOBVS SACHSIVS A LEVVENHEIMB (e). Sic alii baculos ligneos, quibus metalla circumagitant, prius in solutiones auri & argenti intingunt, & iis impraegnant: alii carbones pulueriſatos soluti auri & argenti cum metallis miscent:

(e) *in ephemerid. nat. curiosor. decur. I. an. I. obseruat. XVII. p. 56. seqq.*

alii atramentum ex auro & argento temperant, cum quo inscribunt chartae materiam reducendam, & sic porro. Per exempla autem si ire animus esset, tanta se offerret impostorum multitudo, vt, vnde initium in iis recensendis facerem, vbi desinerem, vix inuenirem. Plerique etiam, detectis tandem fraudibus, suae improbitatis poenas luunt meritas, miserequе tandem pereunt. Sic MARCVS ille BRAGADINVS, Mamugna dictus, ex Creta oriundus, olim Capucinus, post vitae ostentatione multiplicandi auri artem callere creditus, Venetiis in aedibus Iacobi Contareni, patricii, fucum faciens, aliquali transmutatione ficta, A. M D XC. Monachii, ducis Bauariae iussu, securi percussus est, teste THVANO (f). Cuius quidem generis plura ex BLAVENSTEINIO, (g) MARTINO ZEILLERO, (h) ATHANASIO KIRCHERO, (i) exhibet PHIL. IAC. SACHSIVS A LEVVENHEIMB. (k)

§. XXXIII. Contingit tamen saepe, vt inter impostores referantur, quos alii defendunt, & de quibus, quid pronunciandum sit, vix liquet. Documento esse potest celeberrimus ille Italus, FRANCISCVS IOSEPHVS BVRRHVS, de quo in diuersas plane opinio-

(f) *lib. XCIX. circa fin.* (g) *contra Kircherum de lap. philos. cap. IV.* (h) *cent. I. ep. IX.* (i) *in mundo subterr. lib. XI. sect. II. f. 281.* (k) *l. c. p. 57.*

opiniones eunt viri docti. Id multi equidem ex hostibus iuratis etiam confitentur, singulari ingenio & eruditione, peritia quoque chemica haud vulgari, eum fuisse instructum. Sed addunt, (l) vniversalem eum orbis christiani molitum reformationem, eumque in finem multos Mediolani in suas pertraxisse partes, certa felicioris euentus spe, ob nunquam defuturam auri, per artem alchemisticam producendi, copiam, repletos. In ista rerum conuersione se alterum Christi vicarium, Pauli quippe successorem, fore, eum sibi persuasisse, simulque vltima quaeuis Romano pontifici, omnique clericorum ordini, quippe a quo omnis in orbem christianum corruptio promanaret, comminatum esse. Adiungunt his varios, eosque graues, contra doctrinae christianae veritatem errores, (m) quibus detectis, ad inquisitionis iam rapiendum fuisse tribunal, cum certior ea de re factus fuga sibi consuluerit BVRRHVS. Iudicium vero inquisitionis, quod hoc modo non placauerat, tanquam haereticum capitis damnauit BVRRHVM, effigiesque eius manu carnificis Romae A. M DC LX. flammis fuit tradita, ipso qui-

(l) *vid. Brevverus in contin. histor. vniversal. Brachelii p. 108. it. Baelius in diction. histor. t. 1. p. 630. lit. A.* (m) *vita del Cauagl. Borri p. 396. it. Baelius l. c. p. 631.*

quidem profitente, nunquam maius se sensisse frigus, quam cum Romae comburere-tur (n). In Germaniam autem se contulit, & aliquamdiu Argentorati commoratus, ob chemicae quoque peritiae famam multos in sui rapuit admirationem. Argentora-to relicto, Amstelodamum se contulit, ibi-que mox tantam consecutus est existima-tionem, vt pro vero alchemista & quodam naturae miraculo haberetur, nec vllum temere morbi genus reperiri crederetur, cui pellendo non sufficeret Burrhus. Accede-bat splendida vitae ratio, qua facile omnes in eam adduxit opinionem, nihil sibi mi-nus vnquam deesse, quam aurum. Mul-tum tamen tandem de eius existimatione ibi detractum, nonnulli perhibent, (o) immo parum abfuisse, quin omnium exponeretur ludibrio, vnde, clam ex hac vrbe eum discessisse, aiunt, haud exigua argenti summa secum asportata. Hamburgum itaque se contulit, Christinae Sueciae reginae, quae tum ibi commora-batur, harumque etiam rerum longe erat curiosissima, haud ingratus hospes. Hanc nimirum multis magnisque pollicitationi-bus induxisse dicitur, vt ingentem pecuniae summam ad magnum opus alchemisticum per-

(n) *vid. vita del Cauaglieri Borri p. 554. seqq. it. continuat. epist. itinerar. Burneti p. 194.* (o) *Baelius l. c.*

perficiendum suppeditaret; quae tamen, omni successu irrito, sero tandem intellexerit, non temere fidem eiusmodi hominibus esse adhibendam. Haffniam inde delatus, Danorum regi Friderico III. eadem ratione imposuisse perhibetur. Huic certe tantam lapidis philosophici consequendi amorem iniecit BVRRHVS, si nonnullis credimus, vt ob nimiam sumtuum profusionem, ministri regis, proceresque regni, indignabundi fremerent. Mortuo autem rege, cum duriora ibi quoque sibi instare fata persentisceret, regno excedere, & tutiorem iterum rerum suarum quaerere sedem, consultum duxit. OLAVS tamen, BORRICHIVS auctor est, oblatum sibi a BVRRHO nummum aureum ex auro chemico confectum (p) & eiusdem generis plures se apud BVRRHVM vidisse, testatur vir diligentissimus CHRISTIANVS FRANCISCVS PAVLLINI, in epistola de alchemistis, quam celeberrimus deque re literaria meritissimus vir, VVILHELMVS ERNESTVS TENZELIVS, exhibet (q). BVRRHVS itaque nullibi in Europa christiana se satis tutum existimans, Turcicas petere ditiones secum decreuit. Per Austriacas autem dum illi iter faciendum erat prouincias, ex procerum Hungarico-

(p) *centur. III. epist. medicinal. Barthol. XCV. p. 410.* (q) *in colloqu. menstr. a. 1692. p. 429. seqq.*

garicorum, qui contra imperatorem conspirauerant, numero esse creditus, Goldingae captus, & Viennam abductus est. Ibi autem cum nuntius pontificis intelligeret, in potestate imperatoris BVRRHVM esse, statim eum rogauit, vt pontifici traderetur, cuius iustissimae irae ob haereseos notam illi inustam, fuga se subtraxisset. Consensit imperator, at ea lege, ne vita BVRRHO eriperetur. Romam abductus denuoque iudicio inquisitionis subiectus, non tantum publice errores suos retractare coactus est, sed &, vt in carcere, quod reliquum erat vitae, transigeret, condemnatus (r). Haec fata fuerunt BVRRHI, de quo tamen, vt diximus, non omnes inter se consentiunt. Namque, vt nihil de erroribus, qui ei imputantur, theologicis dicam, de quibus auctor appendicis ad epistolas itinerarias GILBERTI BVRNETI (s) refert, quod conquestus sit BVRRHVS, perperam eos sibi tribui, cum tamen contrarium, praeter iuratos BVRRHI hostes, etiam defendat PETRVS BAELIVS, (t) qui auctorem istius appendicis plurimorum conuincere errorum annititur: de peritia quoque eius chemica, &, quae illi obiiciuntur, fraudibus, non satis inter se conueniunt. SORBIERIVS

(r) *vid. de hisce omnibus vita del Cauagl. Borri, passim, & Baelius l. c.* (s) *l. c.*
(t) *l. c.*

BIERIVS (u) diserte & citra ambages impostoribus & circumforaneis eum accensét: nec aliter de eo sentit, quem iam laudauimus, PETRVS BAELIVS. Alii contra inuidendis eum in coelum extulerunt laudibus, adeo vt nonnullis phoenix huius seculi, vltimum naturae miraculum, reformator rerum naturalium, sol medicinae, lumen chemicae, audiret (x). Nec eas, quae illi obiiciuntur, impostúras tam certas aut euictas esse, vt non vocari in dubium posíint, cum fide & auctoritate illorum hae relationes nitantur, quos infenso in BVRRHVM fuisse animo, constet. Quicquid autem sit de erroribus eius theologicis, a quibus non plane alienum fuisse facile quis existimare posit, cum solenne admodum sit chemicis, terminos & principia chemica rebus theologicis accommodare, insigni & admiranda prorsus peritia medica & chemica eum fuisse, nemo quoque negauerit, qui secum expenderit, quae magno scriptorum consensu de eo traduntur. Eum tamen artis transmutatoriae fuisse peritum, dubito, cum nullibi exemplum conuersi in aurum ignobilioris metalli de eo legerim: quae res me inducit, vt, nec puluerem χρυσοποιητικὸν aut simile quid

(u) *dans la relation d' vn voyage d' Angleterre p. 55.* (x) *vid. Andreas Caroli in memorabilibus H. E. t. II. lib. VII. cap. IV.*

quid eum possediſſe, credam. De nummis autem iſtis chemicis quid ſentiendum ſit, iam ex ſupra dictis conſtat.

§. XXXIV. Operae pretium fuerit, hic velut in tranſitu obſeruare, ſaepius etim contingere, vt, qui ſubito diteſcunt, pro alchemiſtis habeantur, & ab aliis etiam, ſerio venditentur. Adeoque, quemadmodum impoſtores illi alchemiſtae videri volunt, cum tamen non ſint, ita, cum hi artem alchemiſticam non profiteantur, vel inuitis tamen alchemiſticae peritiae opinio obtruditur. Interdum, ſi forte malis artibus opes partae ſint, haud aegre patiuntur, eiusmodi de ſe famam ſpargi, vt magiſtratus inquiſitionem & poenam a ſe auertant. Nouum hoc eſt impoſturae genus, cuius ſingulare & memoratu certe dignum ſuppeditat exemplum NICOLAVS FLAMELLVS, Gallus. Hic inter aurifices multum praedicari ſolet, adeo, vt & nonnulli libelli chemici ei auctori ferantur accepti. Immo nec ex recentioribus deſunt, qui peritiam eius chemicam laudant, quod & editor trium iſtorum libellorum chemicorum in lingua Germanica, qui iunctim A. M DC XCI. prodierunt, & quorum ſupra iniecimus mentionem, facit. Hic non veretur aſſerere, FLAMELLVM ex libro cuiusdam Iudaei, ABRAHAMI, ſacerdotis, principis, Leuitae, aſtrologi

gi & philosophi, post multas preces ad Deum fusas, & incredibiles labores, haec arcana didicisse. At nihil minus, quam alchemistam, FLAMELLVM istum fuisse, & tantum ob ingentes opes malis artibus breui temporis spatio acquisitas, hanc subiisse suspicionem, ex obseruationibus Italicis manuscriptis Naudaeanis, quas praefationi in opuscula Gebri a se edita inseruit, nos condocet GEORGIVS HORNIVS. *Nicolaus Flamel*, inquit NAVDAEVS, *scriba fuit Parisiensis, qui negotia iudaeorum curabat Parisiis circa annum 1393. & sequentes. Et quia breui tempore magnas diuitias acquisiuerat, suspicabantur aliqui, eum reperisse lapidem philosophorum. Vnde alchemistae hodieque Flamellum patriarchis suis post Hermetem & Lullium accensent. Sed est mera impostura, & error male sanus hominum nimis credulorum, figmentum lapidis philosophici insano amore ditescendi prosequentium. Res autem cum Flamello ita se habuit, vnde totius huius insani erroris fons patebit. Nicolaus Flamellus erat scriba, vt dictum, & iudaeorum negotia curabat. Iudaei tum tota Gallia proscripti erant a rege & bona illorum confiscata. Flamellus cum debitoribus iudaeorum clam tractauit (nouerat enim, quantum quisque iudaeis debebat, eosque apud regem poterat debiti iudaici accusare & regi detegere) vt eorum nomina & debita vel plane reticeret, vel imminueret. Hac arte, non alchemistica, vt stulti lapidistae credunt, sed impo-*

 storia,

storia, breui tempore Flamellus ingentes opes ex iudaeorum bonis corrasit. Struxit ex illis, vt illorum temporum consuetudo religiosa ferebat, templa aliquot, veluti S. Genouefae des Ardarnis & coemiterium sanctorum innocentium, vbi sepultus est. Quod fecit culpae expiandae ergo. Certe Flamellus scriba fuit. Vidi Romae in bibliotheca Cardinalis Bagnii fabulam de la rosa, cuius auctores sunt Io. de Mehan & Clopinel, manu Flamelli scriptam. Haec etiam refert, & calculo suo approbat HERMANNVS CONRINGIVS: (y) & ex Gallis etiam CROIX DV MAINE in bibliotheca sua. (z) At longe aliter de Flamello sentit BORELLVS, (a) qui plurimis argumentis imputatas illi fraudes confutat, chemicaeque eius scientiae veritatem demonstrat. Nam, quod de iudaeis e Gallia pulsis, vnde opes suas acquisiuerit, obiicitur, centum & amplius annis post Flamelli tempora factum id fuisse, dicit, qui opus magnum A. MCCC LXXXII. confecerit. Calumniae vero occasionem hinc datam, quod cum iudaeis conuersatus fuerit, quibus opus habuit ad interpretationem libri ebraici, ab Abrahamo iudaeo quodam scripti, vnde lapidis confectionem didicit. Quem librum tandem in manus cardinalis Richelii, paulo ante mortem eius peruenis-

(y) *de Herm. med. lib. II cap. XV. p 421.* (z) *p. 343.* (a) *in dictionario antiquar. vocum Gallicar. p. 158. seqq.*

veniſſe BORELLVS aſſerit, idque ſe accepiſſe, ait, a domino DE CABRIERES, nobili Gallo, qui ipſum illud ἀνυπόγραφον viderit. Immenſas fuiſſe Flamelli diuitias, quos liberaliſsima manu in miſeros homines, templa & xenodochia impenderit, vt Pariſiis pene nullum ſit xenodochium aut aedes ſacra, in qua eius effigies & figurae quaedam hieroglyphicae chemicae, non compareant. Quae cum innoteſcerent regi, in mandatis magiſtro libellorum ſupplicum, tunc temporis Cramoiſio, dediſſe, vt de iis inquireret. Flamellum vero, vt hanc a ſe amoueret moleſtiam, pyxidem puluere aurifico plenam Cramoiſio obtuliſſe, quae diu in iſta familia aſſeruata ſit. Haec ex tabulis teſtamenti aliisque ſchedis ſibi conſtare, idem auctor aſſerit. Et haec quidem BORELLVS, ex quo iſta etiam refert Flamelli cauſam agens D. G. MORHOFIVS (b). OLAVS BORRICHIVS (c) autem rem in medio relinquit: cui etiam & nos ſubſcribimus, nec tamen contemnendas eſſe BORELLI rationes, exiſtimamus.

§. XXXV. Sed ad veros illos impoſtores & pſeudo-alchemiſtas reuertimur, vt videamus, quodnam principis circa illos ſit officium. Duplici autem iſti homines ſe obſtringunt interdum crimine, quorum

(b) *de transmut. metallor. ſect. XII. p. 291.* (c) *in conſpectu ſcriptor. chem. n. XXXI. p. 28.*

vnum ad illos, quos decipiunt, spectat, alterum ad totam rempublicam. Nimirum solent splendidis atque magnificis promissis multos eo adducere, vt ingentes sumtus profundant: his, quin ad damni dati teneantur restitutionem, dubitari nequit: cum inter leges omnium mentibus inscriptas haud vltima sit, non laedendum esse alterum, nec in bonis: si quis autem laesit, eum ad damnum datum resarciendum omnino obligari. Sed cum reipublicae quoque intersit, ne impune alios circumuenire liceat, recte quoque poena in istos impostores statuitur, mitiganda aut exasperanda pro delicti istius frequentia, aliarumque circumstantiarum ratione, quae hic in censum venire solent. Cum vero morbus ille pseudo-alchemisticus sit longe pertinacissimus, vt, qui semel eodem infecti sunt, raro admodum ab istis artibus desistant, nec iniquum, nec inutile reipublicae fuerit, eiusmodi homines impostrae certo conuictos, aut proscribere, aut certe eiusmodi afficere poena, vt facultas nocendi, aliosque iterum decipiendi, illis eripiatur. Sed in ipsam rempublicam etiam haud raro peccant, cum frequentissimum sit, vt monetam adulterare incipiant, cum reliqua fraudum genera non amplius invenire locum vident. *Iam senes facti*, inquit

quit HENR. CORNELIVS AGRIPPA, (d) *in summa paupertate mendicare compelluntur, ac in tanta calamitate constituti, saepe ad malas artes & monetae adulterationem, aliaque falsifica degenerant.* Et paucis interiectis: *Quod si & hodie omnibus, qui absque singulari principis indultu alcumisticam exercent, regno ac prouinciis interdiceretur, addita etiam bonorum proscriptione, corporisque afflictione, profecto non tot adulterinos nummos haberemus, quibus hodie fraudantur ferme omnes, magno reipublicae detrimento.* Quae vero in monetae adulteratores passim legibus ciuilibus constitutae sint poenae, satis constat. Sic apud Romanos lege Cornelia cautum fuit, (e) *vt, qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flauerit, falsi crimine teneatur.* Lege autem Iulia peculatus sancitum est (f) *ne quis in aurum, argentum, aes publicum quid indat, neue immisceat, neue etiam, quod cuditur, immisceatur, faciat sciens dolo malo, quo id peius fiat.* Valentinianus II. & Theodosius I. Caesares falsae monetae reos maiestatis crimine teneri obnoxios, constituerunt. (g) Inter reliquas autem constitutiones imperatorum, quae hac de re in codice Iustinianeo occurrunt, facile seuerissima est

(d) *de incertitud. ac vanit. scient. cap. XC.* (e) *l. IX. ff. de leg. Cornel. de falso.* (f) *l. I. ff. ad leg. Iul. peculat.* (g) *tit. de falsa moneta.*

Constantini, quippe qui inter alia lege secunda ita sancit: *si quis nummos falsa fusione formauerit, vniuersas eius facultates fisco nostro praecipimus addici. In monetis enim tantummodo nostris cudendae pecuniae studium frequentari volumus: cuius obnoxii maiestatis crimen committunt: & praemio accusatoribus proposito, quicunque solidorum adulter poterit reperiri, vel a quocunque fuerit publicatus, illico omni dilatione summota flammarum exustionibus mancipetur.* Quod tamen de aureorum siue solidorum adulterationibus tantum intelligendum esse, nonnulli obseruant, cum alibi reliquis falsariis longe mitiores poenas decernat (h). In Germania (i) aeque ac in Hispania, (k) omnis monetae adulteratoribus poena ignis dicta est. Sed haec ab aliis vberius edisseruntur.

§. XXXVI. Vt autem iustitiae aequitatisque ratio postulat, vt hac ratione impostores coërceamus: ita prudentiae leges ab omnibus atque singulis exigunt, vt ab eiusmodi hominibus sibi caueant. Quae tamen cum a paucissimis, vt in aliis, ita etiam hac in re obseruentur, passim in sapientum scriptis monita inuenies, hanc circumspectionem serio commendantia. IO. CASIMIRVS COLBIVS A VVARTENBERG, in elegantis-

(h) *cod. Theodos. l. 1. tit. XXI. lib. IX.* (i) *v. ordinat. crim. Caroli V. art. III.* (k) *partit. l. VII. t. VII. l. IX.*

gantissima instructione, qua filios suos ad pietatem pariter ac honestatem erudit, nec alchemistarum immemor est. Praecipiens enim, quo pacto in opum a Deo sibi concreditarum administratione recte versari debeant, inter alia, vt a iudaeis pariter ac alchemistis sedulo sibi caueant, eos admonet. *Zum dritten*, inquit, (l) *daß ihr euch nimmer gelüsten lasset, euch in einiges Bergwerck, Goldmachen, oder in anderes Künsteln zu mengen. Sintemal ich auch hievon Exempel gnug sawanziehen könnte, wie sich viel darinn verstiegen, vnd vmb ihre Nahrung gebracht haben.* Eadem etiam ratione, sed prolixius adhuc, ea de re disserit VITVS LVDOVICVS A SECKENDORFF. (m) Cum enim secum considerat, quot proceres principesque per artem alchemisticam decepti sint, optandum, dicit, ne vlla artis huius hodie supereſſet memoria. Quod vt de pseudo-alchemistica facile concesserō, ita, veram alchemisticam prorsus proscribendam esse, nemo temere asseruerit. Quod autem Christus atque apostoli hac arte vsi non sint, id verae quidem alchemiae fraudi esse nequit: cum nec haec ad diuitias comparandas, sed ad naturae mysteria inuestiganda comparata sit. Christo autem atque apostolis neuti-

(l) *in der väterlichen instruction an seine Kinder cap. XXX. p. 185.* (m) *in Christen-Staat II. XII. 4. p. 409. seqq.*

quam constitutum fuit, naturae arcana homines edocere, sed viam ad felicitatem veram pandere, licet ideo aliis in illa inquirere non sit nefas. Pseudo-alchemiam, quae diuitiis opibusque inhiat, doctrinae Christi & apostolorum repugnare, recte idem vir doctissimus pronunciat; vera, vt naturae saltem arcana rimatur, nec diuitias, si quae hoc modo acquirantur, spernit, sed iis recte & pie vtitur, ita nec concupiscit eas, immo in minimis ponit. Labore acquirenda esse, quae vitae sustentandae sufficiunt, & ratio dictitat, & diuinae literae iubent. Hanc autem qui migrant legem, & ideo, vt violare liceat, impostoris alchemistarum aures praebent, & officii sui immemores sunt, & contra prudentiam peccant. Recte haec & praeclare SECKENDORFFIVS, qui, vt vir cordatus est, & hoc subiungit, non esse plane in dubium vocandam artem istam transmutatoriam, cum & ex testimonio magnorum quorundam principum & ex propria etiam experientia constet, reuera ignobilius metallum in aurum transmutatum fuisse. Sed, qui ex hac arte magnas sibi diuitias pollicentur, aut, reipublicae necessitatibus per eam consuli posse, sibi persuadent, oppido falluntur: immo, si immensam per eam obtinerent auri vim, ad ciuilem tamen hoc parum faceret felicitatem,

tem, vt ipsi supra demonstrauimus. Tum vero porro subiungit: *Aber vvie viel sind derer, vvelche durch falsche Künstler (die man vvohl zu letzt dem Scharffrichter vntergeben) vmb große Summen Geldes betrogen vvorden, vnd vvo ist vveniger Geld, als vvo man Gold machen vvil.* Et paucis interiectis: *Zu beklagen ist auch, daß sich niemand daran stößet, ob schon ihrer viele auff schädliche Weise betrogen vvorden, vvie vvol fast niemand kein Mitleiden vveder mit dem betrogenen, noch Betrügern, zu haben pfleget.* Videtur quidem vir ille longe celeberrimus plane in dubium vocare, an alchemiam exercere licitum sit, hac maxime ratione inductus, quod & scripturae sacrae & rationi rectae conueniens sit, labore victum sibi parare: quem ordinem a Deo constitutum qui migrent, eos tentare Deum, seque in grauissima pericula praecipites dare. Atque hinc illud, quod dici solet, nonnisi viris probis Deumque timentibus, & ad eius gloriam, cupiditatibus suis perdomitis, aliorumque vtilitatem veram omnia referentibus, haec arcana patere, ceu vanam & simulatam πεῖρασιν plane reiicit. At, quousque haec alchemistarum sententia admittenda sit, & quod improbis etiam artis huius peritia non prorsus deneganda videatur, iam supra exposuimus. Ad reliqua quod attinet, discrimen inter veram & pseudo-alchemiam

semper tenendum est. Qui per eam diuitiis inhiant, vt vitam transigere in otio queant, omnino peccant grauissime. Ceteros, qui naturae arcana rimantur, haec non feriunt. Hoc tamen certum, & eos, qui immodicis istis cupiditatibus abrepti sibi imponi patiuntur, non minus graui se obstringere crimine. Nec melior via, aut ratio est, deceptiones quasuis & pericula inde imminentia euitandi, quam si prauis istis cupiditatibus, quibus ad opes congerendas impellimur, per veram in Christum fidem, piasque preces, subiugatis, vnusquisque sua contentus esset discat sorte.

§. XXXVII. Superest vltima alchemistarum classis, illorum videlicet, qui non malo equidem consilio animum ad hanc artem adiungunt, sed peritia sufficienti destituti, bonis suis dilapidatis, in extremam tandem se coniiciunt paupertatem. Hi licet eodem, quo impostores, loco habendi non sint, cum dolus animusque alios laedendi in illis non reperiatur, non tamen sibi prorsus relinquendi sunt, cum omnino reipublicae intersit, recte bona sua administrare ciues. Vt enim haud exiguam, externae felicitatis, qua respublica gaudere potest, partem in eo prudentiae ciuilis magistri constituunt, vt opibus, quibus honeste se sustentare queant, affluant ciues:

ves: ita mendici & cum externa rerum omnium inopia conflictantes, oneri potius sunt reipublicae, tantum abest, vt ex iis commodum capiat. Quare, si alia ratione, intempestiuae isti curiositati obuiam iri nequeat, nec, qui ista infecti sunt, salubrioribus monitis locum relinquant, nihil aliud superest, quam vt acriori censura coërceantur, & ita tandem doceantur sapere. Quod si eadem principes rerumque dominos incedat, par erit, vt rationibus euidentibus & praegnantibus, a consiliariis propositis, ad saniora flectantur. Facile autem hoc veneno animi principum irritantur, opportunitate, qua se gaudere putant, rerum omnium eos inuitante: quibus accedit, quod pseudo-alchemistae & impostores horum maxime captent fauorem. Sed tanto grauius principes peccant, quanto plurium interest, a reipublicae cura & administratione eorum non abstrahi animos. In exemplum proponi vulgi solet Rudolphus II. imperator, de quo DANIEL EREMITA: (n) *Nam & chemicarum rerum experimenta ipse tentauit; & horologiis componendis adsedit, contra, quam principem decuit, a solio imperatorio in sellam se opificis transtulit. Nec semel illud, aut quo amabili insaniae ex vitio curiositatis humanae satisfieret, sed tantum alienissimis*

(n) *in itinere German. p. 385. opp. coniunctim editorum.*

simis studiis indulsit, vt vniuersam illis reipublicae tractationem remitteret: a qua prorsus alienus, vix putes, illum meminisse, se imperatorem esse. Non equidem nescio, male audire apud quosdam EREMITAM, speciatim a IO. HENRICO BOECLERO (o) eum accusari, quod in itinere eius germanico nihil aliud ei propositum fuisse videatur, quam vt vitia aularum censorio supercilio exagitaret, quae autem alia cognitionem ac aestimationem merebantur, aut suo pretio celebrari debebant, alto silentio inuolueret. Sed ad Rudolphum quod attinet, res tam nota est, & tanto omnium consensu confirmata, vt nihil contra rei veritatem asseruisse merito censeatur. BOHVSLAVS BALBINVS, in laudes licet imperatoris prolixe diffusus, non tamen dissimulat, alchemiae amorem nonnisi cum vita eam deposuisse (p). Simulque immensam sumtuum profusionem designaturus, *quantum*, inquit, *fornaculae chymicorum consumserint auri, dici non potest: lectores ex curiositate & magnificentia principis, ex auri copia, ex multitudine chymicorum artificum, quorum numerus ad vicenos adscenderat, ex diuturnitate laboris (nam, ex quo regnum adiit, vsque vltimam aetatem, chymiam & auri conficiendi spem nunquam dimisit) faciant coniecturam.*

Ex

(o) *de peregrinatione Germanici Caesaris p. m. 16.*

(p) *in miscellaneis historicis regni Bohemiae dec. I. lib. I. cap. XXXV.*

Ex quo etiam colligas, cum spem auri conficiendi nunquam dimiserit, eum ad artis fastigium non peruenisse, licet non desint, qui hoc quoque asserunt, vti pluribus exponit CHRISTIANVS FRANCISCVS PAVLLINI, in epistola supra iam a nobis laudata (q). Ceterum, si princeps curiositati suae limites ponat, arcanisque naturae per artem chemicam rimandis ita incumbat, vt nihil eorum intermittat, quae ad reipublicae administrationem pertinent, tantum abest, vt reprehendi ideo debeat, vt summam potius promereatur laudem. Sic Ioannes, Friderici I. electoris Brandenburgici filius, princeps ingenii mitissimi & artium liberalium amantissimi, cum rerum naturalium delectaretur inuestigatione, honestum & liberale otium electorali praetulit dignitati, & hac in fratrem Fridericum translata, ipse in summa tranquillitate, Dei opera contemplando, atque admirando, vitam transegit. Indeque factum, vt alchemistae cognomine insigniretur, vt auctor est venerandus vir PHILIPPVS IACOBVS SPENERVS (r). De eo recte etiam celeberrimus vir CHRISTOPHORVS BECKMANNVS (s) iudicat, vitio illi verti non posse, *quod ea arte se oblectauerit, quae eximiam partem sapientiae*

(q) *ap. Tenzelium in colloqu. menstr. a. 1692. p. 433.* (r) *syllog. hist. geneal. p. 493.* (s) *de cognominib. princ. cap. I. §. XI.*

pientiae Salomoneae constituisse creditur, aliisue magnis principibus aeque familiaris fuit, vt Iacobo Marchioni Badensi, Rudolpho II. imperatori &c. Sed nos pedem hic figimus, Deum submisis rogantes precibus, omnibus ac singulis vt hanc mentem inspiret, vt in naturae arcanis perueſtigandis ita versentur, vt cuncta ad Numinis diuini gloriam, & aliorum, suamque felicitatem referant.

S. D. G.

Addenda.

CVm in dissertationis nostrae §. XIX. alchemistae Berolinensis iniecta fuerit mentio, nonnulla, quae de eodem argumento ab amica manu ad nos perscripta sunt, adiicere visum fuit: *Nomen ei fuit* IOH. FRID. BÖTTICHER, *Schlaiza in Comitatu Ruthenico oriundus. Patre defuncto mater alii viro, etiamdum Magdeburgi degenti, nupsit. Helvetus autem, a quo libellus ipsi mutuo datus est, aromatariam artem professus est. Libello huic dies atque noctes versando tam diu insudauit, vt breui post rem totam experimentis subiicere non dubitarit. Nec defuit successus; siquidem flagitantibus id commilitonibus artis suae peritiam variis compro-*

comprobauit speciminibus, aes ac stannum in argentum praestantissimum transmutando.

Multa vero sibi adhuc deesse sentiens, vt arti suae non interruptam nauare posset operam, ad empyricum quendam nomine Sibertum in suburbium quoddam clam se recepit. Elapsis hinc 13. septimanis, necessariorum sumtuum inopia adductus, fugae veniam a priore domino petiit impetrauitque. Reuersus alios longe mores, aliam indolem prae se tulit, vt, quibus antehac familiariter vsus fuerat, alius ac diuersus plane videretur. Scil. cum antea vanis se oblectasset colloquiis, ceterisque malorum irritamentis, iam non nisi pietatem os & actiones eius spirabant. Adeo, dum metallis transmutandis insudabat, ipsemet animo transmutabatur. Inuitatis aliquando duobus laudatis §. XIX. ecclesiae ministris, DN. VVINCKLERO & DN. FORST cum de alchemia verba fierent, Böttcherus a prandio surgens, vt secum in superius conclaue ascenderent, rogauit. Quibus vna cum hospite eiusque coniuge praesentibus monstrauit catinum, velintne sibi fidem habere, quaerens? cumque respondissent, eum prorsus vacuum sibi vtique videri, igni eum imposuit, ostenditque plumbi particulam trium semunciarum. Cum vero mallent vsurpari plumbum e pharmacopolio petitum, satius esse, Böttcherus inquit, vt tredecim nummi valore suo singuli duos grossos, pondere vero tres semiuncias simul adaequantes adhiberentur, eo, quod hi a fecibus iam tum purgati essent. Quibus catino immissis, igneque liquatis, e pyxide

argen-

argentea lapidem protulit philosophicum, qui colorem vitri igniti prae se tulit, magnitudinem vero quartae partis iuglandis habuit. Decerpsit de eo dimidiam circiter grani piperis partem, chartaeque, ne amitteretur, inuolui curauit, tum liquato metallo eam adsperſit ignemque auxit. Omnibus denique probe permixtis totam massam in libram quandam effudit. Quo facto aurum, nec bonitate, nec colore, praestantissimo cuique cedens, produxit.

SERIES DISSERTATIONVM.

I.

De concordia religionis christianae statusque ciuilis.

II.

De ratione status circa federa.

III.

De eo, quod decet, circa solennia principum.

IV.

De metu comparationis ad C. Cornelii Taciti annal. l. I. c. LXXVI.

V.

An alchemistae sint in republica tolerandi?

INDEX

INDEX RERVM.

A.

ACclamationes publicae circa solennia principum, 382. 395
Adulatio inepta ipsis principibus odiosa, 391
subditorum vitium, 386
Adulationis erga principes exempla, 387. s.
Aegyptiorum philosophia num alchemiae prodat vestigia? 510
Aemulatio semper vituperabilis contra Boeclerum, 445. s.
Alchemia Anglorum legibus aliquando
praecepta, 493
prohibita, ibid. s.
an omnino sit licita? 568
an rationibus philosophicis probari queat? 502
cur iure canonico prohibita? 492
cur male audiat? 498. s.
prudentioribus quanti fiat? 501
reiicitur & damnatur ab eruditis, 495. s.
scriptis integris impugnatur & defenditur, 497
Alchemiae quaenam fuerint fata? 516. s.

Alchemista num quis verus, an impostor sit, interdum incertum, 586
Alchemistae an tolerandi sint in republica? 557
cur nonnulli videri velint? 602. f.
Berolinensis & Francofurtani experimenta recentissima, 546
Alchemistarum nomine impostores saepe veniunt, 584
ad artem alchemisticam an improbis etiam aditus pateat? 560
Alchemisticorum scriptorum obscuritas, 500
an artem hanc suspectam reddat? ib. f.
Ambitio quam reipublicae noxia? 17. f. 20
Ambitiosi plerumque seueri, 21. f.
quousque comparationem metuant, 443
Anabaptistarum an pernicioſae reipublicae sint opiniones? 214. f.
erroris occasio, 216
Anglicana ecclesia contra Petr. Iosephum Aurelianensem defenditur, 209
Animantium ad sui conseruationem instinctus, 247
Antecessorum iniqua obtrectatio, 467
Antipathia bonorum & malorum, 473 f.
Arndius (Io.) an lapidem possederit philosophicum? 544

Arnoldus de Villanoua an transmutationis exemplum ediderit? 521
Atheismus christianis exprobratus, 63
Augures & aruspices, 93
Auro chemico an in contractibus vti fas sit? 582
Auaritia, 17. f.
Auaritiae exempla, 24
fugam christiana inculcat religio, 31. f.

B.

Bos assatus in coronationibus vsitatus, 363. f.
huius ritus origo & interpretatio politica, 366

C.

Catilina, pestis Romanae reipublicae, 19
Cautio circa externa rituum inauguralium, 370
Cautiones circa federa, 263. 274. f.
circa legatos, 277
Celsus, christianorum hostis acerrimus, 45
Christiana disciplina non respuit externa reuerentiae signa, 393
Christiani quo pacto circa solennia principum se gerere debeant, 405
veteres imperatoribus diuinos tribuere noluerunt honores, 399
ritus vitium inuoluentes sibi obtrudi non passi, 401
Christianis quid a gentilibus obiectum, 42 54. 61. 66

Christianorum doctrina an reipublicae rationibus conueniat? 43
de vitanda vindictae cupiditate vindicatur, 47
veterum innocentia, 57
Ciuibus quando fas sit contra imperantem insurgere? 126
Clauasii (Angeli) de alchemia sententia, 575
ab aliis iure-consultis refutatur, 578
Clodouaeus, sanctis a Gallis annumeratus, 37
Commercia an rebuspublicis vtilia? 304. f.
Comparatione virtutes & vitia magis elucescunt, 414. f.
ad comparationem quid requiratur? 416
Comparationis metus an & quousque in auaros cadat? 440
effectus, hypocrisis turpissima, 464
in Tiberio notatur, 413
quo pacto ab aemulatione differat? 444
quando laudabilis? 478
quando vituperabilis? 437
remedia contra vituperabilem, 483
Comparationis principis cum antecessore effectus, 425
cum ministris aliisque, 427
hanc quid interdum sequatur, ib.

Con-

Consultationum duo capita, 246
Crimen laesae maiestatis quo iure christianis olim obiectum, 51. f.
Cultus neglectu contra decorum a principe peccatur, 375
Cynicismus, subditorum vitium, 386

D.

Decori limites, 328
natura & indoles, 329
origo, 327
Decori neglectus christianis veteribus exprobratus, 403. f.
Decorum circa solennia principum, 346. f.
disciplinae christianae debet esse accommodatum, 378
Disputationes de religione apud Turcas prohibitae, 109
Diuersitatis in comparationibus causa, 418

E.

Episcopi an imperio ciuili exemti? 154. f.
Errorum in comparationibus & iudiciis causa, 418
Exempla & experientia quid ad probandam alchemiam conducant? 510
Existimationis neglectus cur reprehendatur? 417
Externa, praecipue corporis cultus, morum documentum, 372. f.

F.

Factiones & conspirationes christianis obiectae, 54

Federa an cum diuersae religionis hominibus ineunda? 255
an cum ethnicis & Muhammedanis ineunda? 256
an cum illis, quorum improbi mores? 264
cum infidelibus an prorsus illicita? 258
cum miseris minusque potentibus non ineunda, 285. f.
nisi peculiaris id suadeat ratio, 287
cum multis inita raro diuturna, 291. f.
cum paribus quoque caute pangenda, 288
cum potentioribus non temere ineunda, 282
si ineunda, quaenam obseruandae cautiones? ib.
an cum sociis longe distantibus inire consultum? 289
metu inita an irrita? 297. f.
bellica, 301. f.
commerciorum causa inita, 303
inter eiusdem & diuersae formae respublicas, 299
quibuscum inire fas sit? 253
quo pacto ineunda, 252
rite inita sancte seruanda, 267
iureiurando licet non firmata, 269

Federa vt circa res licitas ineantur, honestatis ratio requirit, 266
Federe iungi num satius sit, vicino an remoto? 290
a federe an parti alterutri discedere liceat? 270
a federibus, praesertim bellicis, an semper abstinendum? 354
de federibus necessitate initis quid censendum? 295. f.
Federis in formula quid cauendum? 279
Federum necessitas, 258
Federum firmamenta non negligenda, 313
Fedus christianorum principum, contra Turcas, suadentium sententia discutitur, 293
Ferdinandus catholicus religionem obtentui sumens, 39
Flamellus (Nic.) alchemiae deditus, 292

G.

Gallicanae ecclesiae libertas, 154. f.
Gassendi (Petri) de transmutatione metallorum testimonium, 532
Gentilium ἀποθέωσις, 78. f.
Gentium ad ritus & consuetudines circa solennia principum respiciendum, 346. f.
Graecorum mythologia num alchemiae prodat vestigia? 510
Grotii (Hug.) monita circa federa, 276

H.

Helmontii (Io. Bapt.) de transmutatione metallorum testimonium, 532
Hispanorum artes, 40

I.

Iacobus, Angliae rex, religionis causa non eiectus, 210
Imitatio inepta, 469
Impedimenta christianismi ex vita ciuili, 237. f.
Imperantium diuina constitutio, 249
officia, christiana designat religio, 14
Impostores in alchemia manifesti quo pacto puniendi, 595. f.
Impostorum modi & exempla, 584
Instinctus hominum ad sui conseruationem, 248
in integris societatibus conspicitur, ib.
Inuidia cum aemulatione coniuncta, 451
cum metu comparationis confunditur, ib. f.
nunquam laudabilis, contra Cartesium, 456
de Isernia (Andr.) sententia de alchemia, 572
Iuramenta an & quousque christianis illicita? 229
an, si illicita credantur, damnum inde in rempub. redundet? ib.

Laeti-

L.

Laetitiae declarandae ritus in solennibus principum, 380
Ludorum in sacris vsus ciuilis, 83
Lullius (Raemundus) an transmutationis exemplum ediderit, 513
Lutheranae ecclesiae doctorumquorundam opiniones, ipsi ecclesiae non imputandae, 186
Lutheranae ecclesiae doctrina statui ciuili est accommodata, 172. f.
Lutheranorum mores doctrinae non imputandi, 197. f.
Lutheri duriora quaedam dicta contra principes, an & quomodo excusari queant? 183
Lutheri per reformationem reddita imperantibus auctoritas, 169
Lutherus ad reformationem promouendam, principum fauorem non captauit, 170

M.

Machiauelli arcanum dominationis, 95
Machiauellus quid christianis obiecerit, 43. f.
refellitur, 35. 48. f.
stultae sapientiae magister, 42. f.
Magia christianis exprobrata, 63
Muhammedismus in duas praecipuas scinditur sectas, 71. f.

Maiestas an immediate a Deo sit? 175
Masius refutatur, 178. f.
Metallorum transmutatio an sit contra naturam? 502
Metus discrimen, 479
Muhammedanorum modernorum sectae primariae, 70. f.
Muhammedis commenta ad imperii amplificationem & diuturnitatem spectantia, 100
Münzeriani & Monasterienses a reliquis anabaptistis discernendi, 218
de bellis quid sentiant? & an illorum opinio cum imperio ciuili consistere queat? 225. f.
horum sententia discutitur, 222

N.

Nummi ex auro chemico confecti, 549
de his quid censendum? 552

O.

Occultatio & conspectus publici euitatio, 476
Odium erga alios, 473
Oedipodaei concubitus christianis olim obiecti, 63
Officia subditorum circa solennia principum, 380
Oldradi de Ponte sententia de alchemia, 569

Para-

P.

Paracelsus (Theophrastus) an ex ignobiliori metallo aurum fecerit? 538. f.
Philippus II. sub praetextu religionis, ducis Alensonii, & Elisabethae Angliae, reginae, nuptias disuadet, 40
Pici (Io. Franc.) com. Mirand. de transmutatione metallorum testimonium, 530
Pompeii triumuiratus ambitioni obnoxius, 22
Pontificum Romanorum callidiras, 40
Pontificis maxima apud Romanos auctoritas, 90. f.
summa in ecclesiasticis potestas imperio ciuili repugnat, 150. f.
strenue ab ipsis defenditur, 154
potestas in temporalibus, 161
Populi opinioni quid dare princeps possit, 421. f.
Populus principem cum antecessore comparans, 420
Potentia in iis, quibuscum federa ineunda, spectanda, 281
Preces pro imperantibus praeceptae, 15
Princeps an conferri cum antecessore possit, 425
Principem, an fas sit, pro tyranno interficere? 114
Principi an fas sit, existimationis suae habere rationem? 434

Principi an consultum, libellos famosos & scripta satyrica negligere? 436
cui succedere periculosum, 439
quaenam ei ad populi iudicia attendendi causae? 424
Principum solennia, 344
de Principum quorundam studio alchemistico, 603
Priuatae sortis hominibus an permittendum, vt, quantam velint, producant auri copiam? 564. s.
Prudentia vbi directrice opus? 376

Q

Quakeri an doceant, quae reipublicae nocent? 232

R.

Ratio status vnde enata? 284. s.
quas vox haecce habeat significationes, ibid.
quid in federibus exigat? 253
Reformatae ecclesiae doctrina defenditur, quod nihil in ea contra tranquillitatem reipublicae, 205
Reges Ebraeorum sanctissimi externis imperii symbolis vsi sunt, 342
Reginae cur vngi soleant? 359. s.
Religio christiana an reip. sit noxia? 4. s.
ad rerumpublicarum conseruationem quid conferat? 8. s.
contra aduersarios defenditur, 6. s.

Reli-

Religio christiana multis modis in variis sectis corrupta, 121. s.
Religionem christianam occurrere ambitioni, 29. s.
auaritiae, 31
voluptatis cupiditati, 33. s.
non esse instrumentum dominandi, 34. s.
quinam eam in instrumentum ambitionis conuertant, 36
quinam hunc in finem vmbra eius aut specie vtantur, 38. s.
Religionis christianae praerogatiua, 75. 115. s.
gentilis vsus & quidem
purae seu naturalis, 75. s.
impurae seu deprauatae 77. s.
Religionum aliarum tolerantia, 112. s.
Respublica carere non potest ritibus & imperii symbolis, 330
Rerumpublicarum mala & incommoda, vnde? 16. s.
speciatim, quae ex ambitione, 20
quae ex auaritia, 24
quae ex voluptatis cupiditate, 17. s.
quibus medela afferri, adeoque rerumpubl. saluti consuli per christ. religionem possit, 28

Rituum

Rituum ac cerimoniarum in federibus ratio 317. f.

Rituum inaugurandi reges rationes, 361

Romanenſes contraria imperio ciuili docent, 124

eorum ſententia de tyrannicidio, 126. f.

de fide haereticis non ſeruanda, 130. f.

defenditur a multis, 137. f.

Romani imperii ruina chriſtianis imputata 63

Roſaecruciani fratres alchemiam probant, 535

S.

Sacrificiorum in ſacris vſus ciuilis, 83. f.

Sapientes quinam olim dicti? 248

Scepticorum de iudiciorum diuerſitate ſententia, 419

Sectarum diuerſitas an religioni ipſi chriſtianae ſit imputanda? 68

an reipublicae ſit noxia? 67

Muhammedanorum, 70. f.

Sta-

Subditorum erga principes veneratio quodnam habeat fundamentum? 331. f.
falsa interdum nititur populi persuasione, 333. f.
plerumque nititur externis imperii symbolis, 340. f.
est, vota pro salute principis nuncupare, 395. f.
vitia duo circa decorum euitanda, 386
Suspicio cum metu comparationis coniuncta, 442

T.

Tempus in federibus ineundis obseruandum, 311. f.
Thyestеae epulae christianis obiectae, 63
Turcarum de fato sententia, 105
polygamia, 105
de praemiis in bello pereuntium, 103

V.

Vitia reipublicae noxia, 66
Viuat! an improbo principi acclamare liceat? 396. f.

Vnctio ab Ebraeis primum adhibita, 350. f.
ab his ad christianos translata, 352
ideo a rege Borussiae recte adhibita, 354. f.
Vngendi modus varius, 356. f.
Voluptatis cupiditas reipublicae noxia, 17. f.
Vtile an sit, quod non honestum, 250
Vtilitatis habenda ratio, 247
in federibus, 272. f.



S 155647

AB 155647

X2262003

151.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0690



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-13087/fragment/page=0692